T8c.



John Carter Brown.

AMERICÆ PARS VIII.

Continens

PRIMO, DESCRIPTIONEM TRIVM ITINERVM

NOBILISSIMI ET FORTISSIMI EQVITIS FRANciſci Draken, qui circumnauigato vniuerſo terrarum orbe, poſtea copiis nauticis, ad expugnandum ciuitatem PANAMAM, in Indiam nauigauit.

SECVNDO, *iter nobiliſſimi Equitis* THOMAE CANDISCH, *qui duorum ferè annorum ſpacio,* 13000. *Anglicana miliaria in mari confecit, vbi deſcribuntur quoque omnia quæ in hoc itinere ipſi acciderunt & viſa ſunt.*

TERTIO, *duo itinera, nobiliſſimi & fortiſſimi Equitis* GVALTHERI RALECH *quibus deſcribitur auriferum & potentiſſimum Regnum* GVIANA, *ad Septentrionem fluminis* ORENOQVE, *alias* OREGLIANA *dicti, ſitum cum Metropoli eius* MANOA & MACVIEGVARAI, *aliiſque finitimis regionibus & fluuiis, mercibus item præſtantiſſimis, & mercatura, quæ in regno hoc exercetur, cuius luculenta tabula Geographica in fronte operis occurrit.*

PRIMO QVIDEM ANGLICANA LINGVA PARTIM AB Equitibus ipſis, partim ab alijs, qui hiſce itineribus interfuerunt ſparſim conſignata: Iam vero in vnum corpus redacta, & in Latinum ſermonem conuerſa, Figuriſq; & imaginibus artificioſe illuſtrata & in lucem emiſſa, opera & ſumptibus IOH. THEODORI de BRY P.M. hæredum.



FRANCOFVRTI,


Typis ERASMI KEMPFFERI,

Anno M.DC.XXV.

RPJCB

RPJCB


Aruba
Curacao
Bainaira
I. de Aves
Roca
Porte Bibunda
C. de S. Romano
Laguna de Joana
Torlaga
Margarita
Granada
Solo
I. de Coche
Testigos
Core
P. Seca
G. de Coriaco
Barbarnata
P. Flentado
C. de Joan Blato
C. de colera
Hignoroto
I. de Perito
Maracapana
Chechrebiche
S. Fe
Cumuna
G. de Curiac
Caribes
Provincia
C. de S. Punitas
C. de Salmas
CASTILIA
Laguna de Maracaiba al de vencve la
DEL ORO
Venevela
Merida
WIKIRI PRO
AROrAS
CARIBANA
Pampelona
BOGOTAT N. REG
Cassana R.
Pato R.
Mota R.
Gajare R.
Capuri R.
Baraquan R.
Baraquan I.
Daunay R.
Vbaro R.
ACAMACARI
ASSAWAI P.
SAYMA
Europa fluvius
Amana fl.
Caroli R.
Cawra R.
Atorica R.
Arui R.
O R E N O Q
VEPONI
ARWACKAS
der Hispanier fr
CANIBAL
EPVREME
EMERIA
Casnero fluv.
AMAPAIA Ist Goltreich daß wasser in disser gegent ist gutt um den mittag aber des Abendts und führnemlich des mitternachts gar Giffig
ANEBAS
IWAIPANOMA an disem Orth schreibt hr Ralegh daß di Leut so ohne heubter sein wohnen
Caßipa lacus
AROMAIA
MACVRGVARAI di Erste stat von GVIANA
IWARAWAKERI
disse felzen sind meinst alle Goltreich
bringt der sandt diser Bachen dess Sees CASZIPA fil Golt mit
CASSIPAGOTOS
AROWAGOTOS
GVI EPARAGOTOS ANA
L I N E A
Disser See wiert vonden CANIBALES. PARIME heissen in FOPONOWINI Er hatt 200 meillen salz wasser vnnd hatt fill Inseln in sich
NOTA
Der Winter in GVIANA, fenget an im Meijen, und endet sich in Septe: mbris, in welcher zeit kein schiff da verharen mag, wegen der großen sturm windt doner blixem, und auslauffing der wasser Den sich der Flus ORENOQVE, um di: sse zeitt. wol 30 schu erhept, und alle diInseln so im eingang dessen li: gen bedecket. also daß di ein wonner derren gezwongen sich diß zeitt vf den gipffen, und Baumen ihre wonu: iigen zu halten
AMA ZONES daher diser große Flus den nahmen hatt ist eine Nation so fuhrnemlich in Weibern bestehet welche im Jahr nurt einen Monet haben in welchem si sich zu den Mänern geselln alss im Aprillen in dißem Monat sind si lustig und gutter ding undn einander mit Danken springen und bancketiern als balt aber disser Monat auß ist gehet ein Jder wider seinen weg wen nun disse Weiber einen Soen gebahren schicken si den selben seinem Vatter heim ist es aber ein tochter behalten si diselbe und schicken dem Vatter eine Verehrung darfuhr


Tabula Geographica nova Omnium ocu lis exibens et proponens Verſsimam deſcriptionem potentiſsmi et aurifen Regni GUIANA Sub linea æquinoctiali inter Braſiliam et peru Siti per nautam aliquem qui GUALTHERO RALEGH navigatione ſemper adſuit delineata
Neuwe landtaffel, in welcher eigentlich, und warhafftiglich fürgeſtelt wirdt, das gewaltige, vnd Goldreiche Kunigreich GUIANA, ſo da ligt vnder der Æquinoctial Linien, zwiſchen Braſilien vnd Peru, Obſerviert vnd abgeriſen von einem ſchiffman ſo ſelbſt mit her Ralegh der fahrt geweſen
I. de la Jabaco al rabuguo
Porto de los Hiſpanioles
Punta de la Galera
I. S. Bernardo
In diſem flus MACAWINI ſindet man ſill goldt im ſandt
R. Eſſekebe oſte Devoriha
Di Volcker ſo an dem Flus ESSEKEBE wohnen konen in 20 dagen von eingang diſes Fluses biſs auff einen tagreiſs nahe bey den groſsen See PARIME ſchiffen von wanen ſi alſs dan zum erſten ihre Porſiant vnd dar nach ihre Canoas vber laudt bis in obgemelten See dragen ihre hanterung alſo zu dreiben
Tigre
Leopart
Der flus CAPERWACKA oder CAMPONSE iſt Seer fruchtbahr an Braſil lien holtz aber ohn bewohner
Gowatori Ins
Encaſare
Wiapago
Caribes
ARICA
der DORADO diſe wirdt geacht fur ſte Stadt in der ganzen welt
ÆQVINOCTIALIS
enant die IAOS aber n der lenge iſt ein
Diſes Vehe ſo wier hie verzeichnet haben wi auch andre mehr findet man in GUIANA alle guttes geſchmacks auch hatt man hie Hunder Felthunders Rephunders Cranichs Wachteln Reygers vnd ſunſt ſillerley geſitichts
TISNADA
Ein man des landt IWAIPANOMA ohne kopf
Geſtalt der weiber des landts Amazones
R. de las Amazones
BRASILIÆ PARS

RPJCB

FRANCISCI DRAKEN, EQVITIS ANGLI, ITER PRIMVM, QVO IPSE A XIII. NOVEMB. AN. 1577. VSQVE AD III. NOuemb. Anni 1580. triennij nimirum ſpacio, totum terrarum orbem permenſus, multa memoratu digna vidit, & expertus eſt, cum breui rerum præclare ab ipſo hoc itinere geſtarum commemoratione.

An. 1577 Nouemb. AD. XIII. Nouemb. An. 1577. Nobiliſſimus ille FRANCISCVS DRACO Eques Anglus, cum laudis & gloriæ auidiſſimus jamdudũ fuiſſet, PLVMBEIA cum 5. nauibus ſoluit, aſſumptis 164. armatis, ALEXANDRIAM petiturus, ſed vi ventorum quaſſatus & rejectus, coactus eſt altera die, nõ abſq; magno periculo PLVMBEIAM reuerti, parum enim abfuit, quin cum vita claſſem & ſocios perdidiſſet, ſed Dei tamen beneficio factum eſt, vt malus tantum primariæ ſuæ nauis, quam PELLICANVM vocabant, frangeretur, & nauis quædam alia, quam vocabant FLOREM AVREVM, in littore cõcuteretur reliquis rebus omnibus ſeruatis, & periculo exemptis.

Secundo igitur, cum damnum hoc aliquo modo reparaſſet, die 13. Decemb. profectus, 25. ejuſdem menſis Barbaricum littus legit, prope promontorium CANTINVM. Ibi enim Inſulam MAGADOR nomine aduectus, idoneam nauibus ſuis ſtationem, vnum fere miliare à terra, & portum omni tempeſtatũ periculo vacuum inuenit. Itaq; cum ex Anglia ſecum ad aliquot minores naues, mate- *Decemb. An. 1577.* riam jam paratam attuliſſet, hic vnam ex ædificare conſtituit.

Interim cum occupatus in ædificandis nauibus eſſet, incolæ ad littus conuolant, ſignum pacis præſe ferẽtes. Miſit igitur quoſdam, qui ad primariam nauem vnum atq; alterum ex incolis adducerent, ex quibus de ſuo erga nos animo aliquid cognoſceremus, cumque obſidem etiam illis qui in littore erant, dediſſet, quidam ex illis vltro ad nauẽ prædictam transfretarunt, & ſuis annuitionibus manifeſte ſignificarunt, quod poſtero die redire & ſecũ oues, capones, pullos gallinaceos, & id genus alia eſculenta afferre vellent; idcirco Dux noſter DRACO linteaminibus, calceis & lanceolis quibuſdam, eos donauit, quæ omnia læto animo & ſereno vultu accipientes diſceſſerunt. Sequẽti die iterum quidã ad littus reuerſi ſunt, ad quos ſimiliter DRACO quoſdam, vt antea factum erat, emiſit. Verum cum vnus ex noſtris in terrã ocyus è naui proſilijſſet, animo amice eos amplexãdi atque ſalutãdi, animaduertit animum eorum plane immutatum, & longe aliũ eſſe, quam antea fuerat. Sicut prima quaq; etiã minima offenſa, eum conföſſuri fuiſſent, ſed cum ipſe neminem læderet, equo ſuperimpoſitum eum ſecum abduxerunt.

Hoc cum DRACO vidiſſet, non diutius ibi commorandum ſtatuit, ſed cum etiam nauicula iſta perfecta eſſet, 30. & vltima Decemb. naues rurſus conſcendit, cumq; oras iſtius Inſulæ præter nauigare vellet, Piſcatores aliquot Hiſpanicos animaduertit, & tribus ex illis captis vlterius profectus eſt, vbi tres naues Carauellas dictas adortus, ſecum auexit, & ſic 17. die Ianuarij, ad promonto- *Ianuar.* rium BLANCVM appulit, ibiq; nauim in an- *Anno* choris vna cum duobus nautis cepit. Cum *1578.* vero & milites ſuos ad omnem fortunæ aleã paratos & quam exercitatiſſimos eſſe vellet, hic luſtrationem aliquam inſtituit. Cumq; ex Piſcatorum nauibus omnia, quæ vſui ſibi ſuiſque eſſent futura accepiſſet, relicta naui quam BENEDICTVM vocabant, & alia ex illis quas paulo ante ceperat 20 vecturarum ſiue laſtarum capaci, in ejus locum aſſumpta, tandem 22. Ianuarii die, hinc rurſus ſoluit, & non admodum longe progreſſus, Carauellam Luſitanicam, quæ ex Inſula quam

VIRIDEM vocant Sal aſportare voluerat cõprehendit. Inſula n. iſta multũ ſalis profert, & vt nauta ſiue gubernator nauis Luſitanicæ referebat, in vna iſtarum Inſularum quam MAIO vocant, maximus numerus CABARITARVM ſiue Caprarum generatur, ex quibus incolæ, quorum tamen pauci ibi habitant, annuatim, neceſſaria quædam pro præternauigantibus nautis Regis Hiſpaniæ, cum BRASILIAM aut alias Regiones vlteriores petunt, conficiunt.

Vigeſima ſeptima Ianuarij, ad dictam hãc Inſulam appulit, ſed Incolæ, cum ob interdictum Regis Hiſp. mercaturam libere exercere nobiſcum non auderent, nullibi comparuerunt. Itaque poſtero die, ſub præfectis WINTERO & DOVGTHIO 60. armatos emiſit, vt inquirerent, ſi quid rerum neceſſariarum ad vitam humanam ſuſtentandam reperirent. Hi cum primario hujus Inſulæ loco, juxta inſtitutionem ſiue informationem PILOTTÆ ſiue nautæ iſtius, qui cum naui ſuperiore captus erat, approperarent, tandem poſt tres dies, ſuperatis aliquot montibus, eo venerunt, offendentes incolas omnes in fuga. Verum iſta pars, vtpote culta & ſata, longe fertilior altera parte fuit, vbi etiam maturis dulciſſimiſque vuis ſuum genium oblectarunt. Quod quidem mirum alicui non immerito videri poterit, & minime credibile, quod tam maturos & generoſos fructus ibi inuenerint, quo tempore ſolſtitij brumalis aduenerunt. Sed ſciendũ eſt, eos non procul à Tropico Cancri & æquinoctiali linea diſſitos eſſe, & Solẽ bis ſuper verticem ſuum tranſeuntem habere, præſertim cum lineæ torridæ ſint quam proximi. Itaq; cum Solis æſtus eos fere nunquam deſerat, mirari nos amplius neceſſe non eſt, ſi tam cito maturos fructus ibi repertos fuiſſe dixerimus. Regio iſta referta innumeris capris & ſylueſtribus gallinis, profert ingentem ſalis copiam, qui ſponte hic naſcitur, ab incolis vero diligenter colligitur, & vẽditur. In hac etiam regione fructus quidam quem Locos vocant, in arbore, ramis & folijs prorſus carente, naſcitur, idque in cacumine arboris in manipulis quibuſdam, quorum vnuſquiſq; caput viri adæquat. Extremum ejus putamẽ multis fibris & ſerraturis præditum eſt, tãtæ magnitudinis, vt dimidiam & integram etiam menſuram capere poſſit. Eo autem perforato ſiue fracto, nucleus inuenitur ſolidus, dulcis & albus, imo amygdalis non abſimilis, qui dulcorem non ingratum veſcentib. præbet. Cum igitur hiſce & ſimilibus fructibus ſatis ſeſe oblectaſſent, ad interiora iſtius regionis penetrantes, maximam copiam CABARITARVM ſiue Caprarum inuenerunt, ſed animalia hæc in fugam magna cũ ſolertia pulſa erant, ne aduenæ & noui hoſpites earum, vel vſum vel vtilitatem perſentiſcerent, in quem finem etiam aliquot annoſas & macilentas CABARITAS hinc inde diſperſerũt, quas cum noſtri inueniſſent tenues, paruas & paucas, ſuſq; deq; tulerunt & intactas reliquerunt. Atq; ita tandem naues repetierunt.

Die 31. Ianuarij ad Inſulam S. IAGO peruenimus, vbi quidem terræ appulimus, vt tamen bombardis nos & naues noſtras aſſequi nemo poſſet, licet non parum in nos globorum emitteretur. Regio iſta non modò pulchra & ampla, verum etiam diues & fertiliſſima eſſe, viſa eſt. Habitatur à Luſitanis, exceptis montibus & locis altioribus, quæ ab AEthiopibus inhabitari quidam perhibent. Cum enim in ſeruitutem ab illis jam dudum redacti, & ſe in libertatem vindicare omnibus modis enixi fuiſſent, tandem rebus non ex animi ſententia procedentibus, cũ voti ſui compotes fieri non poſſent, ſeſe in deſerta loca & editiores montes contulerunt, vbi in hunc vſque diem vitam degunt. Non procul ab hac ora duas naues conſpeximus, ex quibus vnam comprehendimus. Cumque inde vina generoſa, & merces alias precioſiſſimas accepiſſemus, ſolum magiſtrum nauis captiuum abduximus, reliquis omnibus, cum vno vaſe vini, & cibarijs veſtibuſque neceſſarijs, rurſus dimiſſis. Eadem illa nocte ad Inſulam quandam acceſſimus, quam Luſitani DEL Fuogo Inſulam ardentem vocant. Verſus ſeptentrionem ignis eſt perpetuo ardens, quem ex ſulphure ali quidam arbitrantur, interim tamen terra fertilis eſt & fructifera, cũ à Luſitanis ſedulo percolatur. Verſus auſtrum adjacet huic Inſulæ, alia, quæ aſpicienti viridis ſemper apparet. Vnde et ISOLA DEL BRACCO, ſiue Inſula pulchra vocatur, multa ſeſe ex hac inſula in mare flumina aquæ dulcis exonerant, quæ quidẽ nauibus adiri facile poſſũt, ſed propter nimiam profunditatem eiiciendis & firmandis Anchoris minime idonea ſunt, fundum enim nullum fere agnoſcunt.

Hinc profecti optimam ventorum tranquillitatem, per tres integras ſeptimanas experti ſumus, poſtmodo procellis, fulgure & tonitribus obruti, in ſummiſque anguſtijs conſtituti, hoc tandem delectationis habuimus, quod ſubinde Gete, Delphines & BONITÆ obuiam nobis fierent, vna cum piſcibus, qui volitare per aera quidem ſolent, magna vero copia in naues ſeſe præcipitant, in quibus, humore ſuo naturali aqua nimirum deſtituti, & volatu ſuo inde priuati, eſca nauigantibus exiſtunt. Poſteaquam autem viridem

ridem Inſulam deſeruiſſemus, 54. continuos dies Oceanum magnum nauigauimus, ita vt terram interea nullã viderimus. Tãdẽ nobis
Aprilis An. 1578. Braſilia viſa eſt, hanc ſub gradu 13 verſus polum antarcticum ſitam, 5. die Aprilis conſpeximus, cumq; de noſtro aduentu incolæ aliquid cognouiſſent, multos continuo ignes extruxerunt, quibus dæmonijs ſuis ſacrificarent, eum in finem, (quemadmodum poſtea cognouimus) vt ſuis incantationibus, arenas & alia innumera infortunia, ad littus cumularent, quibus vel ad naufragium perducti, vel alijs malis affecti, à ſua terra prohiberemur. Vnde etiam diu multũq; nobis deſudãdum fuit, quin & 7. hujus menſis die, tam graues procellas, fulgura & tonitrua ſuſtinuimus, vt etiã nauẽ, CHRISTOPHORVM nomine, 20. vecturarum ſiue laſtarum, quam ab Hiſpanicis piſcatorib. vti dictum eſt, ceperamus, amiſerimus. Sed eam tamen rurſus die 11. Aprilis, multo cũ labore & periculoſa reliquarum nauium diſperſione, recuperauimus, circa promontoriũ LÆTITIÆ, quo in loco collectis & congregatis rurſus nauib. noſtris, vaſa recenti & dulci aqua repleuimus. Regio hæc humidum aerem & fertile ſolum, attagenibus & ceruis plenum habet, hominibus nullis aut certe raris habitatur, nullos enim homines offendimus, excepto quod tandem magis magiſque regionem intrãtes multifaria veſtigia hominum, vti colligi licebat, magnæ cujuſdam ſtaturæ conſpeximus. Inde conſcenſis rurſus nauibus & relaxatis anchoris paulo vlterius progreſſi ſumus, & anchoras denuo firmauimus inter ſcopulum, & terram illius loci, vbi ratione ſcopuli naues in tuto fuerunt. Abundabat hic locus multis lupis marinis, itaq; magnam eorum copiam cepimus, & in futurum victum diligenter reſeruauimus.

Hinc nauigatum eſt, ad 36. gradus, in magnum illum & ſpacioſum locum PLATA dictum, 54. vel 53½. orgyias profundũ. Aqua hic quidem erat dulcis & ad potandum apta, quare etiam vaſa noſtra, ea repleuimus, ſed locum ad anchoras mittendas non inueniebamus. Quare 27. hujus menſis die mare altum denuo ingreſſi ſumus, fortuna non admodum bona, nauem enim VLIE dictã, cui nobilis quidam DOVGTHIE vocatus, præerat, amiſimus. Poſtea cum juxta littus rurſus nauigauimus, inuenimus amœnã & pulcherrimam regionem creberrimis Inſulis inſignem & conſpicuam, in quarum vna tot marini lupi inerant, vt pro alimentandis omnibus nauibus ſufficerent. In altera tantus auium numerus conuolarat, vt viſu mirabile & jucundiſſimũ eſſet. Abundãt hæ Inſulæ omnis generis victualibus & aqua dulci. Interea cum Dux noſter DRACO per vnum atque alterum diem hic moraretur, concurrebant ad eum incolæ cum magno applauſu & lætitia, ſua mercimonia nobiſcum cõmutare volentes. Verum difficile admodum erat mercaturam cum ipſis exercere, cum nõ niſi ad terram expoſitis mercib. eam tractare ſolerent. Homines alioquin ſeueri vultus, & ſimplices erant, robuſti tamen corpore, veloces pedibus, & quantum colligi licebat, ſatis ſagaces.

Die 18. Maij omnem diligẽtiam adhibuimus, vt amiſſas naues recuperaremus, atque poſt diligentem explorationem altero tandem die nauem illam Vlie dictam à longe vidimus, & naues quæ ad ſtationem commodiorem inquirendam emiſſæ fuerãt, ad Ducem reuerſæ, de commodiori ſtatione ſpem ipſi fecerunt. Itaq; Dux noſter cum omnib. ſuis nauibus colligendi neceſſaria alimenta, & aquas recentes hauriendi gratia ſe adſtationem inuentam recepit, vbi ducentos vel plures lupos marinos cepimus, & VLIE nauem exoneratam igne cremauimus, ferramentis ſolummodo & rebus neceſſarijs alijs reſeruatis. Interea dum his rebus conficiendis occuparemur, perplures ad nos de regionis iſtius incolis venerunt, omnes nudi excepta medietate corporis, pudenda enim pellibus quibuſdam crudis tecta, & capita contextis reb. alijs exornata habebant. Faciem varijs coloribus pinxerant, & circa tẽpora aliquid cornu ſimile geſtabant. Incedebant autem arcu vlnam longo, & ſagittis duabus inſtructi, videbanturque in re militari non parum exercitati. Quod attinet ad negotiationes ipſorum nolebãt primo quicquam de manibus noſtris accipere. Verum poſtquam DRACO in terram paululum deſcendiſſet, vt choreas & ſaltus eorum aſpiceret, vnus ſtatim ex medio ſaltu accurrens, cũ videret eũ obuerſo ſibi tergo cũ aliquo ſuorum ſociorũ loqui, pileum cũ ſpira aurea capiti ejus ſurripuit. Atq; feſtinabũdus ad ſuos ſeſe recipiens pileum ſibi reſeruauit, ſpira iſta alteri cuidam conceſſa. Hoc facto, naues rebus neceſſarijs inſtrui juſſit. Cumque in altum rurſus aſcendiſſet, nauis illa Hiſpanica ſecundo nos deſeruit per dies fere quatuor integros. Quare quamprimum eam recepiſſemus, exoneratam rebus omnibus nobis vſui futuris, circiter promontorium BONÆ SPEI dimiſimus.



Iunius An. 1578. Poſtero die, qui 20. Iunij fuerat; peruenimus in portum S. IVLIANI; cumque firmatis anchoris paululum egreſſi nauibus eſſemus, patibulū quoddam conſpeximus, quod à MAGELLANO erectum fuiſſe putauimus: fertur n. hic MAGELLANTS, de quibuſdam rebellibus ſupplicium ſumpſiſſe. Vigeſima igitur ſecūda Iunij in terrā deſcēdit Dux noſter, comitatus IOH. THOMA, ROBERTO WINTERGHIE, OLIVIERO armamentarij tribuno, IOHANNE BREWER, THOMA HOOD & THOMA DRAKEN. Ibi vnum atque alterum ex regionis iſtius incolis obuiā habuit. Itaq; ROBERTVS WINTERGHIE arcum ſuum intendit, & lætitiæ ſignum populo iſti præmonſtrare volens, neruum confregit. Quo viſo, barbari, autumantes inimicitiæ aut belli ſignum hoc eſſe, omnibus modis contra eos inſurgunt; & tantis armorum copijs aggrediuntur, vt ſummis viribus; vix ſeſe contra tantos impetus tueri potuerint. Hoc bello tandem dirempto, Dux noſter anſam arripuit contra aliquot inter nauigādum perpetrata à ſuis facinora animaduertendi. Facta igitur ſeueriſſima inquiſitione, tandem vnanimi conſenſu nobilis quidam THOMAS DOVGTHIE, cujus jā aliquoties mentionem fecimus, ad mortem condemnatus eſt. Cum itaq; nobilis iſte DOVGTHIE nullam elabendi ſpem ſupereſſe, & neceſſarium videret; vt pœnas corpore lueret; vt animam ſuam Deo ſeruaret, pacem cum Deo & ſocijs ſuis compoſuit, & Synaxin ſacram petijt. Vt igitur fieri hoc commodius poſſet, Dux DRACO generali communicandi die conſtituta, ipſemet cum ſocijs S. Synaxi etiam vſus eſt. Cū igitur DOVGTHIE animam ſuam ſpirituali viatico recreaſſet, ad DRACONEM ſeſe primo conuertit, & ipſum ex animo amplexus; deoſculatus eſt; deinde vniuerſis & ſingulis ſuis ſocijs valedixit, ac tādem precib. ad Deum habitis; in quibus quoq; Reginæ Angliæ meminerat, ipſi proſperrima quæque precatus, collum ſuum lictori pacifice præbuit, & pœnas meritas dedit. Quo interfecto Dux DRACO cum reliquis cœnam Dominicam celebrauit, vti diximus, & ſuos ad pacem atque concordiam diligenter & paterne adhortatus eſt.

Auguſtus An. 1578. Decima ſeptima Auguſti die; hoc portu relicto; vlterius nauigauit, & 20. ejuſdem menſis MAGELLANICVM fretum ingreſſus eſt, vbi mortuum quendam hominem humi jacentem inuenit, ſequēti 21. die; cum jā fretū iſtud intraſſet animaduertit id admodum curuum & ſinuoſum eſſe, quare ſingulis fere momentis ventos aduerſarios habuimus,

mus;ita vt velis etiam vti vix poſſemus. Interim tamen commodiſſimos portus; & magnam copiam aquæ dulcis hic inuenimus; quanquam in oſtio propter infinitam profunditatem anchoras emittere & firmare non potuerimus, ſed in littoribus & ſcopulis, ad quos procellæ nos compulerant, manere neceſſum fuerit. Terra ex vtraque iſtius freti parte miræ eſt altitudinis, altiſſimis n. montib. abundat; ſic vt à longe & externe aſpicienti, videantur tres nubium ordines ſe inuicem contingere. Montium vertices perenni niue conteguntur. Auſtrum ortumq; verſus fretū hoc multas Inſulas habet, & ſeſe hinc inde Oceano committit. In fine montiū; qui niue vt dixi ſemper rigent, regio ipſa amœniſſimis viridiſſimiſque arboribus, ſuauiſſimiſque varij generis herbis floribuſque fertileſcit. Freti hujus latitudo quatuor, tres, duaſue & ad minimum vnam leucam adæquat. Die 24. ad Inſulam quandam peruenimus, in qua aues erant magnitudine ſua non multum ab anſeribus diſtantes; quarum vno die, cum volare à natura edoctæ non eſſent tria millia in alimentationem futuram cepimus.

Septemb. An. 1578. Cum deinde his peractis 6. die Septemb. in mare auſtrale inuecti eſſemus, ſeptima ejuſdem die, ingentibus procellis & tempeſtatibus, vltra 200. Leucas & gradum vnum in longitudinem verſus Auſtrum ab ingreſſu freti rejecti ſumus. Eodem tempore ſcilicet 15. Septemb. Eclipſis Lunæ ad horam diei ſextam, in Occidente expectabatur. Rejecti igitur ad 55½. gradus in Auſtrum, tandem Inſulas quaſdam inuenimus; vbi dulci aqua nobis rurſus proſpeximus, & præſtantiſſimas herbas inuenimus. Paulo vlterius progreſſi, ſinum quendam intrauimus; vbi tam viri quam fœminæ nudi incedebant; & nauigantes in nauiculis CANOAS dictis, inde ad Inſulam aliam alimentandi gratia proficiſcebantur. Hi populi tam humani erant, vt quicquid haberent cum nouis hoſpitibus lubentiſſime communicarent.

Octob. An 1578. Illinc diſcedentes verſus ſeptentrionem profecti ſumus, atque 3. Octobr. die tres Inſulas conſpeximus, in quarum vna ingentem numerum auium inuenimus. Atque in vltima earum animaduertimus, Solem vt minimum 8. gradibus à Capricorni tropico abeſſe, & noctem vltra duas horas non durare. Quin etiam ab incolis intelleximus nullam noctem, ſed diem continuum eos habere quando ſol Tropicum attingeret. Die 8. Octobr. nauem vnam, cui VVINTER præerat, amiſimus, quam procellæ in fretum illud, cujus ſupra mentio facta eſt, rejecerūt. Dux autem noſter vbi cum nauibus ſuis altitudinem freti priorem recuperaſſet, Aquilonem verſus tendebat, autumans hoc ſeſe curſu PERV regnum feliciter ingreſſurum, præſertim cum & tabulæ Geographicæ neotericæ ſic innuere viderentur; ſed toto cœlo erratum eſt, deprehendimus enim ſitum hujus Inſulæ ab Aquilone verſus ortum exporrectum eſſe, ita vt in tabulis iſtis, partes regni PERVANI aut mutilatim, aut minus fideliter deſcriptæ fuerint. Error vt minimum 12. gradus excedebat, quod factum fortaſſis eſt, vt alij creduli homines, aut fallantur, aut in diſcrimen adducantur.

Inſtitutum iter modo ſupra dicto perficere conantes, ad Inſulam quandam 29. Nou. appulimus, quam MOVCHAM vocant. Sita hæc eſt ſub 28. gradu latitudinis. Ibi ejectis anchoris, in terram deſcendimus, & homines offendimus, qui tyrannide, & immanitate Hiſpanorum, eo redacti erant, vt patria ſua terra derelicta, ſeſe hinc inde per Inſulas abſconderint. Hi ducem noſtrum ſingulari honore proſequentes, aliquot BOTATIS radicibus, & ouibus pinguiſſimis donarūt, qui his acceptis, recompenſationis gratia eis res alias obtulit. Altera die menſis Dux noſter DRACO duos viros, cūm aliquot vaſibus miſit, vt aquam dulcem haurirent, ſed incolæ Hiſpanos eos eſſe rati, animo in ipſos admodum irato viſi ſunt, vt parū abeſſet quin eos aggrederentur, & noſtri gratias agerent, quod ex manibus ipſorum ſeſe eripuerant. Statim igitur CHILEM verſus nauigauimus, atq; in itinere hominem barbarum Indum, Hiſpano non abſimilem, in nauicula, quam CANOA vocant, comprehendimus. Hic ſignificabat, prope S. IAGO Inſulam nauem Hiſpanicam in anchoris morari alioquin ad regem Peruanum ſpectantem. Hoc cognito Dux noſter virum illum partim largitionib. partim precibus commouit, vt ſe in portum VALPARIZOENSEM deduceret, vbi nauis dicta commorabatur. Tandem igitur vir ille accepta conditione eum cum ſuis eo deduxit. Quo cum veniſſemus inuenimus nauem adhuc in anchoris, octo Hiſpanis & tribus AEthiopib. in præſidio exiſtentibus munitam. Hi arbitrati populares ſuos aduenire, non modo amice ſuis cum tympanis nos ſalutarunt, verum etiam nauiculam vino onuſtam nobis obtulerunt. Verum cum in nauē Hiſpanicam Angli irruiſſent, confeſtim Anglus quidam THOMAS MOENE, Hiſpanum quendā percutiens dixit, ABAXO PERROS, quod eſt, ſecedite vos canes. Dum igitur agnouiſſent Hiſpani, Anglos eos eſſe, mirantes ſeſe crucis ſigno conſignabant, Dux vero noſter DRACO impetu in eos facto intra tabulatū eos cōglomerabat, excepto vno, qui ex na-

Nouemb. An. 1578.

ex naui in mare ſeſe præcipitans, natando in terram peruenit, incolis ad S. IAGO hæc narraturus, qui hoc audito ſeſe in fugam ſtatim dederunt. Poſtea DRACO in pagum irruit, eum ſpoliaturus, atque in æde quadam argenteum calicem cum quibuſdam Miſſalibus ac ad altaria ſpectantibus ornamentis inuenit, quem Concionatori ſuo Dn. FLECHES dedit, in quadam domo vbi vaſa & merces compinguntur, etiam vina quædam CHILICA & brancas de Cedro offendit. Quod ſecum omne abripuit, & poſtquam Hiſpanos omnes, excepto nauclero qui Græcus natione erat, in terram depoſuiſſet, LIMAM petijt. Cum in mari veheretur, nauem iſtam captam perſcrutatus, bona omnia in ſuas naues aſſumpſit. In qua quidem multa vina cum 25000. PESOS auri puri, cujus precium erat 37000. coronatorum, reperit. Tandem autem COQVIMBO veniens, 14. cordatos viros aquarū miſit, qui per exploratores Hiſpanis ſignificati, in 300. Equites, & 200. pedites Hiſpanos inciderunt, ſed vnus tamen tantum Sclopeto perfoſſus eſt, reliqui omnes ad naues ſeſe ſtatim receperūt. Hiſpanis abeuntib. emiſit Dux noſter quoſdam qui mortuum ſepelirent, verum cum in ſepeliendo iſti occuparentur, Hiſpani reuerſi ſunt, vexilla pacis præ ſe ferentes. Verum DRACO fidem eis habere recuſauit, & nauigatione ſua TAVROPASAM tranſmiſit. Ibi Hiſpanum dormientem in littore offendit, qui argentum 4000 coronatis non minus valens, ſecum habuit. Argento igitur accepto, Hiſpanum dormire juſſit, & iter ſuum verſus ARICAM direxit, vbi tres naues in anchoris offendit, & prædæ expoſuit, reſeruatis ſibi tantum 1140. libris argenti. Cum autem in nauibus iſtis neminem inueniret, LIMAM ſtatim nauib. ſuis aduectus eſt, & in itinere vnā adhuc nauē cepit, pretioſis linteis onuſtam, quam ſecum abduxit.

Febr. Ann. 1579. Die 13. Februarij LIMAM venit, ibique in portu duodecim naues in anchoris inuenit. His omnibus direptis atq; ſpoliatis inter alia ciſtam nactus eſt, Regalibus onuſtam, itē bombycina & linteamina multa. Deinde per exploratores ſuos intellexit, adhuc nauem quandam, cujus nomen erat CACAFVEGO, ſupereſſe, quæ cum multis bombardis PAITAM verſus ſeſe recepiſſet in portū. Itaque pleniſſimis, celerrimiſq; velis eo nauigauit, ipſam perſecuturus. Cumque eo veniſſet, cognouit eā diſceſſiſſe PANAMAM verſus. Quo cognito, & ipſe PANAMAM nauigauit, interim in itinere nauem cū multis inſtrumentis nauticis adortus eſt, quam cū expugnaſſet, præter inſtrumenta iſta nautica, 81. libras auri, & aureum Crucis Domini ſignum, pretioſis vnionibus & gemmis, inprimis vero Smaragdis perpolitum, in ea inuenit. Quæ quidem omnia in ſuam claſſem recepit, & celerrimo poſtmodum curſu nauem illam CACAFVEGO inueſtigauit, donec eam tandem prope promontorium S. FRANCISCI, quod promontoriū 150. Leucis à PANAMA diſtat, adortus eſt. In ea multos precioſiſſimos lapides & vniones, tredecim arcas Regalibus refertas, optimi auri libras 80. & tredecim tonnas argenti inuenit. Cumque Magiſter nauis duos argenteos & deauratos ſcyphos haberet, alterum Duci noſtro, alterum Quæſtori tradere coactus eſt. Cæterum poſtquam ſpoliata hac naui abitum Dux noſter pararet, mediaſtinus quidam Hiſpanici Naucleri, ad Ducem noſtrum conuerſus, dixit: Domine Capitanee, Noſtra nauis impoſterum non CACAFVEGO, id eſt, ignem vomens, ſed CACA PLATA, id eſt, argentum ſpuens: Veſtra autem CACAFVEGO nominabitur. Quod audire Duci & nobis omnibus valde gratum fuit.

Inde Occidentem verſus nauigauit, vbi nauis ipſi fit obuia onuſta linteaminib. & bōbycinis, & pulchris CHINENSIBVS patinis. Ex qua quantū ipſi placuit, ſecum abſtulit. Aderat hac in naui nobilis quidam Hiſpanus, qui Falconem aureum miro artificio fabrefactum cum pretioſiſſimo Smaragdo in pectore habebat: Hunc vbi vna cum nauarcho ſibi tradi Draco petijt, & vtrumque obtinuit. GVATVLCAM deinde petijt, quo cū perueniſſet, judicem cum tribus officiarijs in foro inuenit, decidentes & ſtatuentes ſuper delictis quorundam Æthiopum, qui pagum illum incendio ſubuertere decreuerāt. Quare judicem, vna cum reis in naues abduxit, & ei ſerio mandauit, ad ſuos ſcribere, vt omnes pago exirent, donec aquam pro claſſe ſufficientem ſui hauſiſſent. Hoc facto, Draco in terram deſcendit, pagum exſpoliaturus atque inter cætera vaſculum refertum Regalibus, modium vnum adæquans nactus eſt. Thomas Moene vero cum Hiſpanum quendam fugientem videret, eum acerrime inſecutus eſt, atq; eo capto catenam ei aureā collo detraxit, cum alijs reb. pretioſis. Hinc profecti claſſe noſtra, ad Inſulam CANONA ſiue COCLIDEM peruenimus. Vbi nauibus omnibus collectis, eiſque rebus neceſſarijs, omnibus rurſus inſtructis, cum claſſem pelago rurſus committere vellemus nauem in PHILIPPICAS Inſulas nauigaturam conſpeximus, quam, cum paululum perſecuti eſſemus, cepimus, atq; demptis inde reb. & mercibus melioribus, rurſus dimiſimus.

Pera-

Peractis hiſce omnibus reputabat ſecum Dux noſter omnes injurias & damna tam ſibiipſi, quam ſuæ Reginæ, & ejus Regno ab Hiſpanis illata, ſe jam ſatis vltum eſſe, ſperabat etiam Reginam ſuam his quoq; rebus à ſegeſtis contentam fore. Itaq; reditũ in patriam meditabatur, & hoc paulo diligentius, quanam via redeundo, tutiſſimũ iter ipſi eſſet futurum, verum metuens Hiſpanos hinc inde ipſum obſeruaturos in reditu, ſimulque pericula illa in memoriam ſibi reuocãs, quæ prope fretũ MAGELLANICVM verſus Auſtrum ipſi acciderant, tandem eo deuenit, quod ſcilicet ad MOLVCCAS Inſulas nauigare vellet, tenendo curſum illum quẽ Luſitani veniẽtes domo per promontorium BONÆ SPEI tenerent. Quare cum claſſem, vti inſtituerat, per MOLVCCAS traducere domum vellet, interimq; maximam tranquillitatem ventorum perſentiſceret: coactus eſt ſeruare curſum Hiſpanicum, vtpote Septentrionem verſus: permẽſuſq; adhuc 600. leucas in longitudinem, vt ventum idoneum aſſequi poſſet. Protrahebatur hæc longa nauigatio à 16. Aprilis die, vſq; ad tertium Iunij. *Aprilis An.* 1579.

Quinta Iun. cũ eſſet ſub 42. Gradu verſus polũ arcticũ, tãtum frigus expertus eſt, vt ſocij ipſius tolerare id amplius nõ poſſet. *Iunius An.* 1579. Quare terram aliquam inueſtigare ibiq; appellere cogebatur. Prima ergo quam conſpexit regio ita niuibus obruta erat, vt nauibus egredi non luberet. Progreſſus igitur vlterius ſub 38. gradum lineæ peruenit, ibi pulchrum & amœniſſimum ſinum maris ingreſſus anchoras ejecit: Quo facto ſtatim ad eũ accolæ illius regionis accelerarunt, ædes horũ proxime ad littora extructæ erant. Hi Ducẽ ſuis muneribus afficiebant, & viſis pulcherrimis atq; precioſiſſimis iſtis reb. quas Draco & ſocij ſecum attulerant, vltra modum commirati ſunt. Draco autẽ remunerauit eos ejuſmodi quibuſdam rebus, quibus nuditatem ſuam tegere poſſent. Itaque tam ipſum quã ſocios ejus Deos exiſtimabant. Aliter enim gens iſta edocta tum non erat. Munera quæ offerebant, erant ornamenta pennacea ſiue criſtæ, & vittæ in morem retis conſtructæ. Ædes eorum in circulum quaſi conuallatæ



& ab infimo loco vſq; ad cacumen, in cuſpidis modum acuminatæ erant, & in cuſpidibus tam arcte vndiquaque connexæ, vt propter nimiã coarctationẽ frigiditas fere omnis excluderetur. Lecti eorum erant terra ipſa, ſtrata juncea quadam tenuiori materia, decumbunt hinc inde per ædes: in medio domus ignẽ fouẽtes. Viri prorſus nudi incedũt: Mulieres vero carminatũ juncũ, nõ abſimilem cannabi carminatæ pro veſtibus pendulis

dulis habent, circiter corporis medium alligatũ, ſuper humeris pellẽ ceruinã crudã gerunt: viris admodum obedientes & morigeræ. Hic Draco tabernaculum ſuum ad radices montium ponebat, quo ſe populus iſte cum criſtis & ſacculis ſuis Tabaco refertis quotidie conferebat. Virum quendam miris modis exagitabant, vt more patrio orationem ad nouos hoſpites haberet. Interea fœminæ ab honeſtatis norma deflectẽtes ſeipſas excruciabãt carnes genarũ ſiue malarũ ſuarum tetrè dilacerantes. Ex quibus colligi licebat, quod conjurationibus & decãtationibus quibuſdam effaſcinati eſſẽt. Fama per vniuerſam regionem peruagatã, multi ex incolis, imo Rex etiam ipſe, Ducem noſtrum ſalutandi gratia conuenerunt. Et ante quam Rex quidem ipſe acceſſiſſet, miſſi fuerunt duo primarij viri, quos legatos nominamus, ſaluumcõductum pro Rege exoraturi. Quo conceſſo ad regis placitum, in pompa Regia ingrediebatur, præmiſſo ſceptro regio, duabus coronis, & tribus artificioſiſſime cõtextis catenis ex oſſea quadam materia inſignito. Sceptrigerum Rex è veſtigio ſequebatur, cum ſua GVARDIA ſiue cuſtodia militari. Rex veſtitus erat pellib. cuniculorũ, & alijs pelliceis. Ipſum ſequebatur turba nudorum virorum, quorum facies diuerſiſſimis coloribus illuminatæ erant: Quilibet eorum, etiã liberi, munera DRACONI afferebant. His ſic incedentibus, DRACO ſuos in ordinẽ redegit in cuniculis illis, ibidem extructis, in formam aciei cujuſdã, viſu non injucũdæ. Poſtmodum ſceptriger ille Regius orationẽ habuit, quæ per alium ad hoc inſtructũ expoſita fuit: Qua finita omnes aſtãtes, ſuo ſuffragio per Amen eam approbabant. Tandẽ Rex ipſe cum ſuis optimatibus ad ipſum appropinquabat. Interea Sceptriger inchoabat cantum quendam, quaſi ſaltaturus: quẽ Rex, cum vniuerſa turba, lætus cantans & ſaltans imitabatur. Mulieres quidem in ſaltu ſequenbatur, verum canere nulla voluit. Quo peracto, tandem Rex ipſe proceresſque cum populo, Draconem Ducem noſtrum in regem eligere voluerunt; innuentes ſe titulum juraq; omnia ejus regni ipſi tradituros, etiam deſuper cautionem præſtituros. Et nõ longe poſt Rex cum comitatu ſuo ad DRACONEM cum ſingulari reuerentia properabant, læti ſaltantesq; coronam capiti ejus impoſituri. Collum ornabant ſuis catenis, venerantes eum ſub nomine Hioch; condecorabantq; eum quaſi maximis plurimiſque triumphis. DRACO licet ignarus eſſet, quid commoditatis, diuitiarum aut amplitudinis regno Angliæ inde emerſurum eſſet, tamen in gratiã Reginæ ſuæ hoc quicquid erat ſceptrum, coronam & juriſdictionem hujus regni, animo ouanti in ſe ſuoſq; tranſumebat; hoc vnicum in votis habens, vt ſic omne in incrementum & laudem Regiæ ipſius Majeſtatis redundaret, vti ante oculos magnas opes hic coram videret paratas. Interea quo DRACONI iſte honos conferebatur, vulgus etiam ſocijs & miniſtris ſua offerebant munera, cum ejulatu & dilaceratione miſerabili malarum ſuarum. Verum Angli deteſtati ejuſmodi lanienam cœlum ipſis mõnſtrabãt innuẽtes, ibi Deum viuum eſſe, quem omnes adorare & reuereri deberent.

Cum deinde populus omnis ab eo diſceſſiſſet, DRACO cum ſocijs ſuis in terram longius exſpaciatus, ferarum maximum numerum inuenit, inprimiſque ceruos quaſi mille vbique congregatos. Tota vero regio cuniculis abundabat, qui ex vtraque menti parte ſacculum geſtabant, quo cibum ſuum ſibi colligebãt. Pelles horũ animalculorũ apud ipſos sũt in maximo precio, ea de cauſa quod Regi veſtes præbeant. Inſulam hanc DRACO NOVAM ALBIONEM vocabat, ob ſcopulos albos, & quia aliquam cum Anglia, quæ olim ALBION dicta fuit, conformitatẽ habebat. Hoc in loco vix glebam aliquam attinges, quæ non aliquid auri aut argenti admixtum habeat. In ejus autem rei memoriam, quod ibi fuiſſet, ipſique datum eſſet jus & titulus imperij, nomine Reginæ ſuæ, in portu quodam monumentum quoddam argenteum extruxit, cui nomen Reginæ, diem aduentus, & voluntariam ſpontaneamq; illam oblationem hujus regni inſculpſit. In pede ejus dimidium ſolidum ſiue aſſem Anglicanum, vna cum Reginæ pictura & inſignijs affigebat. In baſi ſuo nomine aſſcripto. Hiſpanos in hanc regionem vnquam penetraſſe, vero ſimile non eſt.

His omnibus peractis, vela rurſus ventis *Octob. An.* conceſſit, & 13. Octob. ad inſulam quandam *1579.* venit, quæ 8. gradus à linea verſus Aquilonẽ ſita eſt. Ex ea perplures enauigarũt homines in CANOIS ſuis, adferentes ſecũ COCOS & id genus alios fructus. Populus iſte inferiora aurium in rotundum circumuoluunt, & carnes illas cum quibuſdam rebus pendulis per genas nutriunt. Vngues digitorum, in pollicis longitudinem alunt. Dentes adeo nigri ſunt, vt picem præ ſe ferant, ad id vero vt nigriores indies fiant, puluerem quendam ex quibuſdam idoneis herbis confectum, ſecũ circumferunt, quo crebrius vtuntur. Decima octaua Octobr. denuo aggreſſus ad aliquot alias Inſulas, vt puta TAGVLDAM, ZELONA & ZEWARVM Luſitanorum juriſdictioni ſubjacentes peruenit. Tandem ex lõga nauigatione in fines MOLVCCARVM

Inſu-

Inſularum intrauit. Hinc TIDOREM, circũnauigando littus Inſulæ MOTIR, quæ Regis TERNATENSIS Imperio paret, petijt. Verum ibi Regis vicario in mari obuiam factus, admonetur amice, vt ante omnia TERNATEN contẽdat, quam TIDOREM perueniat. Secus enim ſi eſſet facturus, Regem ſaluum conductum aut nullum, aut difficilem conceſſurum: idq; ea de cauſa, quod Luſitanos, qui jã TIDORENÆ eſſent, loco hoſtiũ haberet. Quare DRACO perſuaſus TERNATEN claſſe ſua iuit. Et in ſignum amicitiæ & pacis, Regi illius loci holoſericum pallium dono miſit, ſimulque ſignificari mandat, ſe non vt hoſtem ejus ad littora, ſed vti mercaturam exercere volentem perueniſſe, cujus licentiam ſibi concedi oraret. Rex hoc intellecto annuit, licentiamq; libere vbiuis negotiandi impertitur, inſuper & hoc addit, vti pro Regina ſiue domina ſua, cujus ſe miniſtrũ profiteretur, omnibus jurib. & priuilegijs Regni ſui vtatur. In ejus rei fidem ſignaculũ quoddam mittebat: & ſe ipſum coram, quamprimum naues ſuas in meliorem ordinem, quãtum erant, redegiſſet, vẽturum ſignificabat. Cum itaq; Rex veniret, quatuor CANOAS præmiſit, in earum ſingulis ſinguli ex ejus optimatibus inerant, ſplendide albis CALECVTICIS pannis, quos IFFEL nominant, indutus. CANOÆ ſtratæ erant deſuper ſtoreis odorem fragrantiſſ. & pretioſum ſpirantibus: decumbebatur ſuper molli ſtramine arundineo. Ad claſſem noſtram vbi appropinquaſſent, reuerenter admodum hoc clariſſimis tecmirijs innuebant, quod miſſi eſſẽt à Rege ſuo, vt claſſem in tutum portum deducerent. Hos Rex ipſe ſex viris ſenioribus comitatus ſequebatur, viri iſti muſicali aliquo artificio ipſum oblectabant. Dracus omnes quibuſdam pretioſis muneribus affectos à ſe dimittebat. Rex cum jam domum redire vellet, ſe altera die rediturum pollicebatur. Interim ea ipſa veſpera pro claſſe alimentanda, ſaga, oryzam, pullos gallinaceos, & caryophyllos ſummittebat. Inſequenti die Rex vti promiſerat, nõ redijt, ſed per fratrem ſe ipſum excuſari curauit. Interim Dracum orare in regiam ſuam deſcendat, verũ Dracus quod fidem datam Rex non ſeruaret, aliquid ſiniſtri ſecum animo concipiens, etiam ſe excuſare cepit, interim tamen aliquot nobilium ſuorum ablegat, vt fratri regis omnem animi ſui beneuolentiam ſignificarent & quicquid grati poſſent, facerent. Vicerex interim loco obſidis apud Dracum præſtolabatur. Nobiles à Draco emiſſi, vt in regiam venerant, non modo à rege ipſo, ſed etiam ſexaginta grandæuis viris, conſiliarijs & proceribus regijs, magnifice & laute excepti ſunt. Rex ad talos è medio corporis demiſſa talari aurea indutus erat, poplites ejus omnino nudi, pedes calceis ex optime præparato corio confectis induti erant. Capite aureis catenis redimito à collo aurea catena magni precij pẽdebat. Digiti multis pretioſiſſimis vnionibus ornabantur. A dextris ſellæ regiæ puer quidam cum ventilabro, in modum vanni cujuſdam conſtructo, & circumcirca multis ſapphiris adornato ſtabat, quo Regi auram temperaret. Cum jam rem ſuam pro animi ſui lubitu nobiles Anglici confeciſſent, & ad naues redire vellẽt, per aliquem ex proceribus regijs ad claſſem honorifice deducti ſunt. Rex iſte ſeptuaginta & vni Inſulis imperat. Iejunia habent ſub certis nouilunijs, vbi per integrum diem ab omni cibo & potu abſtinent, noctu tandem famẽ ſedant. Dracus vt ſuos ad claſſem recepit, cum omnis generis vitæ & vſui ſuo neceſſarijs, inde nauigauit, verſuſq; Auſtrũ à latere Inſulæ Celebes, aliã ad inſulã peruenit, in qua maximæ & craſſiſſimæ arbores vndiquaque conſpiciebantur, ramos nullos habebãt, niſi in cacumine ipſarum. Noctu hinc inde volitabant vermes volantes & lucidæ. Magnitudine muſcas non excedebant, verum tantos radios de ſe ſpargebant, vt earũ quamlibet ſingulas ardentes, candelas dixiſſes. Ibidem genus veſpertilionum inuenerunt, vix Gallinis minores. Item tantos cancros, vt famelici quatuor ſtomachi ab vno famẽ ſatis explere poſſent. Piſces iſti cuniculos agunt, non ſecus ac ipſi cuniculi terreſtres. Conſcenſis hic iterum nauibus, ad Molluccas quidẽ Inſulas appellere volebat, verum tempeſtatibus rejectus vix ſummis cũ laboribus in occidentem verſus Aquilonem circa Celeben Inſulam cõſtitit. Cum itaque hic propter contrarium ventum curſum ſuũ Occidentem verſus habere non poſſet, verum in auſtrum tendere proram cogeretur, animaduertit, iter hoc valde periculoſum propter tenuitatem aquarum, quæ Inſulis vndique adjacebat, vnde non modo paulo poſt de claſſe, verum etiam de vita & vniuerſis ſuis rebus periclitaretur. In his anguſtijs conſtitutus, nona die Ianuarij Anno M.D.LXXX. tandem in ſcopulum quendam nauis ipſius illiſit, & ſic ab hora octaua illius diei pomeridiana, vſque ad veſperam ſequentis diei circiter quartam horam, ibi inhæſit. Omni ſpe humanarum virium deſtitutus, tandem opera diligenti & ſociorum, & propria, non ſine euidenti Dei auxilio, & cum ſummo periculo inde liberatus fuit, cum tria dolia caryophyllis referta, octo bombardas magnas, & aliquam partem farinæ & fabarũ in mare, vt ſe alleuiarẽt, proieciſſẽt. Ad quod

Ianuar. An. 1580

cum

cum etiam ventus adiuuiſſet, qui à puppi ad proram ſe conuerterat, vela ſua rurſus pandi curauit, ſicque pedetentim in altitudinem non abſque maximo gaudio à ſcopulo receſſit. Pro cujus auxilij beneficio Deo optimo & maximo infinitas gratias perpetuo habuit.



Febr. An. 1580.

Octaua die Febr. in oſtium Baralenæ Inſulæ penetrauit, Gentes hæ licet barbaræ, tamen valde humanæ erant. Itaque cum eis mercimonia commutare cœpit, viri nudi incedunt, exceptis capite & pudendis, quæ aliquo modo contegunt. Mulieres vero ab vmbilico verſus talos indumentis quibuſdã conueſtitæ ſunt, monilia ſex, ſeptem, interdum & octo, ex oſſea, cornea, atque caprina quadam materia ſecum circumgerunt. Linteamina ſunt hic in magno pretio. Regio hæc pollet auro, argento, cupro, ſulphure, nucibus Muſcatis, Zingibere, pipere longo. Ex hiſce omnibus Dracus tantum, quantum poterat, ſecum aſportabat. Incolæ magnam experientiam metalla ex ſe inuicem diſcutiendi, & inde omnis generis mechanica extruendi opera habent. Hinc progreſſus Iauam majorem venit, admodum benigne ab incolis exceptus. Inſulas haſce reges quinque regunt, Raiah omnes vocantur, ſcilicet Raiah Donaw, Raiah Mangban-Ge, Raiah Calnecapello, &c. Admodum concordes & vnanimes inuicem viuunt. Interdum duo interdum tres pluresue horum incolarũ ad naues ejus perueniebant, mire oblectabantur rubeis, viridibus & eius generis depictis pannis. Nudi incedunt verſus ſuperiora, excepto thorace, quem Turcica quadam vitta obuelant, ad t los pendato quodam bombycino, quod poſt ſe pendatum in terra trahunt, quilibet eo colore, quo ſibi complacet, circumueſtiuntur. Armati ſunt enſibus, ſcutis, & pugionibus, quos miro artificio conficiunt, ſic vt Dracus ijs oblectatus aliquot coemerit. In ſingulis pagis ſuis ædes magnas habent, in quibus quotidie conuenire ſolẽt, nõ modo viri, & mulieres, verum etiam pueri. Quilibet ſecum tales cibos eo ſumit, quibus apprime afficiuntur, alius fructus, hic oryzam, ille aſſatas gallinas, hic ſaga, alius alia. Menſæ eorum tres pedes à terra in altum poſitæ ſunt, his ferculas imponunt, ſic, vt omnis qui mẽſæ aſſidet, eas capere libere poſſit, & vnus alterum oblectet edendo. Oryzam ea ratione coquunt, vt alij apud nos panem

nem

nem Marcium ſiue Zuccharinum. Primo enim ollæ foraminoſæ, apertæ eo in loco, vbi capacior, & magis ſpacioſa eſt, infundunt oryzam aridam. Deinde ollam hanc in aliam ollam aqua efferueſcenti plenam imponūt. Vbi cum pauliſper oryza ebullit prope ignē, intumeſcit, & ita foramina obſerantur, & aqua omnis penitus excluditur, hinc ebullitione illa aquæ oryza indureſcit, ſic vt in panem optimum concreſcat. Ex quo poſtmodum, cum oleo, butyro, zuccharo & alijs id genus aromatis, dulciſſima & ſuauiſſima fercula excoquunt. Lues gallica alibi dicta, hic valde frequens eſt. Hanc ſic curare ſolent. à decima hora diei, vſque ad ſecundam pomeridianam ardentiſſimo ſoli ſeſe exponunt ægroti, ſicque peccantem & malignam qualitatem extirpant ſiccando. A Iaua maiore egreſſus ad promontorium Bonæ ſpei peruenit. Geographicas tabulas Luſitanicas in eo omnino falſas deprehendit; quod aiunt, hic omnium periculoſiſſimum fretum, quod toto Oceano eſſe poſſit, reperiri. Siquidem tā ſuæ nauigationi hoc loco æquor aptum inuenit, ac per vniuerſam ſuam expeditionem, hucuſque totum Oceanum permenſus, habuerit.

Iunius An. 1580 Decima octaua Iunij naues conſcendit: & vigeſima ſecūda Iulij Inſulā Sierram Leonam dictam adnauigauit. Ibique cornucopiam omnium rerum neceſſariarum nactus eſt. Inprimis hic magnas copias Elephantorū videre poſſes, & fructum quendam oſtraceis non diſſimilem, arboribus naſcentem, in tanta copia vt folium vix cernere liceat.

Iulius An. 1580. Vigeſima quarta Iulij Sierram Leonam reliquit; & poſt varios caſus & tot diſcrimina rerum feliciter & laudabiliter à ſe geſtarum, *Nouemb. An.* 1580. tertia die Nouemb. Anno Domini 1580. in Angliam rediijt. Cum integrum triennium in perficienda iſta celeberrima expeditione nauali conſumſiſſet, quam tamen cum tanta laude & gloria ad portum deduxiſſet, vt inde non ſolum cum immēſis diuitijs domū redierit, ſed etiam immortale decus & ſibi & patriæ ſuæ compararit.

SECVNDVM ITER SIVE NAVIGATIO ET EXPEDITIO, A FRANCISCO DRAKEN

equite Anglo, in Indiam occidentalem ſuſcepta: vbi ſimul exponitur quid in Inſulis ac oppidis S. IACOBI, S. DOMINICI, S. AVGVSTINI, & CARTHAGENÆ *acciderit, præſtitumque ſit.*

Anglia. FRANCISCVS Draco Eques Angl⁹, vt Reginæ & patriæ ſuæ nomē celebre apud omnes & clarum redderet, iterum conſtituit iter, & expeditionem in Indiam occidentalem ſuſcipere. Præparatis igitur 25 nauibus, aſſumpſit 2300. perſonas, milites partim probatos, partim nautas & nauium gubernatores, eoſque ex Anglia Anno 1585. die 12. Septemb. ad portum, *Phleumonth. 12. Septēb.* quem vulgo PHLEVMOVTH nomināt, adduxit. Inter eos multi præſtantiſſimi centuriones ſiue Capitanei exercitatiſſimi, & nobiles fuerunt, quorum nomina ſunt, CHRISTOPHORVS CARLEIL, ſupremus præfectus ſiue legatus, terra marique miles exercitatiſſimus, MATTHÆVS MORGAN, IOHANNES SAMPSON, ANTONIVS PLOTT, IOHANNES MARCHANT, GEORGIVS BERTON, GVALTHERVS BYGGES, RICHARDVS STANTON, & IOHANNES HANNAM, qui terra potiſſimum valebant. Mari vero præſtantes, & qui munera quædā in nauibus geſſerunt, erant MARTINVS FROBISHER Admiralis ſiue Archithalaſſus, rei nauticæ peritiſſimus, qui aliquoties Ducem exercitus in pugna nauali egerat. Item FRANCISCVS KNOL, THOMAS FRENAR, GVILELMVS CICEL, IACOBVS CARLEIL, HENRICVS WHYTHE, THOMAS DRAKE, THOMAS SEELY, DVX RINERS, DVX GROSSE, DVX FORTESCH, DVX CARLES, DVX HANVKINS, DVX ERITZO, DVX MOONE, DVX VAGHAN, DVX VARNEY, & DVX GILMAN. Quibus inſuper multi adhuc nobiles adfuerūt, quorum nomina commemorare nimis longum foret.

Principio igitur cum 18. Septemb. inde ſoluiſſemus ad VAIONAS Inſulas Hiſpaniæ peruenimus, coacti nimirum aduerſo vento & tempeſtate maxima, quemadmodum etiam recentis & dulcis aquæ defectu. Quamprimum autem anchoras ibi firmaſſemus, mandatum à Duce accepimus, vt nauibus noſtris populo & armis neceſſarijs inſtructis, ad pugnam & omnem fortunam nos parare-

mus. Quia & ipſe ſuam GABOT (vt naues iſtæ vocantur) ingreſſus ciuitatem VAIONA petijt, eo fine vt eam Dei beneficio & ope expugnaret. Sed cum vix ad dimidium miliare progreſſi eſſemus, venit nobis obuiā mercator quidam Anglus, quem præſes vel Gubernator iſtius ciuitatis ablegauerat, vt nos interrogaret qui eſſemus, & vnde veniremus. Cum hoc locutus Dux noſter, accerſitum Capitaneum SAMPSONEM, ad dictū iſtius ciuitatis VAIONÆ præſidem ablegauit, vt de duobus capitibus eum interrogaret, PRIMO, An pax vel apertum bellum inter Hiſpanos & Anglos eſſet. Deinde, cur mercatores noſtri cum bonis ſuis ibi detinerentur. Hic Capitaneus SAMPSON vbi cum ſupradicto mercatore in ciuitatem veniſſet, animaduertit omnes ciues, quin & ipſum præſidem, non parum turbatos & ſollicitos, propter ſubitam iſtam & inſperatā impreſſionem. Interea autem Dux noſter ceſſare noluit, ſed de conſilio CHRISTOPHORI CARLEIL ſupremi præfecti ſui, decreuit propius ad ciuitatem accedere, vt ſi neceſſitas ita poſtularet poſt reditum dicti capitanei SAMPSONIS, antequam veſpera facta eſſet, ex improuiſo ciuitatem vel expugnare, vel ad minimum cohercere poſſet. Paulo poſt ex ciuitate reuerſus SAMPSON, hoc reſponſi attulit; primo quod pacem vel bellum inter Anglos & Hiſpanos concerneret, non poſſe præſidem aliquid certi reſpōdere, propterea quod ſubditus eſſet Regis ſui, bellum autem gerere ſuum non eſſet ſed Regis, cujus ciuitas iſta eſſet. Secundo, quod mercatores Anglos ad hos quidem ex mandato & juſſo Regis, cum bonis ſuis ibi detentos aliquantiſper, ſed non hoc fine vt ex ea detentione damnum aliquod ſentirent, præſertim cum etiam ante octiduum, Regis nomine mandatum tale publicatū eſſet, vt mercatoribus Anglis liceret, cum bonis ſuis diſcedere, proficiſci & nauigare ſine vllo metu, quocunque vellent. Hoc vt confirmaretur ita eſſe, miſit ſtatim præſes iſtius ciuitatis, aliquot noſtratium mercatorum, qui tum tēporis in ciuitate VAIONA erant, & mercaturam ibi exercebant, vt ejus rei teſtimoniū perhiberent. His ita commemoratis atque expoſitis, deliberatum eſt, quid factu optimum videretur, nam circa veſperam primū ex nauibus egreſſi eramus, ad locum quendam qui tutiſſimus ad pernoctandū & commodiſſimus viſus erat.

19. Sept. Sequenti vero die miſit nobis præſes ciuitatis iſtius, panes, vinum, oleum, poma, botros, Marmaladas (qui cibus ex melle præparatus erat) & id genus alia, in recreationē noſtri, ſed circa medium noctis accidit mutatio aeris, quam poſtea magna tempeſtas ſecuta eſt, ita vt conſilium mutaremus, optimum & maxime conſultum fore putantes, ſi ad naues rurſus primo quoq; tempore properaremus. Nam tempeſtas quidem ea ita inualuerat, vt antequam naues contingere poſſemus, ſolutis & conuulſis anchoris, quaſdam in mari oberrare videremus. Quin imo venti tam vehemētes fuerant, vt nautæ quidam etiam inuiti, non ſine ſummo periculo ſoluere, & vētis cedere cogerentur. Et ventis quidem ſeſe commiſerant, nauis TALLEBOT, nauis HAVKINS, & alia SPEEDWEL dicta, quæ ſola mirabiliter in Angliam reuerſa eſt, reliquæ autem nos rurſus aſſecutæ ſunt, & hæc quidem fortuna ſiue tempeſtas tres dies integros durauit. Vt ceſſauit autem, miſit Dux noſter præfectum CARLEIL cum GALEOTTA, & naui ſua altera, tribus item alijs, & aliquot minoribus nauigijs, ad ciuitatem VIGON, vt videret, an ibi vel in vicinia aliquid acquirere, & ſpolium referre poſſet. Quod ipſum non caruit ſuo fructu. Nam in itinere aliquot naues, comprehendit, omnis generis vaſis domeſticis onuſtas, ex quibus non parum lucratus eſt. Inter alias a. vna omnis generis & ſacra munera ad eccleſiā Parochialē ciuitatis VIGON pertinentia, vaſa item argentea, & crucem ingentis magnitudinis, artificioſiſſime cælatam atq; elaboratam, quæ magni æſtimabatur, vehebat. Itaq; (vt poſtea narratum nobis eſt) incolæ vrbis VIGON conqueſti ſunt, ſe tum temporis vltra 40000. coronatos amiſiſſe. Vigon.

Poſtero die Dux noſter ex hiſce Inſulis ſoluens, ciuitatem VIGON reliquit, & portum ſibi aliquem elegit, qui commodiſſimus videbatur, tam nauibus ſuis ordinandis & quietandis, quam vaſis noſtris aqua recenti rurſus implendis. Dum autem ibi eſſemus, venit ecce gubernator ex GALLICIA, (quo loci olim CALLAICI, juxta quorundam ſententiam, habitarant) afferens ſecum exercitum quantum colligere ſubito potuerat, cujus numerus dicebatur fuiſſe 2000. peditum, & 300. equitum, cumq; non procul à nobis abeſſet, & locum quendam occupaſſet, ex quo claſſem noſtram intueri optimè poterat, miſit quoſdā qui cum noſtro Duce loquerentur, qui accedentes colloquium impetrarunt, hac conditione, vt celoce vel alia nauicula accederent, datis ab vtraque parte ſuis obſidibus. Hac conditione acceпta, ingreſſus eſt Gubernator ipſe cum trib. alijs, in Admiralis noſtri nauem, quæ in eum finē ad littus perducta fuerat. Eadē ratione & Dux noſter nauem ſuam ingreſſus, ei obuiam proceſſit. Congreſſi igitur cum multa locuti eſſent, concluſerunt, licitum eſſe debere 20. Sept.

bere populo noſtro, tantum recentis & dulcis aquæ haurire, quantum vellent, quin & omnia alia quæ ad recreationem noſtrã pertinerent, integrum nobis eſſe debere, pecunia noſtra ab incolis redimere.

Palma. Inde progreſſi ſumus, ad Inſulas CANARIAS eo conſilio, vt Inſulam PALMAM occuparemus, & de rebus omnibus nobis abvnde proſpiceremus, quas ex Inſula iſta habere potuiſſemus. Cum autem eam non niſi vno in loco aggredi poſſemus; qui locus multis propugnaculis munitus erat; ex quibus aperte nos tormentis & ſclopis petere hoſtes poſſent, quemadmodum etiam nõ pauca in nos tormenta emiſſa ſunt, coacti ſumus mutato cõſilio, inde diſcedere, præſertim cum etiam maris incommoditas & vortices innumeri; nos auocarent, qui nobis nõ parum incommodare potuiſſent. Relicta igitur iſta Inſula, aliam petijmus, vulgo DEL FERRO dictam, (quæ ante hæc tempora, vt quidam volunt, PLVITALIS vocata eſt) ſi fortaſſis res ibi melius ſuccederent. *Del Ferro.* Cũ igitur ibi appuliſſemus, mille milites qui ex naui noſtra deſcenderant, in valle quadam ad radices montis alicujus, tribus vel quatuor horis commorati ſunt, & aciem inſtruxerũt, interea venerunt ad nos Incolæ, adducentes puerum quendam ex Anglia oriundum, qui in iſta Inſula diu vixerat. Hic indicabat nobis, paupertate & inopia maxima eam laborare, ita vt incolæ vix famem pellere poſſent, & tantum non morerentur. His igitur auditis juſſit nos Dux noſter quam primum naues noſtras repetere, vt eadem adhuc nocte regionem Africæ conterminam, ſecundo vento peteremus. Itaq; die Saturni qui erat 13. Nouembris in regionem quandam delati ſumus, vulgo CAPO BIANCO dictam, quæ vaſta & admodum depreſſa humiliſque erat, quin & mare eo in loco tam humile fuit, vt multos piſces ibi ceperimus. *13. Nou. Capo Bianco.* Poſtea peruenimus in locum quendam, qui portus vel ſtatio nauium fuiſſe videbatur, ibi offendimus quaſdam naues Gallicas, Cumq; Nauarchus & reliqui nautæ humaniter exciperentur, populus noſter, qui capiendis piſcibus operam dabat, & varie diſſipatus erat, poſt acceptum prandium rurſus congregatus eſt, & inde ſoluentes ad Inſulas DEL CAPO VERDE dictas peruenimus. *Capo Verde.*

16. Nou. Decimoſexto ejuſdem menſis Nouembris cum nobis ſummo mane Inſula S. IACOBI viſa eſſet, firmauimus ad veſperam anchoras noſtras, inter ciuitatem PLAY ſiue PRAY dictam, & aream S. IACOBI, vnde tota Inſula nomen ſuum obtinet. *S. Iacob. Play.* Deſcenderunt igitur ibi ex nauibus mille armati, quos CHRISTOPHORVS CARLEIL ſupremus præfectus ſiue legatus, Ducis deduxit, qui tum temporis ſicut etiam antea ſemper rem omnem prudentiſſime & fortiſſime geſſit. Iter quo eundum fuit, admodum arduum & incommodum erat, vallibus & ſaxis infeſtũ; vnde ſæpe nobis accidit, vt dum ſaxa iſta circumiremus, acies & ordo inſtructus diſtraheretur, nec tamen ceſſare vel ſubſiſtere nobis licebat priuſquam iſta via ſuperata in apertum campum veniſſemus, vbi ordinem & aciem de nouo inſtruxit.

Cum igitur in plano & patenti campo eſſemus, proceſſimus in noſtro ordine eo vſq; donec tantum dimidio miliari à ciuitate abeſſemus, vbi ſubſiſtere juſſi ſumus, nec quicquam ante diem alteram moliri; cum neminem haberemus, qui viam nobis ad vrbem monſtraret, & locus nobis plane incognitus eſſet.

Sequenti autem die dimidia ante lucem hora, populum in tres Legatus ducis noſtri ordines diſtribuit, ita vt exoriente ſole in ordinem jã eſſemus collocati, vbi licet propius ad vrbem accederemus, neminem tamen conſpeximus, qui nobis hoſtiliter reſiſteret. Itaque Dux noſter duos Capitaneos; SAMPSONEM & BARTONEM ablegauit; adjũctis vnicuiq; 30. ſclopetarijs, qui quamprimum in ciuitatem (quæ quidem in valle ſita erat, ita vt nos in vertice montis conſtituti, facile eam contemplari poſſemus) deſcenderent. Eodem tempore vexillum etiã majus, quod cruce rubra; Anglico more, diſtinctum erat, ereximus; vt qui in claſſe erãt ſignum noſtrum regium propugnaculo hoſtium jam affixum viderent; poſtea mandatum eſt, vt omnia tormenta ænea; quorum vltra 50. in mœnibus ciuitatis erant, emitterentur, in memoriam regiæ dedicationis; quemadmodum hoc quotannis in tota Anglia die 17. Nouembris ſolet, idq; ex vna parte. *17. Nou.* Idem vero etiam ex altera parte ab illis qui in claſſe adhuc erant, factum eſt; tanto fragore, ſono, & ſtridore vt aer vndique repletus, aures noſtras maxime feriret.

Interea Legatus Ducis, maximam partẽ militum in monte retinuit, donec in vrbe de diuerſorijs nobis proſpiceretur, & quilibet ſciret in quem locũ diuertere deberet; cuilibet enim Capitaneo certus locus datus eſt, vbi cum ſuis ſeſe contineret, & excubias ageret, ne periculum ab hoſte timere cogeremur.



INſula S. IACOB, ex omnibus quæ Africam contingunt celebertima eſt, ſita è regione CAPO VERDE. Et ab hac Inſula, reliquæ omnes, etiamſi aliquot miliaribus inuicem diſtent, nomen ſuum acceperunt. Ciuitas S. IACOB, idem habet nominis cum ipſa Inſula, & mercaturam exercet, cum GVYNEA, & aliis vicinis regionibus Africæ, vnde omnis generis merces per mercatores in Portugaliam ſiue Luſitaniam tranſuehuntur.

Explicatio numerorum præcedentis tabulæ.

1. Locus eſt vbi claßis Britannica primo ſubſtitit, & anchoras firmauit. 2. Locus quatuor fere miliaribus à ciuitate diſtans, vbi Anglicani milites ex nauibus egreßi ſunt. 3. Via qua Angli, montes ſuperarunt. 4. Campus latus & vndique patens, vbi Angli aciem inſtruxerũt, ad oppugnandam ciuitatem. 5. Acies Anglorum. 6. Propugnaculum extra ciuitatem S. IACOB, per quod Angli ciuitatem ingreßi ſunt. Erat autem in loco editiori ſitum, vt ex eo ciuitas luſtrari commode, & iter quæ ad eam duceret eligi poſſet, ſita eſt enim ciuitas inter duos montes, & valles habet arboribus fontibuſque ſaluberrimis maxime conſpicuas & iucundas. 7. Vallis ipſa, in qua ſalutarium herbarum, & ſuauißimorum fructuum, vtpote Dactylorum, Chyſomelorum, ſaccari & aliorũ, maximus eſt & vberrimus prouentus. 8. Forũ in ciuitate. 9. Tēplũ ciuitatis. 10. Propugnaculũ mediũ verſus mare, omni munitione inſtructum. 11. Propugnaculum verſus occaſum, tormentis probe munitũ. 12. Propugnaculũ verſus ortum, tormentis munitum. 13. Locus apertus in cacumine montis verſus occaſum, armis æque vt propugnacula cætera inſtructum, per quem Angli ſunt ingreßi. 14. Sacellum, verſus occaſum ciuitatis extructum, quo ex foro peruenitur. 15. Incolæ Portugallenſes ex ciuitate S. IACOB fugientes. 16. Via qua Angli ad locum S. DOMINIGO profecti ſunt, quem Epiſcopus cum præcipuis Inſulæ proceribus tenuerunt, qui aduenientc Anglorum exercitu, in fugam verſi ſunt. 17. Locus S. DOMINIGO, qui in medio Inſulæ ſitus, 12000. paßibus à ciuitate S. IACOB, abeſt. 18. Locus mari vicinus, Prayo dictus, quē Angli ſub diſceſſum ſuum, quemadmodum etiam ciuitatem S. DOMINIGO, igne perdiderunt. 19 Piſcis volans (ſeu auis potius) ad viuum expreſſus, quales in mari Atlantico innumeri inueniuntur, ita vt aliquando in naues cadere ſoleant, cum enim ad 200. paſſus volarunt in mare rurſus decidunt. Aliquando magna copia conuolant, vt Delphino vel BONITO, qui etiam marinus piſcis eſt, & ipſis inſidias ſubinde ſtruit, reſiſtant, vltra dimidiam vlnam in longitudine non habent.

Commo-

Commorati ſumus igitur ibi 14. diebus, & ſpolia accepimus, quæ ex terra prouenerāt, vinum, oleum, acetum, & alia, merces etiam quæ inde ad alia loca tranſmittuntur. Auri autem & argenti, nihil accepimus, nec quicquam aliud alicujus precij. Eodem tempore cum adhuc ibi verſaremur acciderunt quædam non indigna relatu. Venit ad nos Caduceator quidam ſignū induciarum præ ſe ferens, ad quem duo centuriones SAMPSON & GEORGIVS miſſi ſunt, quos ipſe primo interrogauit, vnde veniſſent & qui eſſent; eumq; reſpondiſſent nos Anglos eſſe, quæſiuit porro, an inter Anglos & Hiſpanos bellū intercederet? cui dixerunt noſtri, ſibi adhoc reſpondere, licitum & permiſſum non eſſe, debere autem eum Ducem interrogare, ſi aliquid certi ea de re cognoſcere vellet, ſe autem fidem daturos, quod ſine vllo periculo & detrimento ſaluum ad Ducem noſtrū ducere & reducere vellent, verum ipſe propius accedere recuſabat, propterea quod in mādatis id non haberet. Dicebant igitur eum non populo tantum, ſed & toti patriæ profuturum, ſi Ducem noſtrum accederet, & gratiam eius imploraret. Decretum enim à noſtris jam ante tres dies erat, omnia igne injecto vaſtare. Ipſe autem his auditis diſceſſit, promittens, ſe ſequenti die reuerſurum, atqui à nobis viſus amplius non eſt.

24. Nouēb. Vigeſimo quarto Nouemb. Cum ſexcentis armatis in pagum quendam peruenimus, è regione S. DOMINICI ſitum, qui 12. miliaribus à mari aberat, ſed neminem ibi inuenimus, Incolæ enim eo relicto in montes ſeſe receperāt, itaq; paululū ibi ſubſtitimus, expectantes, an aliquis nos fortaſſe acceſſurus eſſet, ſed cum nemo nos conueniret, juſſi ſumus reuerti ad locum vnde veneramus. In itinere autem oſtenderunt ſeſe hoſtes noſtri: ſed non tanta copia, vt nos aggredi auderēt, itaq; dum eos expectauimus, veſpera facta eſt, vt nos vix ante noctem, ciuitatem S. IACOBI aſſequi potuerimus.

26. Nouēb. Die Lunæ, qui erat 26. Nouemb. conuocatis nauibus, juſſit Dux noſter omnes milites ex ijs deſcendere, ſed ſupremus Legatus CARLEIL, miſit centurionem GORINGE, cum ſuo præfecto TVCKSO, & centum armatis, vt forum ciuitatis tueretur, donec milites naues eſſent ingreſſi, quas naues ADMIRALIS in littore cum aliquibus expoſitorijs nauigijs expectabat, vt populum ad majores naues tranſueheret. Præterea juſſerat etiam Dux noſter, vt centuriones BERTON & BYGGES cū ſuo milite GABERAM (ita enim id genus nauium hodie vocatur) ingrederentur, at cum duabus expoſitorijs nauibus ſub imperium dicti SAMPSONIS in ciuitatem PLAY concederent ad inſtrumēta tormentaq; bellica inquirenda, de quibus ex quodam captiuo pridie ejus diei cognoueramus, qui promiſerat etiam, ſe locum nobis monſtraturum, vbi eſſent occultata. Play

Cum igitur eo veniſſent, centurio SAMPSON, captiuum ſibi locum monſtrare juſſit, vbi tormenta eſſent occultata, quod quidē facere non poterat, vel potius nolebat, ſed nihilo tamen ſecius in ſecretis locis duo ingentia tormenta inuenta ſunt, quorum vnū ferreum, alterum æneū erat. A meridie præcepit Dux noſter, vt cum reliquis nauibus ad vrbem iſtam accedentes eam quam primum igne ſuccēderemus, & poſtea naues rurſus aſcenderemus, quod ēt ſtatim ita factum eſt; & eadē adhuc veſpera inde rurſus ſoluimus. Sed antequam progrediamur, dicendum aliquid eſt de acie quam in hac Inſula S. IACOBI inſtruximus, & rebus quibuſdam alijs relatu digniſſimis.

Quilibet centurio ibi populum ſuum exploraut & deſcripſit, qui coactus eſt jurare, quod Reginæ Angliæ fidem ſeruare vſq; ad mortem vellet, & mandata Ducis obſeruare ſemper atque perficere. Inprimis autem mirati ſumus quod toto eo tempore, quo ibi cōmorati ſumus nemo ad nos neque à Gubernatore & præſide iſtius Inſulæ Regis nomine, neque ab Epiſcopo iſtius ciuitatis, qui in magna erat autoritate, miſſus eſſet, neq; etiam ex ciuibus & incolis quiſpiam ad nos veniſſet, cum tamen eos quotidie expectaremus, exiſtimantes aliquem venturum qui repeteret, quod ibi abſtuleramus, vel ad minimum peteret, ne omnia ipſis eriperemus, quibus ad ſuſtentationem vitæ ſuæ ipſimet indigerent, vel ſaltem ciuitati parceremus, ne ea injecto igne vaſtaretur. Nam quamuis ad 12. milliaria Anglica à nauibus noſtris diſceſſeramus, vbi cognoueramus Gubernatorem & Epiſcopū ſeſe occultaſſe; qui nos aduenientes fugerant; quāuis ēt cū reuerteremur, ſeſe nobis oſtenderāt, & nos ſubſiſtētes eorum aduētū expectaueramus, tamen propius accedere noluerunt, etiamſi nos multos miſerimus qui cum ipſis loquerentur. Quod autem nos accedere auſi non ſunt, exiſtimo hac de cauſa factum eſſe, quod adhuc memoria tenuerint, quanta ante tres annos injuria GVILELMVM HAVKINS non procul à PLYMOVTH affecerant, qui tum temporis ibi etiā cū ſuis præſens erat, cui quidem fidem datam non ſeruarant, quod ipſis dictāte conſcientia ipſorum notum adhuc erat, ego vero ejus in cōmemoratione hoc in loco ſuperſedere potius volui, ne cum odio & tædio recenſerem, quod omnibus jam pridem innotuit.

2. Decẽb. Cum igitur male admodum nos haberet, quod ſuo alloquio nos non dignarentur, ſed inſuper in puerum quendam, qui ad nos pertinebat, crudeliſſime ſæuiſſent (inuenimus enim eũ in itinere, amputato capite, & inteſtinis ex ventre inhumaniſſime protractis) omnia ædificia eorum tam in ciuitate quam extra ciuitatem igne ſubuertimus. Poſtquã autem inde ſoluiſſemus, curſu noſtro ad Indiam Occidentalem directo, inuſitatus quidam morbus populum inuaſit, quo breui tẽpore vltra trecenti ſublati ſunt, & morbum iſtum non animaduerteramus, donec octiduum jam in nauibus fuiſſemus, eo enim tẽpore nihil morbi ſenſimus, poſtea vero ardẽti febri laborare quidam cœperunt, & quib. pauci vitam conſeruarunt, qui tamen vires animi & corporis omnes fere per morbi vehementiam amiſerunt. Quin etiam in mortuorum corporib. maculæ ſiue ſtigmata apparuerunt, qualia tempore peſtis conſpiciuntur.

Cæterum 18. diebus ex Inſula S. Iacobi, ad Inſulam S. Dominici peruenimus, quæ
26. Decẽb. in India Occidentali prima eſt, ſed permanſimus tamẽ aliquot dieb. in Inſula S. Christophori, verſus Occaſum ſita, vſque ad natalem Chriſti, vt ægrotis melius proſpiceremus, & purgatas naues aeri ſalubriori exponeremus. Reparatis autem virib. decreuerunt Duces & centuriones noſtri in Inſulam Hispaniolam nauigare, inuitati nimirum amœnitate S. Dominici, quæ ejus loci celeberrima & ampliſſima quondam ciuitas fuerat.

In itinere nauem quandam quæ nobis obuiam venit, comprehendimus, atque ex illis qui in ea erant, omnia quæ ad nauigationem hanc neceſſaria videbantur quæſiuimus, vbi inuentus eſt aliquis, qui dicebat portum eo eo in loco admodum arenoſum, & regionem vndique rotundam ac probe munitam eſſe, quin & propugnaculum multis tormentis formidabile habere, ita vt terram contingere non poſſemus, niſi præſentiſſimo nos periculo exponere vellemus, excepto quodam loco qui decẽ millia paſſuum à ciuitate abeſſet, promiſit igitur ſe nos tutiſſima via ad iſtum locum ducturum.

His igitur auditis juſſi ſumus expoſitorias naues ingredi, & Dux noſter nauem conſcẽdit, quam Phaselvm Galli nominant, atque ita per totã noctem nauigauimus, quãuis non magnum iter confecerimus, adueniente autem die locus nobis apparere cœpit, quem petijmus.

Atque ita primo Ianuarij Anno 1586. ad 1. Ianuar.
terram appulimus, in loco nouem vel decem millia paſſuũ à pulcherrima ciuitate S. Dominici verſus Occaſum diſtante, propterea quod nemini locus aliquis hucuſque cognitus eſſet, vbi minora nauigia tuto collocari poſſent, & minus à tempeſtatibus periculi metuẽdũ eſſet, cũq; Dux noſter videret omnes jã nauib. egreſſos eſſe, reuerſus eſt ad claſſem ſuam, noſq; Dei & Legati ſui Carleil patrocinio commendans, progreſſi juſſit. Itaque poſtea circiter horam octauam, ante meridiem progreſſi, circa meridiem ad ciuitatẽ peruenimus, vbi aliquot nobiles & præfecti ciuitatis cum 150. pulcherrimis equis, nobis occurrerunt, qui tamen nobis nocere nihil potuerunt, ſed à noſtris ſclopetarijs & fulminatoribus militibus, multis glandibus, & globis excepti atque petiti ſunt, ita vt portis nos prohibere & arcere non poſſent, ad quas bono ordine & probe inſtructa acie, parati ſemper ad pugnam properauimus, licet inſuper duæ portæ quæ mare reſpiciebãt militibus probe munitæ, & non procul ab illis aliquot ſclopetarij milites in inſidias collocati eſſent.

Ac noſter quidem exercitus, (qui militum 1000. vel 1200. fere erat) in duas partes ſiue ordines diuiſus fuit, in hunc finẽ vt ſimul & ſemel ad vtraq; portã irruptionẽ faceremus, non ceſſantes, donec omnes ad forum ciuitatis congregaremur. Cumque in nos tormenta ſua emiſiſſent, alta voce exclamans præfectus noſter, ad conſtantiam nos adhortatus eſt, & magna vi ciuitatẽ inuaſit, ſed primus tamen fuit, qui ab vna parte ciuitatis globo ex tormento æneo ictus occubuit, itaque nos ne rurſus tormenta ſua puluere implere poſſent, ſummo ſtudio & cura prohibentes, poſthabitis illis qui in inſidijs erant, (qui quidem etiam nos impedire non poterant) ſumma vi in portas irruimus, & ciuitatem vna cum aduerſarijs militibus ingreſſi ſumus, qui poſtea fuga ſibi conſulentes vitam ſuam conſeruare potius, quam vires colligere, & milites hinc inde diſſipatos congregare rurſus voluerunt.

QVO-

QVOMODO FRANCISCVS DRAKO, CIVITATEM S. DOMINICI IN INSVLA HISPAniola ſitam occupauerit.



CIuitas S. DOMINICO, ſita eſt in Inſula HISPANIOLA; quæ quoad magnitudinẽ cum Anglia comparari commode poteſt. Ciuitas iſta ab Hiſpanis ſplendidiſſime pulcherrimeque extructa, omnibus vicinis Inſulis dominatur.

Explicatio numerorum in tabula conſignatorum.

1. Hiſpani extructo igne, de Anglorum aduentu ſocios admonent. 2. Area vel campus 10000. paſſibus à ciuitate S. DOMINICO diſtans, vbi exercitus Anglicus ex nauibus egreſſus eſt. 3. Via per ſyluas ad ciuitatem ducens, quam Angli ſunt ingreſſi. 4. Planus campus, vbi aciem inſtruxerunt. 5. Acies Anglorum. 6. Porta, per quam Dn. CARLEIL ſupremus ordinum ductor, ciuitatem perrupit, poſthabitis omnibus quibus porta iſta munita erat tormentis. 7. Secunda porta, per quam Capitaneus POVVEL cum aliis, ingreſſus eſt. 8. Boues inuſitatæ magnitudinis, quos Hiſpani in Anglorum aciem immiſerunt, ſi forte eam turbare poſſent, ſed nihil profecerunt. 9. Equites & ſclopetarij pedites Hiſpanorum. 10. Locus vbi claſſis Anglica ſubſtitit. 11. Forum ciuitatis. 12. Cathedralis Eccleſia ſiue templum artificioſe extructum & pulchre exornatum. 13. Arx ſiue propugnaculum, in quo 50. tormenta ænea poſita erant vt portum tuerentur. Ad hanc arcem confugerunt Hiſpani ſuperata & expugnata ciuitate, ſed paulo poſt cum impares ſeſe eſſe ſuſtinendis Anglorum viribus deprehenderent, naues conſcenderunt & in alteram ſeſe fluminis partem contulerunt. 14. Naues ab Hiſpanis data opera mari ſubmerſæ, ne Angli ipſis ad perſequendum vterentur. 15. Ingens Hiſpanorum triremis, ab Anglis igne conſumpta. 16. Aliæ naues Hiſpanorum, ab Anglis exuſtæ. 17. Horti ciuium, pulcherrimos fructus producentes. 18. Monaſterium S. BARBARÆ in monte nonnihil eleuato, extructum. 19. Via qua legatus Anglorum ad præſidem ſiue gubernatorem ciuitatis, profectus eſt. 20. Turris quam albam vocant. 21. Mirabile & ſquamoſum animal, quod nautæ Anglicani, ALIGARTA, Hiſpani vero CAYMON nominant; nouem fere pedes longum, in dorſo nigrum & ſquamis munitum, in ventre molle & fului coloris, delectatur ouis teſtudinum marinarum, quæ diligenter inquirit & ex arena in quam poſita ſunt eruit. Hiſpani aliquoties viderunt, ab hoc animali vaccam apprehenſa cauda in mari pertractam eſſe, quod idem etiam hominibus accidere poteſt, ſi eos forte apprehendãt, ſed facile tamen homines illud euitare periculum poſſunt, cum tardo admodum greſſu procedat. Angli horum animalium multa ſclopetis & lanceis ſuis, in deſertis Inſulis interfecerunt; in prioribus enim pedibus facile vulnerari poſſunt, & boni etiam cibi ſunt, caro enim præſertim nuper natorum ſapore vitulinam carnem refert. 22. Teſtudo marina, cuius ſupra mentio facta eſt. Hæc aliquando ad 40. vel 50. paſſus ex mari in terram proſerpit, & poſitis in arena fere 100. ouis mare rurſus ingreditur. Hæc oua poſtmodum calore ſolis excluduntur, & pulli ſtatim ad mare properant, multi tamen à ſupradicto animalẽ ALIGARTA antequam in mare perueniant, deuorantur. Carnem habent boni cibi, quæ carnem bubali ſapore & colore repræſentat, oua etiam ad cibum commode aſſumuntur. Concha tergo impoſita qua teguntur longitudine eſt trium pedum, latitudine vero nonniſi duorum cum dimidio, coloris nigri, & tam firma, vt etiam pro clypeo ea vti poſſis. In ventre cutem habet molliorem & fului coloris. Poteſt autem hoc animal ſeſe contrahere & ſub concham occultare ita vt plane nullum membrum foris appareat. Harum teſtudinum Angli in CAYMANICIS Inſulis, vltra centum, præter dictas ALIGARTAS, vna atq; altera nocte ceperunt. Cum enim ex mari egrederentur, tergo eas impoſuerunt, & poſtea, quia in pedes ſeſe erigere amplius non poſſunt, interfecerunt.

Hoc modo vrbem ingreſſi, ad forum quã primum properauimus, & poſtea occupata magna iſta, quæ ad templum ſita erat, area, loca vicina, quæ nobis commodiſſima videbantur, omnia armatis repleta, propugnaculis muniuimus, cum enim ciuitas magna, & numerus militum noſtrorum exiguus, eſſet, non potuimus ſtatim omnia loca militib. noſtris occupare.

2. Ianuar. Sequenti die aliquanto longius progreſſi, alia adhuc loca quæ noſtro propoſito accõmodata videbantur, occupauimus, eaq; foſſis & aggerib. in quibus tormenta noſtra collocarentur, probe firmauimus, atque ita ciuitatem iſtam integrum menſem poſſedimus.

Interea ciues & incolæ ciuitatis nobiſcũ egerunt, vt ciuitatem ſuam pecunia redimerent, ſed nos petitionem ipſorum recuſãtes, quodie nihil aliud egimus, quam vt ædificia ante ciuitatem in ſuburbio, igne accenderemus, & non parum profecto laboris inſumpſimus, in ædificijs quæ ex quadratis lapidibus magnifice extructa erant, diruendis & ſolo æquandis & quamuis mandatum erat, vt ſingulis diebus vſq; ad horã antemeridianam nonam, nautarum & remigum ducenti, nihil aliud agerent, quam vt ædificia, quæ extra caſtra noſtra ſita erant, igne accenderent, tamen vix quartam ciuitatis partem demoliri potuimus. Tandem tamẽ cũ nobis ſumma pecuniæ 25000. coronatorum ab incolis offerretur, acquieuimus, & ciuitatem ipſis reſtituimus, præſertim cũ ibi ſubſiſtere & permanere propoſitum nobis non eſſet.

Inter alia memoratu digna, quæ in iſta ciuitate viſa ſunt, fuit memorabile quoddam Hiſpanicæ inſolentiæ documentum. Cum enim aulam regiam in qua Gubernator & præfectus vrbis regius reſidebat, ingrederemur, inuenimus pulcherrime & artificioſiſſime exornatam ſcalam, qua ad ſuperiores ædium partes aſcenſus fieri ſolebat. Aſcendentes igitur inuenimus locum vndique patentem inſtar porticus alicujus, vbi ab vna parte oculis aduenientium inſigne Regium obijcitur, & ſub eo ingens globus maria & terram repræſentans, cui generoſus equus poſterioribus pedibus inſiſtit, pectore nonnihil eleuato, & prioribus pedibus ad ſaltum in cœlum quaſi faciendum paratis, hoc in ore ſymbolum geſtans, NON SVFFICIT ORBIS. Cujus dicti ſententiam cũm à primoribus ciuitatis, qui ad nos pro redimenda ciuitate ſua venerãt, inquireremus, ipſi quidem nihil reſponderunt, ſed partim alio reſpexerunt, partim pudore ſuffuſi, & abjectis in terram oculis obticuerunt, ita vt quidam ex noſtris cum viderent eos turbatos & confuſos eſſe, dixerint: Si Regi veſtro cum noſtra Regina aperto Marte congrediendum eſſet, breui ab inſolentia ſua remiſſurus, & in eo totus futurus eſſet, vt nos ab incurſu & direptione ſuarum regionum & prouinciarum prohiberet, ne ſubditis ſuis tantum damni inferremus, quantum vobis jam illatum videtis. Mirati ſunt multi, quod in tam magna pulchra & populoſa vrbe, in qua omnia quæ ad neceſſitatem & recreationem noſtram pertinebant abunde inuenimus, vel parum vel nihil auri & argenti repertum ſit, ſed ſi cauſam ſcrutari, & rem aliquanto propius intueri velimus, hoc non admodum mirum videbitur. Hiſpani enim ex hac Inſula, quæ quoad magnitudinem cum Anglia comparari commode poteſt, Indos, veteres nimirũ colonos miſere exturbarunt, cum omnibus qui rei metallicæ periti, ſciuerint quo in loco aurum & argentum reperiretur. His igitur omnibus ejectis, poſtmodo moneta ænea ſiue cuprea vti cœperunt, cujus magnam copiam inuenimus.

Merces quæ inde tranſportantur, ſunt Saccarum, Gingiber, quod ibi creſcit, & coria bouina. Multi enim boues iſta in Inſula tanquam fertiliſſima nutriuntur, eam ſolum ob cauſam, vt coria accipiant atque diuendant. Inuenimus vero etiam multa generoſa vina, oleũ, acetũ, item farinam optimi generis, pannum item lineum, ſericum villoſum, &c. quæ nuper ex Hiſpania eo delata erant; vaſa vero argentea nõ multa ibi reperta ſunt. Nam in calidis iſtis locis vtuntur potius vaſis fictilibus ex terra vel argilla paratis, & colore vario pulcherrime illuſtratis, (quæ vocantur PORCELLINA, & eo ex Inſulis Orientalibus, perferuntur) quin etiam vitrorum ibi magnus vſus eſt, quæ pulcherrima ibi conficiuntur & præparantur. Sed tamen quædam etiam vaſa argentea ibi inuenta ſunt, quæ magnis ſumptibus acquiſiuerant.

Ex hac Inſula in continentem terram progreſſi, ciuitatem CARTHAGENAM tandem aſpeximus, quæ tam breui interuallo à littore maris abfuit, vt illi qui in expoſitorijs nauibus erant, tormentis vulgaribus eam aſſequi facile potuerint. *Carthagena.*

Appulimus autem ad portum quendam qui quinque miliaribus Britannicis à ciuitate aberat, vbi neminem inuenimus qui nobis reſiſteret, nullum etiam propugnaculum, vallum vel aggerem conſpeximus, itaq; cũ circiter horam quartam pomeridianam nauibus egreſſi eſſemus, ordinum ductor & legatus Ducis noſtri CARLEIL, aciem ſtatim inſtruxit, vt ſi fortaſſis in itinere quidam aggredi nos voluiſſent, ad pugnã & conflictũ *Ianuarius.*

parati

parati eſſemus, quo facto poſtea pedetentim ea nocte in arenoſo littore progreſſi ſumus.

Cumque dimidio ſaltem adhuc miliari à ciuitate abeſſemus, ecce cētum equites nobis obuiam proceſſerunt, quos ſclopetarij noſtri ita exceperunt, vt in fugam ſtatim cōjecti, eadem qua venerant via reuerſi ſint, præſertim cum etiam in paluſtri & ipſis admodum inconueniēti loco nos aggreſſi fuiſſent.

Eodem tempore ingētem fragorem tormentorum audiuimus, propterea Dux noſter ſignum dedit Admirali & centurionibus Frenar, Whyte, Crosse & alijs, vt cum ſuis expoſitorijs & alijs minoribus nauigijs propugnaculum ciuitati proximū expugnarent, quod ipſum quidem tentarunt, ſed res ſucceſſu ſuo caruit, cū locus iſte prope munitus introitum haberet admodum anguſtum, imo ferreis etiam catenis in latitudine obductum.

Itaq; ea vice nihil effectum eſt, niſi quod qui ab altera parte iſtius portus integro miliari à nobis aberant, ad arma ſeſe ſtatim receperint, ita enim erat populus noſter diuiſus, & via qua proficiſcebamur dimidio miliari à ciuitate, tam anguſta erat, vt in latitudine non vltra paſſus quinque haberet, & ab vno quidem latere mare, ab altero portus quidam erat, qui locus fuit foſſa & muro lapideo probe cinctus, ita vt etiam tormenta ei imponi commode potuerint, & meo quidem judicio locus iſte talis fuit, vt commodiorem inuenire vix potuiſſent. Præſertim, cum vix equum vel currum vnum tempore neceſſitatis tranſmitteret, & gerris terra repletis plurimis munitus eſſet, quæ aggeris & propugnaculi inſtar eſſe poterant.

Eo in loco erant ſex tormenta ænea, ad acies noſtras optime directa, erant etiam in portu iſto triremes duæ, II. tormentis æneis, & trecentis vel quadringentis ſclopetarijs repletæ, qui nos quoque ab iſto latere aggreſſi ſunt, propugnaculum autem ipſum trecentis fortiſſimis militib. firmatum erat, qui noſtrum aduētum ſummo deſiderio expectantes, tormenta & ſclopeta ſua ſemel atque iterum emiſerunt. Verum nos, antequam dies illuceſceret, commoditate tenebrarum rectiſſime vſi ſumus, atque de mandato legati Ducis noſtri, tacite & quiete per arenam in littore maris ad ciuitatem perreximus, vt ita vniuerſum ipſorum conatum eludentes, omnes ictus quibus nos petere ſtuduerūt euitauerimus. Prohibuerat enim Legatus Ducis noſtri, ne quis ex noſtris ſclopum aliquem emitteret & fulminaret, antequam ad murum veniſſemus.


Quo vt peruentum eſt, omni vi, tam ſclopetarij quam haſtati & lancearij, aggeres, propugnacula & gerras ſiue corbes terra refertos aſcendimus, (is enim locus commodiſſimus videbatur quo hoſtem aggrederemur, atque omnia ſubuertimus, quamuis is locus rectiſſime & optime munitus eſſet; & poſtquam ſclopetarij ſclopeta ſua emiſiſſet, hoſti nos immiſcuimus, qui cum haſtæ & lanceæ noſtræ ipſorum ſariſſis longiores eſſet, quin & armis melioribus induti eſſemus, nobis diu reſiſtere non potuerunt, ſed fugam dare ſtatim coacti ſunt.

Legatus vero etiam Ducis noſtri, primo ſtatim impetu ſigniferum Hiſpanum, qui ad mortem vſque ſtrenue ſeſe defendit, propria manu trucidauit, cumque fugere cœpiſſent, è veſtigio eos inſecuti ſumus, ſeper ipſis imminentes, ita vt ne reſpirare quidē ipſis permitteremus, donec tandem ad forum ciuitatis peruenerimus, quod licet ab ipſis primo quidem occupatum eſſet, tandem tamē nobis concedere coacti ſunt. Quemadmodum etiam paulo poſt totam nobis ciuitatē conceſſerunt, extra eam toto quo ibi commorati ſumus tēpore, ſeſe ſuſtinentes. Omnes viarum exitus introituſque vallis & foſſis ſuis artificioſiſſime muniti erant, ſed excubitores viarum, qui ibi conſtituti erant facile à noſtris ſuperati & in fugam conjecti ſunt, paucis vulneratis, & interfectis, ſed & Indi ſagittarij, magno numero quibuſdam in locis quæ ipſis aptiſſima viderentur, conſtituti erant, qui ſumma vi & virtute ſagittas ſuas venenatas in nos emiſerunt, quarum quidem venenum tam fuit exquiſitum, vt qui eo læderetur, præſentiſſima morte perirent. His igitur ſagittis multi ex noſtris vulnerati & interfecti ſunt. Quin etiam acutiſſimis lignis, quorum multa in via, qua ingrediendum erat, veneno infecta abſconderāt, multos ex noſtris ad mortem vſque vulnerarunt, & niſi in littore maris progreſſi fuiſſemus, maximo nos periculo incauti & imprudenter expoſuiſſemus.

Cæterum multa etiam alia ibi acciderunt, quorum tamen commmemoratione hoc tēpore lubens ſuperſedeo, ex quibus fortaſſe non indignum annotatione fuerit, quod cēturio Sampson, qui militibus primi ordinis præerat, multa vulnera gladijs percuſſa, in prima irruptione acceperit. Item quomodo Gubernator ciuitatis Alfonsus Bravus, à centurione Goringe, qui ſclopetarijs præerat, poſt acceptum aliquod vulnus, comprehenſus fuerit. Februar.

FRAN-

FRANCISCVS DRACO CARTHAGENAM CIVITATEM EXPVGNAT.



CArthagena ciuitas, in India occidentalis continente ſita, portum habet ad mercaturam inter Hiſpaniam & PERV exercendam commodiſſimum.

Numerorum in tabula explicatio.

1. Locus in quo Angli, firmatis anchoris cum claſſe ſubſtiterunt. 2. Locus, à Carthagena quatuor vel quinque miliaribus diſtans, vbi milites nauibus egreſſi ſunt. 3. Via qua Angli in littore maris ad ciuitatem profecti ſunt. 4. Pedica ſiue columnula acutiſſima, pedem vnum cum dimidio longa, ab Hiſpanis in ſemitam vulgarem qua ingrediendum erat poſita. Quæ adeo veneno erant tinctæ atque infectæ, vt leuiſſimo attactu homines interficerent. Sed cum Angli ea ſemita non incederent ſed in littore maris progrederentur, nihil ab hoc ſtratagemate damni acceperunt. 5. Exercitus & copiæ Anglicanæ. 6 Propugnaculum ex ſolido ſaxo artificioſiſſimè extructum, in quodam loco vix 500. paſſus longo, pilis, foſſis & quinque tormentis æneis munitum, quæ quidem in viam omnia directa erant, vt acceſſu hoſtem arcerent. Et eo quidem in propugnaculo Hiſpani milites ad cuſtodiam poſiti erant. 7. Duæ triremes ad littus maris, 400. militibus ſclopetariis munitæ, & ita inſtructæ, vt Anglos oblique exciperent & trucidarent. Hi non ceſſarunt in nos ſclopeta ſua emittere, ſed Dei beneficio nemo ex Anglis interfectus læſusve eſt. Nam iuſſu CARLIEL Capitanei, Angli aliam viam ingreſſi ſunt, & per noctis etiam tenebras periculum iſtud euaſerunt, vt ſalui ad propugnaculum venerint, quod ab altera parte ex qua Hiſpani equites nos adoriri debebant, vacuum omnino erat, & non niſi gerris ſiue aggerib. munitũ, (quã munitionẽ milites hodie BARICADAS nominant) ſed aggeres hoſce Angli ſuis armis quibus inſtructi erant facile demoliti ſunt, atque ita propugnaculum iſtud expugnarunt, vbi primo ſtatim ingreſſu Capitaneum iſtius propugnaculi virum fortiſſimum vulnerarunt, & in vincula coniecerunt, reliquos autem omnes veteranos milites trucidarunt. 8. Magna nauis, quam vulgo GALLEASSAM, latine autem Biremem nominant, ingentibus tormentis munita, quæ omnia in Anglos, quanquam fruſtra, emiſſa ſunt, globi enim propter magnitudinem & interuallum inter nos & GALLEASSE Anglos aſſequi non potuerunt. 9. Hiſpani qui expugnato hoc propugnaculo, ex altera parte per pontem ciuitatis aufugerunt. 10. Naues quædam Anglicæ, quibus propugnaculum quod in portu erat aggreſſi ſumus, ſed nullo tamen effectu. 11 Propugnaculũ, quod tuetur portũ interiorem, ex quadratis lapidibus eleganter extructum, militibus etiam & tormentis probe munitum. Qui tamen expugnata ciuitate cum Anglorum aduentum metuerent, eo derelicto aufugerunt. 12. Locus vbi Angli ſecundo firmatis anchoris cum claſſe ſubſtiterunt, poſtquã ciuitatem iam expugnaſſent. 13. Hoc in loco naues Hiſpanorum comburuntur. 14. Forum ciuitatis. 15 Templum, quod ex pulcherrimis quidem lapidib. antea extructum, nunc magna ex parte concidit, cum enim Angli excubias ordinare vellent accidit, vt globus ex tormento forte fortuna prorumpens, vnã columnã in qua templũ ex parte fundatũ erat quaſſaret, ex qua concuſſione magna tẽpli portio concidit. 16. Pons per quẽ Hiſpani ad ſuburbium fugerunt. 17. Locus vbi Angli tertio firmatis anchoris cum claſſe ſubſtiterunt, cum diſcedere rurſus vellent. 18. Inſula multis frugiferis arboribus pulchre conſita & exornata, multis etiam viuis fontibus ſcatens, ex qua Angli aquam pro ſuo exercitu attulerunt. 19. GVANA animal reptile, colore prope viridi, cuniculos magnitudine repræſentat; in ſyluis & aliis deſertis locis viuit, ab Indianis captum Hiſpanis venditur, boni & ſalutaris cibi eſt, maxime ſi ſit ſexus fœminini, & ouis abũdet. 20. Duo ſtagna, aquæ ſalſæ, Anglis ad dextram ſita cum properarent ad ciuitatem Carthagenam expugnandam.

In pri-

In primo ordine erant et centurio WINTER & Ducis noſtri legatus, centurio POWEL SERGANT MAIOR ſiue excubiarum magiſter medium obtinebat: MORGAN autem, qui in expugnatione S. DOMINICI primo ordini additus fuerat, hic poſtremũ obtinebat. Omnibus autem eadem mens & voluntas erat; & hoſtem tanta virtute & alacritate aggreſſi ſunt, vt ſeſe tueri diutius non potuerit. Manſimus autem ibi ſex ſeptimanis, quo quidem tempore morbus iſte, cujus ſupra mentionem fecimus, non ceſſauit noſtros affligere, quamuis aliquantò tamen remiſſius, ex illis autem, qui eo corripiebãtur, pauci mortem effugerunt, vires enim amiſſas recuperare non potuerunt, quin tandem in furorem acti, eo rurſus liberari vix ac ne vix quidem potuerunt, vt prouerbiũ et inde naſceretur, quo de parũ conſiderate & prudenter loquentibus dicebatur, eos CALENTVRA (ſic n. Hiſpani febrem ejuſmodi ardentem nominant) comprehẽſum eſſe. Fuit n. vt ſupra quoq; dictum, ardens, continua & peſtilens febris, quæ originem ſuam, juxta quorundam opinionem traxerat, ex impuro aere veſpertino, quem SERENAM nominãt. Dicebant enim, omnes qui ibi circa veſperã in aere verſarentur (exceptis Indis aut alijs ejus loci incolis) infectos, peſtilentiali poſtmodum febri corripi ſolere. Noſtri autem plerunq; ſub dio, in impuro iſto aere, dum in Inſula S. IACOBI eſſemus, excubias nocturnas egerunt. Hoc itaque morbo, cum numerus militum noſtrorum admodum minueretur, factum eſt, vt nauigationem in Inſulã NOMBRE DE DIOS, vnde iter terra facere conſtitueramus in PANAMAM, cujus nauigationis jam initium factum erat, abſoluere & perficere non poſſemus, in quo quidem loco multum auri & argenti, ad recompenſationem laborum & moleſtiarum noſtrarum lucrari potuiſſemus.

Decreuimus igitur Carthagena domum rurſus reuerti, poſtquam Hiſpani nos ibi liberaliſſime tractaſſent, quemadmodum itidem in ciuitate S. DOMINICI factũ fuerat, vbi ipſi nos, & nos viciſſim ipſos conuiuio ſatis lauto excepimus, ita vt ipſemet Gubernator vrbis cum Epiſcopo & multis nobilibus, primoribuſque ciuitatis honoris ergo, nos conuenerit, in ciuitate autem CARTHAGENA, quemadmodum & extra eam, multa ædificia ſubuertimus, & injecto igne vaſtauimus, propterea, quod de precio quo ciuitatem redimere volebant, conuenire inter nos non poterat, tandem tamen conuenit, vt pro reſidua ciuitatis parte quæ nondum deſtructa erat, nobis 110000. florenos numerarent. Ac ciuitas quidem iſta licet vix mediam ciuitatis S. DOMINICI magnitudinem attingeret, tamen multo plus pecuniæ numerare coacta eſt, quam ciuitas S. DOMINICI. Pluribus n. hæc ciuitas opibus & diuitijs abundabat, propter portum loco cõmodiſſimo ſitum, vnde nullo negocio merces in Inſulam NOMBRE DE DIOS, & alia loca tranſmitti poterant; quemadmodum etiam ditiſſimis potentiſſimiſq; habitabatur mercatoribus.

In ciuitate autem S. DOMINICI maxima ex parte, nobiles, juriſconſulti & Senatores habitabant, cum aula Regia ibi conſtituta eſſet, ad quam incolæ omnium vicinarum Inſularum appellabant. Præterea etiam ante viginti dies nuncium acceperant, quod ciuitas S. DOMINICI à nobis expugnata ſpoliata atque direpta eſſet; vt interea ciuitatem ſuam munire, armis ſeſe inſtruere, & aurum argentumq; cum omnibus precioſis ſuis reb. aliò traducere, commodè potuerint. *Februar.*

Sed (ad propoſitũ vt reuertar) poſtquam ſex ſeptimanas ibi cõmorati eſſemus, naues rurſus conſcendimus, cum vero vix biduum vel triduũ progreſſi eſſemus, ecce nauis quædam quam in Inſula S. DOMINICI acceperamus, tormentis æneis, & multis bonis ſpolijſque onuſta (vnde etiam Strenam eam vocauimus) accepta rima vel foramine, aquam recipere & haurire cœpit, ita vt tandem etiam deperdita fuerit. Quare Dux noſter cũ eam inter alias hinc inde diſſipatas naues, nõ videret, diligenter inquiſiuit, donec eam reperit multis in locis perforatam, & nautas militeſq; in ea aquam effundendo admodũ debilitatos, itaq; juſſit vt nauis quædam alia, cui nomen erat TALLEBOT nauem iſtam à tergo ſequeretur, quo ſi forte eam mergi cõtingeret, populus beneficio alterius nauis ſeruaretur. Ipſe autem Dux noſter, cum tota claſſe CARTHAGENAM iterũ eſt reuerſus.

Poſtea, cum decem dies exponendis bonis, & populo ex fracta iſta naui in aliam trãſferendo conſumpſiſſemus, ſoluimus rurſus, & verſus occaſum in CVBAM ad cacumen ſiue CAPVT S. ANTONII iter noſtrum direximus, eoque peruenimus die 27. Aprilis, *27. April.* ſed cum aquam ibi recentem habere nõ poſſemus, coacti ſumus alio nos conferre; itaq; vlterius progreſſi ſpe bona ad MATAMAR regionẽ verſus occaſum ſolis ſitam, & HAVANA dictam, ſecundo vento appulimus, qui ventus tamen ſtatim commutatus & nobis contrarius factus eſt, vt ita mutato curſu ad cacumen ſiue caput S. ANTONII nobis rurſus redeundum fuerit, vbi tandem neceſſitate edocti ex fontibus & locis paluſtrib. quæ trecentos paſſus à mari diſtabant, copioſam dulcem aquam accepimus. *Capo S. Anthonij.*

Non

Non poſſum hic ſilentio prætcrire quam ſeſe diligentẽ & ſollicitum Dux noſter in his & omnibus neceſſitatibus præbuerit. Nam non ſolum ſuo exemplo alios inuitauit, & ipſemet bene longo tempore aquam hauſit, ac ſi vnus ex vulgaribus ſeu infimis quibuſq; fuiſſet, ſed etiam ſummo ſtudio non ſine maximo ſæpe vitæ periculo, nauium ſuarum curam egit, eiſq; de rebus neceſſarijs omnibus abunde proſpexit, veſtitu incedens tam vulgari ac ſi ex ſubditis vnus fuiſſet. Quin imo omnia ſumma cum laude & gloria peregit. Nec vero etiam in minima ejus laudis parte habendum judico, quod legatum habuerit tam ſtrenuum fortemque virum, vt cõſilio ejus in omnibus vti rectiſſime potuerit, quemadmodum etiam conſilia ipſorum irrita nunquam fuerunt, ſed ſemper felicem exitum habuerunt. Et hæc quidem vtrique communis laus erat, quod vnumquemq; juxta ſuum meritum vel præmijs vel pœnis afficiebant.

13. Maij. Die 13. Maij relicto rurſus CAPO S. ANTONII, ad CAPO DE LA FLORIDA (locus n. hic ſiue angulus in mari ita vocabatur) 28. ejuſdem menſis die peruenimus, ſed nullibi tamen appulimus, donec ex longinquo (regione nimirum Florida ad latus verſus ſeptentrionem relicta, ſpeculam ex ligno, ſiue ſignum quoddam eleuatũ & quatuor in locis alligatum, conſpeximus, ad cujus ſummitatem 30. gradibus aſcendere neceſſe erat. Ad hunc locum noſtris expoſitorijs nauibus delati, paululum in parte iſta fluminis proceſſimus, ſperantes locum aliquem inuenire vbi hoſtes abſconditi laterent, neminem enim habebamus qui nobis iter monſtraret vel locorum etiam iſtorum cognitionem aliquam haberet. Et Dux quidem noſter legatum juſſerat primo ordini præeſſe. Progreſſi autem vnico ſaltem miliari, conſpeximus 28. Maij. propugnaculum ex altera parte fluminis ab Hiſpanis extructũ. Hinc progreſſi ad dimidiũ adhuc miliare, inuenimus locum quendam patentem nullo muro cinctum, in quo ædificia ex ligno erant extructa. Ibi tormenta noſtra collocauimus ad propugnaculum iſtud deijciendum, & globus quidem primus à legato Ducis noſtri ejectus per mediũ hoſtis vexillum tranſiit, quemadmodum poſtea ex Gallo quodam, qui ab ipſis captiuus ibi detinebatur, cognouimus, reliqua tormenta dreximus ad partem propugnaculi inferiorem trabibus & lignis obductam.

Eadem nocte Ducis noſtri Legatus, cum 4. vexillis, fluuium iſtum trajecit, & ibi ad locum quẽdam foſſis ſuis vndiq; cinctum ſuos expoſuit, qui quidem locus prope propugnaculum ſitus erat, ita vt ſclopetarij facile aſſequi quemlibet poſſent, qui exerto ex feneſtra capite, nos reſpecturus eſſet. Decreuerat etiam tormẽta ſua ænea ſtatim eo trãſferre & ad propugnaculum dirigere, ſed cũ nautæ & foſſores, qui foueas facerent, nondum adeſſent, rem eam inſequentem noctẽ diſtulit. Eadem etiam nocte Ducis noſtri Legatus cum ſex alijs armatis centurionib. qui erant, MORGAN, SAMPSON & quatuor alij, nauiculam, quæ remis propelleretur ingreſſus eſt, vt exploraret, quomodo excubias ſuas hoſtes conſtituiſſent, & qua occaſione populus traduci & promoueri cõmodiſſime poſſet. Cũ autem hoſtes, dictos hoſce centuriones è longinquo vidiſſent, quamuis ipſi ſe probe contexerant & occultarant, exiſtimarunt, vniuerſas noſtras copias jam jã ſibi imminere & adeſſe, itaque primo quidem ad arma properantes, aliquot tormenta emiſerunt, ſed fuga ſibi conſuluerunt. Interim Ducis noſtri Legatus ad nos reuerſus eſt, ignorans tamen an propugnaculum deſertum eſſet nec ne, donec Gallicus quidam tubicen, tuba ſua cantilenam de principe ab ORANGE canens, à noſtris, qui ad partem fluminis alteram in excubijs erant, viſus eſt, qui ſe, cum interrogaretur, noſtrum amicũ declarans, propugnaculum ab Hiſpanis deſertum eſſe dixit, in cujus rei confirmationẽ ipſe ſeſe nobis dedens, promiſit, quod vellet nobiſcum reuerti & in propugnaculum nos perducere. S. Auguſti.

Huic igitur fidem habens, Dux noſter, cũ legato ſuo & quibuſdam alijs centurionibus, expoſitoriam ingreſſus eſt nauem, aſſumpto ſecum Admirali & militibus quibuſdam alijs, qui duabus vel tribus nauiculis eum ſequebantur. Atque ita ad propugnaculum profectus eſt, quibus appropinquantibus aliqui, qui ibi manſerant, duo tormenta amice in noſtram gratiam emiſerunt, ſed poſtea cum in propugnaculum veniſſemus, reperti ibi non ſunt.

Muri huius propugnaculi, ex trabibus & conglutinatis aſſeribus facti erant, eum in modum, quo PALISADÆ (ſic enim hodie iſtiuſmodi propugnacula vocantur) fieri ſolent. Foſſæ autem quibus cingeretur, nondum erant perfectæ, vix enim quatuor ante noſtrum aduentum menſibus, propugnaculum iſtud ædificari cœptum erat, vnde etiã ſeſe ſeruare & à nobis defendere diu non potuerunt, quin & hac de cauſa deſertio facta eſt, quod non ſolum facile expugnari, ſed etiam injecto igne ſubuerti atq; deuaſtari poſſet. In hoc propugnaculo, 14. tormẽta ænea, quæ lignis tranſuerſim collocatis & terra vndiq; firmatis, ne cedere poſſent, impoſita erant, & arcam, qua pecuniæ regiæ inter mili-

EXPVGNATIO CIVITATIS S. AVGVSTINI IN AMERICA SITÆ.



CIuitas S. AVGVSTINI, ligneis ædibus extructa, amæniſſimos hortos habuit, & ſolum vndique fœcundiſſimum. Ab Anglis igne iniecto plane deuaſtata eſt. In hac ciuitate præſidium erat 150, Hiſpanorum, quemadmodum etiam in alio loco S. HELENA dicto, qui 12. miliaribus hinc aberat, idem conſtitutum præſidium fuit. Hæc autem præſidia eo fine & conſilio ita diſpoſita erant, ne vel Angli vel Galli interiectam terram (quamuis incultam) occupare poſſent.

Numerorum in tabula explicatio.

1. Locus vbi claſſis Anglorum firmatis anchoris primo ſubſtitit. 2. Locus, vbi milites Anglorum ex nauib[u]s ſunt egreſſi. 3. Pinaculum, ſiue ſpecula, in qua vigiles conſtituti erant, vt de hoſtium aduentu incolas tempeſtiue monerent. 4. Via qua in littore maris Angli ad propugnaculum profecti ſunt. 5. Locus, vbi tormenta ænea ex nauibus in terram depoſita ſunt. 6. Pratum in loco depreſſo ſitum, per quod Angli ad ſyluas è regione propugnaculi ſitas peruenerunt. 7. Sylua in littore fluminis, vbi multi tumuli arenarij fuerunt, circa quos Angli caſtrametati ſunt, & aliquot tormenta ita collocarunt, vt eodem adhuc die quædam in propugnaculum emittere potuerint. Sequenti die Dux CARLEIL, tanquam ſupremus ordinum ductor, decreuit cum populo & tormentis bellicis flumen traijcere, vt propius ad propugnaculum veniret, quod cum Hiſpani animaduerterent, clam nocturno tempore fuga ſibi conſulentes, propugnaculum deſeruerunt. 8. Locus vbi Hiſpani circa propugnaculum non procul à flumine in excubiis fuerunt. 9. Arx ſiue propugnaculum S. IOHAN de PINOS dictum, quod ex ligno cedrino ab Hiſpanis eleganter extructum, & 14. maximis tormentis munitum fuit, quæ in Anglos è regione in caſtris commorantes, direxerant. ſed tandem ab ipſis igne iniecto vaſtatum eſt. 10. Trirenes Anglicæ, quibus Angli, cum terra non poſſent, mari ad ciuitatem S. AVGVSTINI profecti ſunt: Quam quidem ciuitatem mox expugnatam, iniecto igne deuaſtarunt & deleuerunt. 11. Ciuitas S. AVGVSTINI, in qua præſidium fuit 150. Hiſpanorum militum. 12. Curia ciuitatis. 13. Turris ſiue ſpecula in qua Hiſpani excubias agebant. 14. Templum ciuitatis. 15. Delphinus, nobilis piſcis, hoc in loco repertus, coloris in dorſo cærulei, in lateribus viridis, in ventre vero albicantis, caput magna ex parte etiam cæruleum habet, quemadmodum & ſuperiorem caudæ partem. Inter omnes piſces conſpectum hominum minus vitat, tempore nocturno totus aureus apparet, lætatur quando naues aduenire videt, & eis vnice delectatur, carnem habet boni & ſalutaris cibi. Nihil comedit præter aues & piſces minores alios, nautæ hamis ſæpenumero capere eos, & in cibum præparare ſolent. 16. Hic tractus pars eſt regionis FLORIDÆ, ſub 30. gradu latitudinis ſiue eleuationis poli, & mare iſto in loco eſt depreſſius quam in aliis Inſulis.

tes diſtribuendæ, continebâtur, adhuc clauſam atque obſeratam inuenimus, in qua duo talenta ejus monetæ quam STERLING vocamus, reperta ſunt.

Expugnato igitur hoc propugnaculo, cui nomen erat S. IOHANNIS, vt vrbem quoq; expugnaremus ſupererat, ad quam cum ab iſto loco propter aquarum intermediarum multitudinem pertingere non poſſemus, per aliam ſtatim viam ad naues noſtras reuerſi, poſtea fluuium magnum qui ab vrbe quæ S. AVGVSTINVS nominabatur, ingreſſi ſumus, atque ad vrbem appulimus, vbi quidam milites nos expectarunt, qui tamen ſimul ac ſclopeta in nos ſua emiſiſſent, fugā dederūt.

Poſtquam autem nauib. egreſſi eſſemus, ſtatim SERGANT MAIOR, hoc eſt, Præfectus excubiarum, equo, quem ibi ad equitādum per omnia paratum inuenit, inſidens, eos qui aufugerant inſecutus eſt, ſi forte aliquem ex ijs comprehendere poſſet. Huic, cum ſolus eſſet, aliquis qui poſt carecta latebat, globum per medium caput trajecit, & poſtea antequam nos adueniremus tot vulnera pugione & gladio inflixit, vt mori coactus fuerit, cujus nos mortem admodum ægre tulimus, cum ſtrenuus & cordatus miles eſſet, & dign⁹ qui diutius viuere debuiſſet.

In hac ciuitate S. AVGVSTINI, præſidium erat 150. armatorum, quemadmodum etiā aliud in ciuitate S. HELENÆ, 12. miliaribus inde verſus ſeptētrionem ſita, ejuſdem multitudinis, ab Hiſpaniarum Rege conſtitutū erat eo fine, vt omnes exteri & peregrini (Angli videlicet & Galli) ab iſtis locis prohiberentur. Horum præſidiariorum Gubernator vel Dux, erat PETRVS MELENDEZ, Marchio & nepos ADMIRALIS MELENDEZ qui ante annos 15. vel 16. Claſſem noſtram, cujus Dux IOHAN HAVKINS fuerat, in littore MEXICO, contra datam fidem impugnauerat. Hic PETRVS MELENDEZ vtriuſq; præſidii Dux, cum nos adueniremus in ciuitate fuerat, ſed ſtatim alio ſeſe recipiens eam deſeruerat. Itaque cum Capitanei & Centuriones omnes conueniſſent, decretum fuit, vt quamprimum expugnato S. HELENÆ propugnaculo, aditū nobis & acceſſū pararemus ad regionē, quæ ab Anglis inhabitata, à virgine Regina noſtra, LA VIRGINIA vocatur, quiquidē locus verſus ſeptētrionem, ſex gradibus (vt hodie loqui ſolemus) à ciuitate S. HELENÆ aberat. Sed ad ciuitatem S. HELENÆ venientes, non appulimus, neq; etiam nauibus egreſſi ſumus, propterea quod tractus iſte arenoſis & periculoſis breuibus formidabilis videbatur, & nemo ex nautis noſtris via tuta nos perducere ad ciuitatem poterat. Quamuis a. Archithalaſſus noſter præcedenti nocte quatuor miliarib. à terra, profūditatem maris exploraſſet, reperiſſetque eam tantum trium cum dimidia vlnarū eſſe, tamen reperti ſunt, quidam, qui affirmarent nos etiam majoribus nauibus quam noſtræ eſſent, ad littus appellere facile poſſe, modo nauta quidam eſſet, qui tranſitus & vias cognitas aliquo modo & exploratas haberet. Itaq; in humili iſto mari in quo ad duo miliaria variæ Inſulæ cernebātur, oberrauimus.

S. Helena.

Tandem igitur cum 11. Iun. ignem aliquē eminus videremus; qualis quidem omnibus iſtis in locis accendi ſolet, ablegauit Dux noſter nauiculam ſuam cum aliquot nautis, vt cum hominib. qui ignem iſtum extruxiſſent loquerentur, qui aliquot Anglos ibi inuenerunt, & aliquem ad nos adduxerunt, qui viā nobis ad portum monſtraret. Cum a. portus iſte recipiendis nauibus noſtris non ſufficeret, quarundam nauium ancoras extra portum firmauimus, verum ſequenti die ingens tempeſtas & ventus extitit, quo naues ſolutæ & hinc inde diſtractæ ſunt, ex quibus tamen quædam poſtmodo ad claſſem noſtrā, quædam in ipſam Angliam reuerſæ ſunt. *11. Iunij.* *12. Iunij.*

Eo in loco Dux noſter, RODVLPHO LAVE generali Anglorum, qui in VIRGINIA erant, gubernatori promiſit, quod vellet populo ſuo de omnibus rebus neceſſarijs proſpicere, & vnam ex majoribus ſuis nauibus cū expoſitoria quadā nauicula ibi relinquere, qua niſi intra mēſtruū tēpus numerus militum, quorum tum tantum 150. erāt, rurſus compleretur, in Angliam reuerterētur. Verum cum videremus eos qui in VIRGINIA adhuc ſupererāt, nō ſolū rerū omniū inopia laborare, ſed & varijs cum morbis & miſerijs conflictari, vt nihil magis in votis haberent, quam primo quoq; tempore in patriam ſuā reuerti, ſtatim eos in naues noſtras recepimus, & nobiſcum abduximus. *La Virginea.*

Tandem igitur 27. Iulij, Anno 1586. domum reuerſi, in PORTISMOTH Angliæ, vnde ſuperiori anno ſolueramus, appulimus. Deo ſit laus & gratiarum actio, qui nobis ſuā gratiam largitus eſt, vt hoc iter tam feliciter, non ſine magna Reginæ, patriæ & noſtrum omnium gloria, abſoluerimus. Spolia quæ in itinere lucrati ſumus, æſtimabantur 60000. librarum STERLINGS noſtratis monetæ, quarum 20000. inter milites & nautas diſtributæ ſunt. *27. Iulij.*

Ex numero autem eorum, qui hoc iter primo ingreſſi fuerant, fere 750. morbis partim ſublati, partim ab hoſtibus interfecti perierunt, quorum qui præ alijs præſtantes & celebres fuerunt, nomina hæc ſunt:

Centurio POVVEL centurio BIGGES cen-

centurio Varnoy, cēturio Cicel, centurio Moone, centurio Haman, centurio Fortescve, centurio Greevefield, Legatus Thomas Tevcker, Legatus Alexander Saricke, Legatus Escot, Legatus Vincentivs, Legatus Waterhovse. Item Nicolavs Winter, Alexander Carbeil, Robert Alexander, Scrovp, Iacob Dier, Peter Dvqve, & alij, quorum nomina jam non ſuccurrunt. Accepimus vero etiam 242. tormenta, tam fuſa, quā ex ferro fabrefacta. Item 200. ex ære Caldario, in Inſula quidē S. Iacobi, quinquaginta duo vel tria. In S. Dominico, octuaginta, quorum ingentia pleraque fuerunt, veluti Canones, & medij Canones, ſerpentes, & medij ſerpentes, &c. Præterea in ciuitate Carthagena ſexaginta, pleraque magni generis. Et in propugnaculo S. Iohannis, quatuordecim. Nam de ferreis tormentis quæ ex ciuitate S. Dominici, & ex Carthagena abduximus, verba hoc in loco facere nihil attinet.

Finis ſecundi itineris.

TERTIVM ITER FRANCISCI DRAKEN EQVITIS ANGLI QVI VI. REGIIS,

& 21. aliis nauibus, in quibus 2500. armati fuerunt, ad expugnandam ciuitatem Panamam, *in Indiam occidentalem profectus fuit, Anno 1595.*

Nomina ſex regiarum nauium.

Defiance, Garland, Aventvr, Deligt, Vorsicht, Hope.

Recuſatio, Sertulum, Audacia, Voluptas, Prouidentia, Spes.

ANno 1595. die 20. Aug. veteris Styli ſoluimus cū 27. nauibus, ex portu Pleymovth, ſed reuerſi ſumus rurſus in portū Covzon, & ibi vſq; ad meridiem alterius diei quieuimus. Sequenti die alliſa eſt nauis Hope, cujus præpoſitus vel Gubernator erat Franciscvs Baskerfielde Equus, ad ſcopulum Eddestrin, qui vt ſibi ſubueniretur, tormentum æneum emiſit, ſed illæſa, vna cū alijs littus Hiſpanicum petijt.

Die 8. Septembris, comprehēdimus duas celoces, quæ in Barbariam ſiue Mauritaniam ire volebāt, eas nobiſcum retinuimus, donec perueniremus vſq; ad Inſulas Canarias, vbi eas illæſas dimiſimus, hac tamen lege, ne hoſti de aduentu noſtro quicquam dicerent, & 26. Septembris, Fortem Ventvram, vnam ex Canariis Inſulis aſpeximus.

27. Septembris deliberato conſilio conſtituimus metropolim harum Inſularum oppugnare, in qua duæ vel tres arces erāt. Cūque eam ex vna parte prætereuecti eſſemus, reuerſi ſumus ab altera parte vſque ad propugnaculum quod verſus Ortum ſitum erat, conantes cum 1400. armatis in arenoſo portu qui inter ciuitatem & propugnaculum erat appellere, ſed propter moram quam traximus, hoſtes in arena iſta aggerem & vallū fecerāt, & in eo aliquot tormēta repoſuerāt, vt ſine periculo nauib. egredi nō poſſemus, quod quidem periculum duces & centuriones noſtri ſubire recuſabant. Nam in littore erant pedites equiteſque Hiſpani fere 900. qui multis globis nos indefeſſo ſtudio petebant. Dux tamen ſupremus juſſit, vt ancoras nauium quibus nomina Salomon, Bonaventvra, Constance, & 9. vel 10. aliarum, firmaremus, donec alij, locum fortaſſe commodiorem inuenirent, vbi deſcendere in terram poſſent, ſed cum viderent conſultum id non eſſe, vertimus nos ad plagam Inſularum Occidentalem, & vaſa noſtra aqua dulci repleuimus, vbi centurio Grimston vna cum 6. vel 7. alijs, in montem aſcēdit, & ab incolis oppreſſus, cum chirurgo nauis Salomon, captiuus abductus eſt, tribus vel quatuor interfectis. Hi captiui noſtrum propoſitū manifeſtarunt, feceruntq; vt à Prorege ejus loci quidam ablegarentur, qui omnes ejus loci ciuitates de noſtro aduentu edocerent, ad quas appellere in Anglia jam pridem conſtitueramus.

Capo Verde nominatur in tabulis promontorium Viride.

Die 28. Septembris ſoluimus rurſus & iter noſtrum direximus verſus promontorium Capo Verde. Et poſtea præteruecti Inſulam Teneriffa, quæ ejus loci altiſſima eſt, quemadmodum etiam Inſulam S. Antonia ſiue S. Lvcar dictã, curſũ direximus verſus Porto Ricco, prope S. Bernardo, aſpiciẽtes 27. Octob. Inſulam Matelynt, vnde progreſſi ſumus ad Inſulam Dominico. Ibi venit nobis obuiam Canoa quædã ſeu nauis Indica, Tabacca, ſaccaro, Vannanis, & alijs frugibus onuſta, quas nobiſcum permutare pro ſecuribus, cultris, corallijs, & alijs ejuſmodi rebus volebant. Homines erant Anthropophagi, procero corpore, & rubro colore picti. Hæc Canoa appulit ad nauem Ducis noſtri Draconis, cum non procul ab Inſula Maregallante aberat, qui ipſis thoracem ex alluta factum, & ſtrophiolum pro frugibus ſuis dedit.

Sequenti die ſolutis ancoris, nauigauimus per Todos Santos, quæ erant 4. vel 5. Inſulæ paruæ inter Dominico & Gvadalvpo, ſitæ, nihil præter arbores habẽtes, & in plaga Orientali non procul à Gvadalvpo ancoras firmauimus, in plaga Occidentali hujus Inſulæ, aqua profunda eſt, & firmandis ancoris conueniens. Hic reuerſus eſt ad nos Dn. Iohannes Havken, per plagam auſtralem à S. Domingo. Hic etjam naues noſtras purgauimus, & celoces quaſdam extruximus, vaſa item recenti & dulci aqua repleuimus, & milites quodammodo recreauimus, Inſula Gvadalvpo nullis hominib. ſed feris tantum beſtijs quales ſunt lupi, falcones, pellicani, &c. habitatur, Draco Dux noſter aprum hoc in loco, ſclopo ſuo confecit.

30. Septemb. nauis Don Francois ingẽtis capacitatis, quæ optima erat ex omnib. Iohannis Havken nauibus, & Capitaneo VVignal commiſſa, à 5. Fregattis perſecutionem paſſa eſt, quibus vehebãtur 550. armati, qui 15. Septẽb. ex Hiſpania, ſub imperio Don Petri Telli, miſſa erãt, vt ex Porto Ricco argentum, quod à Philippinis eo delatum fuerat, afferrent, dicta nauis noſtra ſeſe illis adjunxerat, exiſtimans eas ad naues Iohannis Havken pertinere, & tandem videntibus illis qui in celoce noſtra erant, comprehenſa, & ſpoliata eſt, cumq; qui in ea erant in vincula conjecti eſſent, dimiſerunt nauem iſtam cum 4. vel 5. ægrotis & vulneratis. Hæc nobis poſtea à captiuis, quos in Inſula S. Iohannis comprehendimus, commemorata ſunt.

Quarto Octobris cœpimus nauem Bvtsack dictam, quæ commeatum & res ad bellum neceſſarias vehebat, exonerare, propterea quod ſequi nos non poſſet. Atque inde curſum noſtrũ verſus ſeptentrionem direximus. Verſus ortũ vero Inſulas Montserata, Rotonda, Estazia, S. Christovel, & Saba vidimus, quarum maxima, non excedit octo miliaria in longitudine, aquam habet arenoſam, quæ ancoras ad 7. vel 5. fila admittere poteſt. Porro ad 7. vel 8. miliaria verſus auſtrum progreſſi peruenimus 8. Octobris ad Inſulas quaſdã, quæ Virgines vocantur & vulgo periculoſæ habentur, ſed nos ibi portum 14. 12. & 8. filorum inuenimus, vel 1000. nauibus recipiendis aptum. Inſulæ ſunt altiſſimæ, aqua recenti & dulci deſtitutæ, piſcibus tamen, pſittacis, & pellicanis abundantes. Eo in loco facta eſt exploratio & diſtributio populi in 12. ordines. Atque ita per Inſulas illas proficiſcentes, per quas antea pauci profecti fuerant, 100. fere miliaria lucrati ſumus. Sed & Dn. Iohannes Havkens, ibi morbum contraxit ex ſolicitudine & dolore, quod in Inſulis Canariis non modo nihil profeciſſet, ſed & nauem Don Francois amiſiſſet, & conatus ejus omnis hoſtibus jam manifeſtatus eſſet. Soluimus tamẽ rurſus 10. Octobris, & confecto verſus ortum vno miliari, in exiguum portum peruenimus, vbi aquam ad 13. fila inuenimus ab vtroq; latere altiſſimis montibus cinctam.

Duodecimo Octob. ante meridiem per anguſtias quaſdam, periculo tamen vacuas, verſus occaſum ad Inſulam S. Iohannis perreximus, in qua Porto Ricco ſita erat, circa veſperam relictis verſus meridiem tribus Inſulis, quæ dicebãtur Los Passages, delati ſumus ad eam S. Iohannis plagam, quæ ortum reſpicit, & ita conſequentur ad Porto Ricco.

Hic obijt Dn. Iohannes Havken Dux noſter generalis, poſt cujus mortẽ D. Thomas Baskerfield ipſi ſuccedens, nauem Garland dictam, ingreſſus eſt. Circa veſperam antequam ancoras firmaſſemus, 18. tormẽta in nos emiſſa ſunt, ita vt globus per mediam nauis Defiance malum tranſmiſſus, conclaue in quo cœnam Draco capiebat, petierit, & ſellam in qua ipſe ſedebat, fregerit, qui eodem momento poculum vino repletum in manu habens ebibit. Ipſe quidem Dux noſter læſus non eſt, ſed Nicolavs Clifford eques Anglus, qui & ipſe menſæ aſſidebat, in ſura vulneratus, ſtatim mortuus eſt, quemadmodum etiam Capitaneus Stratford & Brvwer, vulnerati vero & alij ſunt quamuis non lethaliter. Poſtea verſus ortum progreſſi, ancoras in angulo extra ciuitatem non procul à tribus

iſtis

iſtis Inſulis firmauimus. PORTO RICCO multa propugnacula habet, ita vt neminem facile admittat.

Decimotertio Octobr. decretum eſt, vt 30. armati ſub quolibet vexillo eligerentur, qui cum 25. celocib. verſus occaſum in portum proficiſcerentur, & ignem Hiſpanis nauibus inijcerent, potiſſimum autem quinq; illas perderent, quæ 15. Septembr. ſub DON PEDRO TELLO ex Hiſpania ſoluentes, die 28. Octobris in Inſulis CANARIIS, & 27. Nouemb. in DESSEADA ſub arce ancoras ſuas firmauerant. Quod ipſum quidem caute & circumſpecte à noſtris effectum eſt, qui indictas quinque FREGATTAS ignem projecerunt, quo maxima quæ ADMIRALIS erat funditus conſumpta, reliquæ vero omnes ſimiliter accenſæ & læſæ ſunt. Nec potuerunt illi, qui in arce erant noſtros prohibere, quin hoc propoſitum in actum producerent, quãuis 190. globis Hiſpani nos petierint, atq; ita non parum damni in nauibus noſtris dederint, 50. nimirum armatis interfectis, & multis aliis vulneratis. Præterea multi etiam Hiſpani ibi occubuerunt igne partim, partim aqua extincti, vt taceã eos qui in vincula ſunt conjecti.

Quin etiam naues quaſdam in oſtio maris malis mirabiliter contectas ſubmerſerunt. Ex hiſce FREGATTIS quælibet 20. ænea tormenta & 100. tonnas pulueris habebat, merces earum, ſericum erat, oleũ & vinũ, Argentum vero quod afferre debebant, ad munitiſſimum propugnaculum delatum erat, & vt mihi captiuus quidam poſtea confitebatur 3800000. coronatorũ ſiue 350. tonnarum auri æſtimatum eſt. Omnes ex ciuitate vxores & liberos in ſyluas deduxerãt, ita vt tantum milites in ea ſupereſſent.

Decimoquarto Octobris eramus adhuc ſub tormentis extremi propugnaculi, ſed ipſi metuebant ne proxima nocte rurſus ingrederemur, itaque cum 4. FREGATTIS egreſſi ſunt, & ADMIRALIS data opera ſiue per infortunium ſubmerſa eſt, idem etiam, vt nobis videbatur cum cæteris fecerunt, vel ad Caſtellum eas ſaltem propius adduxerũt

15. Octobr. cum ibi adhuc eſſemus, vidimus CARAVELLAM ſiue celocẽ, ex angulo Caſtelli aduenire, ſed antequam celoce noſtrã eam aſſequi poſſemus, ad terram appulit, vbi eam ſequi amplius non potuimus, præſertim cum etiã eos, qui in littore erant, ei ſubuenire videremus.

16. & 17. Octob. ab armis ceſſatum eſt.

18. Octob. ad Auſtrum paululum ex occaſu Inſulæ declinauimus, & ancoras firmauimus ad 4. 5. & 6. fila in pulchro & arenoſo fũdo, egreſſi etiam ibi nauibus ſumus, eaſque purgauimus, præparantes ſimul 4. celoces. Quin etiam celocem quandam comprehendimus, quæ litteras ex HAYTI ſiue HISPANIOLA attulerat, ex quibus cognouimus duos piratas Anglos multum damni circa iſtam Inſulam dediſſe.

20. Octobr. præcepit Dux noſter, vt cum tribus nauibus quæ erant, PHOENIX, DELIGT & CARAVEL in oſtio fluminis cujuſdam ad duo fila aquæ, fere miliari vno à nauibus noſtris alijs, anchoras firmaremus. Ipſe enim ad 3. vel 4. miliaria in flumine progreſſus, quæ ſiuit oppidulũ S. STEMANA, expugnans arcem aliquam in itinere, & quoſdam qui in ea erant captiuos abducens. Venit etjam in BASKERVILDII nauim & ibi per noctem manſit.

23. Octobr. exoneratam nauem quæ vocabatur DVLPIT, igne conſumpſimus, propterea quod nos ſequi per omnia non poſſet. Poſtmeridiem cum naues rurſus conſcẽdere vellemus, confugit Hiſpanus quidam cũ vxore ſua in Admiralis nauem, metuens ne puniretur, quod mandato neglecto ciuitatem PORTO RICCO ingreſſus eſſet, poſtea progreſſi ſumus verſus occaſum & Septentrionem propter copiam ſaxorum, quæ ſub aqua ad 4. vel 5. miliaria à CABO ſiue promontorio Inſulæ iſtius reperiebatur.

25. Oct. prætervecti ſumus CABO ROSSO, quod promontorium verſus auſtrum ſitum erat, & conſpeximus MONAM, paruam & planam Inſulam inter Hiſpaniolam & S. Iohannem ſitam. Eo die rupta eſt ſuprema puppis in naui THE EXCHANGE, h.e. collybus, cui præerat D. WINTER, & ſequi amplius nõ potuit, itaq; PHOENIX remiſſa eſt, vt eam quæreret, cumq; eam Dei beneficio inueniſſet, manſit apud eam vſque ad diem alteram, qua Gubernator rudente eam naui ſuæ alligauit, verum circa horam nonam frangebatur malus magna & prima, vna cum rudente quo PHOENICI alligata erat. Itaq; eam populo & bonis exoneratam, mergi permiſerũt. Et PHOENIX ante 28. hujus ad claſſem noſtram reuerſus non eſt.

29. Octob. vidimus Inſulã CVRICOA, & firmauimus ancoras noſtras, in latere Occidentali, quod 8. miliaribus à continente aberat, vbi aqua profunda ſatis & periculi omnis expers erat, ſed paulo poſt ſoluẽtes, progreſſi ſumus, verſus occaſum ad continentẽ, & vidimus ARVBAM Inſulam minorem CVRICOA, quam ad tria miliaria verſus auſtrum reliquimus.

Vltimo Nouemb. vidimus 3. vel 4. ſcopulos, inſtar Inſularum, MONEAS dictos, inter ARVBAM & proximum promontorium ſeptentrionale continẽtis, ſitos, & verſus meridiem

 ridiem

ridiem vidimus terram continentem, vbi amnem rapidiſſimum inuenimus, cujus aqua alba erat.

PHOENIX cum noſtra Carauella & alia quadam nauicula, hunc amnẽ ingreſſæ, venerunt circa noctis medium, ſub promontorium DEL LA VELA, quo poſtmodum vniuerſa claſſis, cum ei ſignũ ignis datum eſſet, ſecuta, ancoras ſub promontorium firmauit. Bona eſt ibi ſtatio, & fundus bonus, ac non procul à terra, aqua habetur ad 14. 12. & 10. fila. Hoc CAPVT terra eſt plana, quæ 8 vel 10. miliaria verſus Auſtrum & Occaſum excurrit, & Inſulam habet paruam non procul à vertice ſitam.

1. Decemb. direximus claſſem noſtram ad fluuium RIO DE LA HACHA, in cujus littore 20. miliaria verſus occaſum procedendo, ſita erat ciuitas, quæ vna ex antiquioribus, inter omnes eas, quæ in continente cõſpiciebantur, erat. Hæc licet non admodum magna ſit, terrã tamen habet bonam atque fœcũdã, & facile à nobis expugnata eſt, populo in fugam conjecto. Naues in aqua ad 6. fila firmatæ erant, paruæ autem ad duo cum dimidio. Atq; verſus ortum ciuitatis copioſam arenam inuenimus.

Fluuius aquæ dulcis ibi non procul ab vrbe reperitur, ſed oſtium tam copioſa arena erat repletum, vt minores etiam nauiculæ eã ſuperare vix poſſent. Superato autem oſtio ad 6. vel 8. miliaria aſcendendo nauigari poteſt. Itaq; Dux noſter DRACO cum 150. armatis, noctu ad 6. miliaria verſus ortum progreſſus eſt, & oppidulum quoddam piſcatorum LA HACHERIA dictum, occupauit, vbi margaritas piſcari ſolẽt. Incolæ omnes fugam dederant, exceptis 16. vel 20. militibus, qui paululum reſiſtebant, ſed multi tamen ex illis vna cum aliquot Negris comprehenſi ſunt. Inuenimus ibi margaritas quaſdam, & res alias in ædibus, cumq; vires aliquo modo recollegiſſemus, Dn. THOMAS BASKERFIELDE vlterius progreſſus eſt.

Sexto Decemb. venerunt quidam Hiſpani, offerentes pecuniam pro redimenda ciuitate LA HACHA, ſed nõ poterat inter nos conuenire, cumq; parati eſſemus ad recedẽdum vidimus Carauellam, quam ẽt poſt horam, vna cum duabus Barquis, ſiue paruis nauiculis comprehendimus, quæ frumento Indico quod MAYS nominant, argento item atque margaritis, quamuis non magni precij, onuſtæ erant.

Die 7. Dec. mortuus eſt IARKE, Gubernator nauis THE HOPE, in cujus locũ ſucceſſit THOMAS DRACO Ducis noſtri frater, IONAS BODERHAM vero factus eſt Gubernator nauis BONAVENTVRE, & Dominus CÆSAR Gubernator nauis AMITIE.

Die 10. hujus decreuerunt Hiſpani 24000. coronatos in redemptionem ciuitatis numerare, & captiuus quidam promiſit 4000. coronatos pro ſua perſona.

Die 14. attulerunt incolæ ciuitatis aliquot margaritas, ſed eas tanti æſtimabant, vt Dux noſter eos remitteret, & terminum 4. tantũ horarum ipſis conſtitueret, quo tempore precium ciuitatis afferrent.

Die 16. Decemb. ipſemet Gubernator ciuitatis ad prandium venit, & inter alia quæ cum Duce noſtro habita ſunt colloquia, dicebat aperte, ſe ciuitatem iſtã nihil curare, nec velle etiam eam redimere, quin & margaritas præter voluntatem ſuam miſſas fuiſſe. Quicquid autem de redemptione propoſitum fuiſſet, id eo tantum factum eſſe, vt tẽpore iſto intermedio quo de redimenda ciuitate ageretur, cæteræ vrbes, quæ non ita munitæ erant admonerentur, vt bona, pecudes & populum, ex manibus noſtris in ſyluas traducerent, ſed nihilo tamen ſecius DRACO noſter duas iſtas horas, quib. ei commeatus promiſſus erat, lubens ipſi conceſſit, vt de iſta re melius deliberaret.

Die 17. Dec. BASKERFIELDE cum nauibus ELISABETH, CONSTANTIE, PHOENIX, CARAYEL, & 4. vel 5. celocibus, ad aliquot miliaria progreſſus eſt verſus occaſum, & poſtmodo egreſſus, terra profectus eſt ad ciuitatem TAPA, quam expugnatam igne combuſſit. Nec quenquam qui ſibi reſiſteret, inuenit, tam in diſceſſu quam in acceſſu, præterquam, quod cum amnem quendã traijceret, ſeruus quidã eius vulneratus eſt, quem tamen adhuc viuum ad naues noſtras perduximus. Hinc ad miliare adhuc progreſſi, pagum SALAMBA, igne perdidimus, & poſtea cum aliquot captiuis & non exiguo lucro, ad naues noſtras reuerſi ſumus.

Die 18. Dec. ciuitates RANGERICA, & LA HACHA, injecto igne funditus deletæ ſunt, excepto ſaltem templo & monaſterio Monialium, pro quibus apud Ducem interceſſiones factæ fuerant. Eodẽ poſtea die carbaſa ventis dedimus, vt ad cæteras naues reuerteremur, quæ Dn. THOMAM BASKERFIELDE ſecutæ fuerant.

Die 19. conuerſi ſumus ad promontorium GVCAS, illudq; 20. Dec. aſpeximus. Hoc promontorium eſt CAPVT tempeſtatibus varijs & ventis plurimis propter ſummam altitudinem expoſitum. Ibi Inſula quædam in ipſo oſtio ſita eſt, ſigno albo verſus occaſũ conſpicua. Terra eo in loco admodum ſalebroſa eſt, & in ſaxo quodam domus excubijs dicata. In medio iſtius ſcopuli, parua quæ-

dam

dam Inſula conſpicitur, ad quam inter Inſulam DIBOTTE & continentem, ingreſſus patet. Ibi etiam portus & ciuitas S. MARTHÆ eſt, quam circa horam vndecimam expugnauimus. Incolæ ejus loci omnes fugam dederāt, exceptis quibuſdam Hiſpanis, NEGRIS, & Indis, qui 30. vel 40. tormētis prius emiſſis, poſtea ipſi quoque aufugerunt. Eadem nocte legatus & qui Gubernatoris vicem gerebat, captus eſt, quin & ſpolium non exiguum in ſyluis accepimus. Nam in ciuitate nihil relictum erat, quamuis vix locus aliquis in tota ea regione ditior reperiretur, præſertim cum ēt arena auro intermixta videretur. S. MARTHA, inter altiſſimos mōtes ſita, 26. miliarib. à RIO DE LA HACHA abeſt. In hoc portu, non admodum commoda nauium ſtatio eſt, propter tempeſtates, quæ à luna ſilente ibi excitantur.

Die 21. Decemb. mandatum accepimus vt ſuccenſa ciuitate, naues aſcenderemus, quamuis ventorum maxima vis eſſet, quam plurimi milites vitare volentes in littore ſeſe paruis nauiculis ſaluarunt. Amiſimus a. hac nocte ex cōſpectu noſtro PHOENICEM, Capitaneum AVGVSTINVM, PETRVM LEMMOND, & nauim GARLAND, cū PINASSE ſiue celoce. Qui in littore erant, ex CARTHAGINE infeſtati ſunt, ſed ad noſtros tamen reuerſi tandem ſunt, excepto PETRO LEMMOND, qui cum nouem alijs captiuus abductus eſt.

Die 26. Decemb. vidimus Inſulas NOMBRE DE DIOS, aliquot miliaribus à nobis verſus ortum diſtantes.

Die 27. peruenimus ad oſtium ſiue ingreſſum in NOMBRE DE DIOS, & circa horam primam, ciuitatem eam occupauimus, ex qua populus omnis aufugerat, exceptis 100. Hiſpanis qui caſtellum occuparant. Hi tribus vel quatuor tormētis nos petierūt, quorum vnum inter ejaculandum, fractum eſt. Quin etiam ſclopetis nos petierūt, ſed poſtea videntes fortiſſimum noſtrum impetum, in ſyluis ſeſe abſconderunt.

Vrbs hæc mediocris erat magnitudinis, latiſſimis plateis, ædificijſq; altiſſimis, vt & templo ex duriſſimo ligno pulcherrime extructo exornata, in cacumine montis cujuſdam, qui in ciuitate erat, inuenimus domunculam excubitoribus deſtinatam, in quā 20. fruſta argenti rudis, & duo auri puri, argentum ibidem ſignatum plurimum, & ſpolia alia accepimus.

Sita eſt vrbs in loco paluſtri, perpetuis pluuijs obnoxio, & aerem tam habet noxiū, qualis in nulla Indiæ ciuitate reperitur. Maximus ibi prouentus eſt malorum punicorū, VANNANARVM, radicum CASSAVE, & pomorum id genus aliorum, ſed radices tamen non ſine periculo comeduntur. Ad plagam ciuitatis Orientalem prope portum, amnis quidam aquæ recentis & dulcis mare ingreditur, ciuitas ædificijs & areis pulcherrimis refertiſſima eſt. Ab eā vnico tantū miliari aberat oppidum quoddam Indicum, ad quod cum 100. armatis profecti ſumus, ſed incolæ fracto, qui per fluuiū nos ducere potuiſſet, ponte, ſeſe in arbuſtis & arundinetis cum 20. vel 30. ſagittarijs abſconderant, qui ex improuiſo nos aggreſſi, Legatū Ducis IOANAM interfecerunt, & trib. vel quatuor præterea vulneratis, oppidū ingreſſi ſunt, quod tamen poſtea igne accēſum deſeruerūt. Nos autē, cū eos in ſyluas aufugiſſe ſciremus, dedimus operā, vt funditus oppidū iſtud deleretur, præſertim cum Dux noſter non procul ab iſto loco vaſa noſtra recenti aqua impleret. Portus ciuitatis NOMBRE DE DIOS elegās eſt, & qui ibi appellere volūt, hi rupes & ſaxa ab vtroq; latere plurima inueniunt, quæ tamen periculo omni carēt, cum videri poſſint, & ita diſpoſita ſint, vt ad tria vel 4. fila in medio ipſorum ancoræ firmari commode poſſint, extra vero ſcōpulos iſtos ad 8. vel 10. fila damnum nauibus dare nemo queat. Hoc in loco aulæ Magiſter obijt.

Die 24. Decemb. aſſumpſit Dn. THOMAS BASKERFIELDE 700. vel 750. armatos, ad ciuitatem PANAMAM proficiſci volens, vbi quidem ipſis itinere anguſto & malo, 30. miliaria conficienda erant, nam iter illud ex montibus & arbuſtis exſectum, perpetuis aquis & paludibus deforme erat, ita vt itinere peiori milites profecti nunquam fuerint. Quin & Hiſpani in cacumine montis, qui meo quidem judicio in medio itinere ſitus erat, propugnaculum fecerant, jam pridem ſcilicet de aduentu noſtro admoniti, in quo præſidium erat 90. vel 100. Hiſpanorum. Et hujuſmodi quidem præſidia adhuc duo nobis ſuperanda erant, antequam ad ciuitatem PANAMAM veniremus. Qui in præſidio erant, nos ſclopis ſuis petebant, antequam eos animaduertimus, & vltra 20. ex noſtris interficiebant, quorum in numero erant, Capitaneus MARCHAN ſupremus ordinum ductor, ſignifer SAMPSON, MAVRITIVS VVILLIANVS, vnus ex præſidiarijs Regiæ in Anglia Majeſtatis. Vulnerati ſunt autē Legatus Ducis HVNTLEY, ita vt poſtea moreretur. Præterea in ſura læſus eſt ipſemet Dux noſter BASKERFIELDE, vna cum alijs 40. fere armatis. Quare populus cum jam defeſſus & laſſus eſſet, videretq; commeatum & cibum jam ferme conſumptum eſſe, nec quicquam iſto itinere rurſus acquiri poſſe, effecerūt & obtinuerūt apud D. BAS-

KERFIELDE vt mutato conſilio ſuo, de reditu ad naues cogitaret. Itaq; cum ad Ducē DRAKEN ea de reſcripſiſſet, reuerſus eſt ad ciuitatem NOMBRE DE DIOS, die 4. Ianuar. Anno 1596.

Die 5. Ianuarij cum DRACO ciuitatem NOMBRE DE DIOS vna cum templo omnibus FREGATIS, BARQVIS, & GALEOTTIS injecto igne vaſtaſſet, carbaſa & vela noſtra verſus Occidentem direximus.

Die 10. Ianuar. conſpeximus Inſulam quādam 30. miliaribus verſus Occidentem ab hoc loco diſtantem, nomine SONDA, ibi ancoras firmauimus ad 12. fila in arena & fundo bono, vbi cum ad angulum verſus ortum peruenitur, magna ſcopulorum ſeries metuenda eſt, quæ conſpicitur vbi ad finem Inſulæ peruentum eſt. Hic vidimus nauem quandam celocem noſtram inſequi, quam ſtatim comprehendimus, erat enim onuſta frumēto quod MAYS vocant, cumque populus examinaretur, cognouimus ees miſſos fuiſſe, vt de noſtro aduentu omnes portus & ſtationes verſus occaſum admonerent. Inſula hæc 9. vel 10. miliaribus à continente abeſt, multis ſyluis formidabilis eſt, & ad 2. miliaria nullis hominibus habitatur. Hic purgauimus naues noſtras, & celoces adhuc ſuperſtites rurſus inſtruximus, ad 22. vſque Ianuarij ibi commorantes, quo die rurſus ad ciuitatem NOMBRE DE DIOS reuerſi ſumus. Accidit enim vt ſupremus PILOTTA ibi moreretur, & Dux etiam noſter DRACO Dyſenteria laborare inciperet.

23. Hujus direximus vela noſtra ad PORTAM BELLAM, quæ tribus tantum miliarib. verſus occaſū, à NOMBRE DE DIOS aberat.

Franciſcus Draco moritur Dyſenteria.

Die 28. Ianuarij ante meridiem obijt Generalis noſter Dux DRACO, qui aliquandiu Dyſenteria laborauerat, quæ tamen ea nocte ceſſare viſa fuerat. Dicebat ipſe nobis paulo ante obitum ſuū, ſe certo ſcire, Hiſpanos poſt mortē ſuā multā molituros, debere igitur nos curam agere nauiū omniū, imprimis vero regiarum. Hæc & multa alia cū dixiſſet, ſurrexit veſtimenta induere volens, ſed ſtatim lecto rurſus impoſitus eſt, & eadē hora in Chriſto obdormiuit. Teſtamenti ſui executores fecit fratrem ſuum THOMAM DRAKEN & IONAM BODERHAM, Heredes vero bonorum ſuorū omniū filios fratris ſui inſtituit, excepto agro quodam quē dicto BODERHAM legauit. Eodem tempore obijt etiā OZIAS præfectus nauis THE DELIGT. Nos autem eo die anchoras firmauimus in portu qui PORTA BELLA vocatur, quo quidem præſtantiorem & commodiorem nondum habueramus. Offerebātur etiam nobis hinc inde in littore ſtationes, tam majoribus quam minorib. nauibus recipiendis accommodatæ, vnum ſolummodo tormentum in angulo terræ iſtius qua ortum reſpicit, plantatum erat. Inter Inſulam vero & cōtinentē ſemper ad 5. vel 6. fila, aqua reperitur, ſed optimus ingreſſus eſt in oſtio aperto, inter hāc & aliam inſulam, quæ verſus occidentem longa ſaxorum ſerie excurrit.

In PORTA BELLA vix octo vel 10. ædes erant, præter domum regiam, quam pro gubernatore ædificabāt, qui eo mittēdus erat. Erat etiam ibi propugnaculum ſiue caſtellum in littore maris ex integris arboribus factum & multa terra oppletum. Ac niſi noſtro aduētu propoſitum & conatus ipſorum fuiſſet impeditus, ipſi quidem caſtellum firmiſſimum ibi feciſſent, ita vt firmius in ea regione nullum inueniri potuiſſet, nam & ciuitatem ibi condere decreuerant. Erant ibi tria tormenta bellica, ex orichalco fuſa, mari immerſa, quæ extraximus, populus cum omnib. bonis ſuis aufugerat. In portu iſto erat pagus quidam apertus, & nullo munimento cinctus, penes quem reperiebatur amnis recentis & dulcis aquæ, quem ingreſſi quidam ex noſtris, inuenerūt vinum, oleum & ferrū.

Hoc in loco poſtquam ancoras firmaſſemus, peracto funere DN. FRANCISCI DRAKEN, ingreſſus eſt THOMAS BASKERFIELDE cum omnib. centurionib. alijs, nauem regiam THE DEFIANCE, in qua DN. BRYDE, qui nobis à ſacris concionibus erat, concionem pro tempore iſto habuit, magno cum applauſu populi. Finita vero concione juſſit THOMAS BASKERFIELDE omnes centuriones & capitaneos in naui THE GARLAND, conuenire, vt cum illis de rebus neceſſarijs deliberaret. Cumq; eo veniſſent, productas literas commiſſorias eis monſtrauit, quibus lectis, è veſtigio Dux generalis habitus & declaratus eſt, & BODERHAM nauis DEFIANCE gubernator factus eſt, DN. SAVEL, nauis AVENTVRE.

Præter dictum OZIAM, præfectum nauis THE DELIGT, obijt etiam EGERTON, nobilis quidam in naui VORSICHT, & IA. Wood præcipuus claſſis noſtræ Chirurgus in naui GARLAND, necnon & ABRAHAMVS KONDAL, in naui SACKER dicta.

Hoc in loco recenti aqua vaſa noſtra repleuimus, naues purgauimus, & vela reparauimus. Conuenerat enim inter Ducem & Centuriones omnes, vt ſi iter aliquod ad S. MARTHAM, inueniri poſſet, illud ingrederemur, ſin minus, recta Angliā repeteremus.

Sexto Febr. exoneratā nauē ELISABETH, quæ DN. WATZEN ſenatoris cujuſdā Londinenſis erat, ſubmerſimus. Cumque aliqui ex naui, cui nomen erat PEGASVS, inter-

in terram egreſſi, recentem afferre aquam vellent, ab Hiſpanis ex improuiſo oppreſſi ſunt, qui duobus interfectis, nec non duobus etiam vel tribus captis; ſeſe rurſus ſubduxerunt.

Die 7. Februarij nauis DELIGT & FREGATA Capitanei EDNES, exoneratæ, cum admodum corruptæ eſſent, ſubmerſæ ſunt. Naues vero Regiæ velis indigebant.

Eodem die explorato populo noſtro; inuenimus in vniuerſum 2000. viros, connumeratis omnibus tam ægrotis quã ſaluis; & ſequenti die omnes noſtros captiuos in terram expoſuimus, tam Hiſpanos, quam alios. Duos autem captiuos ablegauerat Dux noſter THOMAS in ciuitates NOMBRE DE DIOS & PANAMAM, vt λύτρον pro quibuſdã præcipuis captiuis afferrent, qui tamen reuerſi non ſunt. Cæterum cum jam diſceſſuri eſſemus, venerunt ad nos quidam vexillum album præ ſe ferentes, quod pacis ſignum erat, & Duci noſtro ſignificarunt, ſe 10. Anglos captiuos habere, conditione tamen nõ iniqua, & velle ſe eos nobis ex PANAMA trãſmittere, ſi 8. vel 10. adhuc dies ibi cõmorari vellemus. Verum nos dolũ ſubeſſe verebamur, & cogitare aliud non poteramus, quam quod nos detinere & remorari vellẽt, donec claſſis regia adueniret.

Die 8. hujus, curſum noſtrum ad S. MARTHAM direximus, & 14. hujus vidimus Inſulam BARV, quæ verſus occaſum ſita 14. miliaribus à CARTHAGENA abeſt. Circa noctem præcepit nobis Dux noſter, vt ad portũ ciuitatis BARV nauigaremus, ſed ingens ea nocte tempeſtas orta eſt, & ventos integra lunæ quarta tantos experti ſumus, vt aliquot naues amiſerimus. Ea enim nocte nauem VORSICHT amiſimus, ſequẽti vero die naues SVSANNAM, PANEL, HOPE, & PEGASVM. Itaque tertio die intermiſſo hoc ad S. MARTHAM curſu, iter verſus promontoriũ S. ANTONII ingreſſi ſumus.

Die 25. Febr. aſpeximus Inſulam GRAN CAMAINAS, 30. miliaribus à IAMAICA diſtantem, quæ humilis & arenoſa Inſula eſt, multis teſtudinibus abundans.

26. Hujus vidimus eleuatam regionem CVBA, verſus ortum à fractis Inſulis ſitam, & delati eramus ex plaga orientali ab Inſula PINOS in periculoſiſſimum tractum IORDINAS, quod cum vidiſſemus, verſus auſtrum nauem direximus, & ad ſeptentrionem PINOS progreſſi ſumus, quam Inſulam 1. die Martij vidimus. Terra humilis eſt, arboribus repleta, & limpidiſſimis fontibus in plaga ſeptentrionali ſcatens, in medio 8. vel 9. rotũdi colles aſſurgunt, & in plaga occidentali tres continui.

Cum in plaga occidentali eſſemus, & vaſa noſtra recenti aqua replere vellemus; vidimus circa horam primam pomeridianã 20. naues; tertiam nimirum partem claſſis regiæ quæ ablegata erat ad Inſulas HONDEROS, & in vniuerſum 60. nauibus conſtabat. Habebat autem mandatum de nobis exterminandis, vbicunque nos inuenirent. Hæ naues 20. quæ nobis obuiam fiebãt, ſeſe in HAVANA recrearant, & CAPO CORIENTOS petere volebant, qui locus à ſuperiori 50. miliaribus abeſt. Cum autem nos vidiſſent, ſtudebant vento nos anteuertere, ſed nos ventum ipſis præripuimus, quo facto Archithalaſſus vexillum Regium naui præfixit, atque ita vento ſecundo eos aggreſſi ſumus. Præceperat autem dux noſter, ne illi qui in naui DEFIANCE erant, tormenta ſua emitterẽt, priuſquam prope ad hoſtes veniſſent.

Hiſpanorum VICE Prætoria nauis quæ magnitudine ſua omnes noſtras naues ſuperabat, primo progreſſa, emiſit duo anteriora & maxima tormenta in nauem noſtrã CONCORDE, quæ tamen ipſi nihil cõceſſit; quod pugnæ iſtius naualis initium erat. Nauis BONAVENTVRA admodũ ſtudioſe Viceprætoriæ noſtræ adhærens, tormentis & bombardis artificioſiſſime eam petijt; ita vt latus vnum perruptum ſit. Archithalaſſus in Prætoria noſtra naui globis & puluere ſuo nihil minus pepercit; ſed DEFIANCE, quæ in medio hoſtium fulminabat, tam vehementer pugnabat, vt Hiſpanorum VICE ADMIRALIS, vna cum tribus vel quatuor alijs nauibus, cogeretur fugam dare & ADMIRALEM, claſſemq; reliquam deſerere.

Poſt occaſum ſolis, conuertit ſeſe vniuerſa claſſis verſus ortum, & nos ſimiliter iter verſus ortum ingreſſi ſumus ad CAPO CORIENTOS, eo fine vt cum reliqua Hiſpanorum claſſe congrederemur. In hac pugna amiſit nauis DEFIANCE 5. viros, tres Anglos, vnũ Græcum, & vnum NEGRVM, in aliis vero nauibus, capitanei quidam militeſq; gregarij vulnerati ſunt. Sed veſperi vidimus ingẽtem Hiſpanorum nauem igne ſuccenſam ardere, quod fortaſſis à puluere tormentario per incuriam factum fuerat.

2. Martij, cum dies oriretur, non procul à CABO CORIENTOS aberamus, quod humile eſt promontorium, multis arboribus obſitum, quæ altitudine ſua omnes alias vincũt, & toto fere miliari à CABO diſtant in plaga orientali, nam in auſtrali fere tota CVBA ſyluis & arboribus repleta eſt.

Claſſis Hiſpanica quæ tum 14. tantum nauibus conſtabat nobis à tergo cum ſecundo vento imminebat, non audebat tamen pro-

propius accedere, quamuis ADMIRALIVS ſiue Archithalaſſus noſter eam expectaret. Itaque nauigando promontorium iſtud facile ſuperauimus, excepta naui SALOMON, quæ littori adhærens nos ſequi non poterat, ſed vento verſus ortum à nobis auulſa & abrepta eſt. Quod cum Hiſpani viderent, 3. vel 4. nauibus ad eam properarũt. Nos autem DEFIANCE nauem emiſimus, quæ ei ſuppetias ferret, itaque Hiſpani rurſus ad claſſem ſuam conceſſerunt. Interea quieuimus & nauem SALOMON expectauimus. Qua adueniente iter noſtrum ad CABO S. ANTONIO direximus, quæ Inſula circiter horam ſecundam pomeridianam nobis viſa eſt. Regio itidem humilis eſt, & verſus meridiem ſinum in mari habet alba arena conſpicuum. Statio eſt bona contra ventos Septentrionales & Subſolanum. Ea nocte horam vnam atque alteram inter medium noctis & occaſum quieuimus. Cumque dies rurſus apparere inciperet, aſpeximus Inſulam CVBA & plagam orientalem ad ORGANES, qui periculoſiſſimi ſcopuli ſunt, & 8. fere miliaribus à CVBA diſtant, initium ſumentes quamprimum quis CABO S. ANTONIO præteruectus eſt.

Die 5. Martij venti admodum remiſſi & lenes fuerunt.

Die 7. vidimus eleuatam quandam regionem, inſtar coronæ, quæ ſeſe aperuit verſus occaſum, 13. vel 14. miliaribus ab HAVANA, cum alio quodam loco in CVBA, TABLES dicto, qui 8. miliaribus verſus ortum à dicta corona aberat. Regio vltra inſulam HAVANAM exiguos duos tumulos nobis exhibebat videndos, referentes formam vberem muliebrium.

Die 10. aſpeximus CABO ſiue promontorium FLORIDÆ, quod & ipſum depreſſum humileq; eſt & non procul ab hoc CABO verſus auſtrum aliquot fractæ & ſubmerſæ Inſulæ cernuntur. Hora ſecunda pomeridiana ex oculis noſtris terram iſtam amiſimus, cum 12. miliaribus verſus ortum à CABO abeſſemus. Poſtea verſus ortum vſque ad mediam noctem progreſſi ſumus, & inde cum vento ſubſolano verſus Septentrionem, quo vento vſi ſumus vſque ad 13. Martij, ita vt ad 31. gradus aſcenderemus. Poſtmodo ingens tempeſtas & ventorum commotio facta eſt, qua naues BONAVENTVRAM & IOHANNEM MINOREM amiſimus, curſum inter ortum & auſtrum tenentes.

19. Martij, hærebamus in 29. gradu, & curſum inter Ortum & Septentrionem tenebamus. Die vero 21. Martii maximam tempeſtatem experti ſumus, ſed ventos tamen habuimus bonos. Multæ autem naues ex claſſe noſtra ſubſtiterunt, excepta THE HOPE quæ procedebat. Apud Admiralium vero manſerunt DEFIANCE, ADVENTVRA, & PHOENIX.

Die 28. Martij eramus in 39. gradu, & iter ad FLORES direximus, quem locum 8. Aprilis conſpeximus, nono hujus, in plaga Inſulæ auſtrali ancoras firmantes, vbi aquas recentes hauſimus, quibus DEFIANCE fere deſtituebatur. Hic in terram expoſiti ſunt DRACONIS duo Naucleri.

Die 10. Aprilis vela noſtra ventis rurſus dedimus, & die quidem Paſchatos pluuias ventoſque experti ſumus maximos, ſed tandem Dei beneficio ſalui & incolumes, cum illis, quæ adhuc ſupererant, nauibus, domum redijmus.

Finis omnium itinerum Draconis.

VERIS.

VERISSIMA DESCRIPTIO NAVIGATIONIS A THOMA CANDISCH, NOBILI ANGLO, SVSCEPTÆ, QVA IPSE AB ANNO M.D.LXXXVI. *vſque ad annum* 1588. *vniuerſum terrarum orbem circumnauigatum ab ſeſe explorauit, & perluſtrauit, per Dn.* FRANCISCVM BRETTIE, *qui ipſemet huic itineri & nauigationi cum aliis adfuit, fideliſſime conſignata.*

ANno 1586. die 21. Iulij veteris ſtyli, ſoluimus ex PLYMOVTH, portu Angliæ, cum tribus nauibus, ADMIRALI nimirum, cui nomen erat THE DESIRE, hoc eſt, cupiditas ſiue deſiderium, capacitas vero 120. vecturarum ſiue laſtarum: THE CONTENT, hoc eſt, ſufficientia, cujus capacitas erat 60. laſtarum, & HVGO GALLANT, hoc eſt, Hugo Expeditus, cujus capacitas 40. laſtarum fuit. Quæ naues 123. armatis, & omnibus rebus neceſſarijs ad 2. annos, munitæ atq; inſtructæ erant, ſumptibus Dn. THOMÆ CANDISCH, Nobilis Angli, qui etiam Admiralis vel Dux generalis habitus eſt.

Die Martis qui erat 26. Iulij adhuc 45. miliaribus à promontorio FINIS TERRÆ, abfuimus, vbi nobis 5. naues Hiſpanicæ ex BYSCAIA quæ olim Cantabria, occurrerũt, venientes noſtro quidem judicio ex magno maris ſinu in TERRA NOVA. Admiralis noſter eas aggreſſus, tribus horis oppugnauit, ſed nocte præuentus capere nullam potuit.

Die 1. Auguſt. circa horam 10. antemeridianam, vidimus Inſulam FORTE VENTVRA, quæ ex CANARIIS vna eſt.

7. Die Auguſti prope jam ad littus BARBARIÆ perueneramus, vſque ad fluuiũ RIO DEL ORO, hoc eſt, fluuius aureus.

19. Auguſti peruenimus ad promontorium CABO BLANCO, hoc eſt, promontoriũ albũ, ſed ventus tã vehemẽs erat, vt nõ poſſemus eouſq; aſcendere, vbi piſcatores piſcationibus operam dare ſolent, itaq; 6. horas quieuimus in loco verſus occaſum, præſertim cum copioſa arena ante promontorium iſtud in plaga auſtrali inueniretur.

15. Auguſti eramus in vertice CABO VERDE, hoc eſt, promontorij viridis, & noſtro quidem judicio 50. miliaribus ab eo verſus mare.

Die 18 hujus promontoriũ SIERRA LEONA, verſus ortum à nobis aberat, & eodem die Zephyrus ſpirare cœpit, qui curſum noſtrum adeo promouit, vt 20. Auguſti tantũ 6. & dimidio gradibus, à linea æquinoctiali abeſſemus.

Die 23. Auguſti ſtrenue à SIERRA LEONA progreſſi, ad plagam ejus auſtralem, die 25. Auguſti peruenimus, vbi portus ſeu ſtatio nauium erat, quam H. BREWER, vice Admiralis in naui THE CONTENT ingreſſus eſt.

Die 26. Auguſti, portum ingreſſi ſumus, & in ingreſſu circa ſcopulum in plaga auſtrali, mare inuenimus 5. fila profundum, vlterius autem progreſſi ſuperato nimirum ſcopulo iſto non minor 10. filis profunditas reperta eſt, donec in ipſam ſtationem veniremus, quæ vnico tantum miliari à promontorio aberat, & verſus auſtrum excurrebat, ſed dãda omnino erat opera vt quis naui ſua in medium ſinum ingrederetur, erat enim ibi refluxus admodum vehemẽs, & in ſtationes ſeſe magna vi effundens. Ex Anglia vſque ad hunc locum numerantur 950. miliaria, quod quidem iter à 21. Iulij vſque ad 26. Auguſti emenſi ſumus.

Die 27. Auguſti venerunt duo NEGRI ſiue Aethiopes ad naues noſtras, ab Admirali Londinenſi ad nos miſſi, hi nutu ſignificabant, nauem quandam Luſitanicam non procul à nobis in portu iſto quieſcere, itaq; minima noſtra nauis THE GALLANT ad tria vel quatuor miliaria aſcendit, ſed cum PILOTTA ſiue gubernatore deſtituerentur, vlterius progredi non audebat, ſinus enim

ad tria

ad tria vel quatuor miliaria ibi in terram excurrit, & periculoſæ eſt profunditatis, vt ex quodam Luſitano poſtmodum cognouimus.

Die 28 Auguſti, miſſi ſunt quidam, qui medium diem ſaltando & voluptates alias exercendo ſeſe cum NEGRIS ſiue Aethiopibus oblectarent, & de naui hac Portugallenſi aliquid expiſcarētur. Hi cum rurſus naues conſcendere vellent, repererunt Luſitanum quendam poſt carecta latentem. Qui cum captiuus ad nos adduceretur, referebat, nos non ſine ingenti periculo poſſe ad pagum iſtum nauigando peruenire, & nauem de qua nobis dictum fuerat, inueſtigare, itaque diligenti habita examinatione & tortura etiam præmiſſa, cum animaduerteremus ipſum vera profeſſum, ab inueſtigatione & perſecutione nauis iſtius abſtitimus. Inter alia affirmabat hic captiuus etiam, quod nauem ſuā iiſdem in locis per maris intemperiem amiſiſſet, & quod in numero iſtorum qui captiui erant NEGROS ſiue Aethiopum duo adhuc ſupereſſent ſui ſocij ſiue comites itineris. Nomen ipſi Emanuel fuit, patria Portuenſis ex Portugallia erat.

Die Auguſti 29. naui egreſſus Dux noſter CANDISCH, vna cum 70. viris, pagum quēdam ingreſſus eſt, ex quo, poſt conflagrationem aliquot ædium, ſpolia abduximus, quæ tamen exigua erant, propterea quod populus cum bonis ſuis ad alia ſeſe contulerat loca. Hinc diſcedentes, peruenimus ad pagū quendam apertum, multis tamen arbuſtis cinctum, NEGRI vero vel Aethiopes aduētantes nos ſagittis ſuis pro virili exceperunt, ſed non plures quam tres ex toto noſtrorum numero vulnerarunt, qui, licet veneno à ſagittis iſtis infecti fuerint, Dei tamen beneficio in viuis conſeruati ſunt. Pagi ipſorum, pro loci iſtius qualitate vel potius ruſticitate muro luteo cincti ſunt, aream capacitatis ſatis magnæ habent ſudibus cinctam atq; munitam. In plateis, ædibuſq; ſordium nihil colligitur. Homines ſiue NEGRI iſti, ſubjectiſſimi ſunt ſuo Regi, cui multum etiam honoris exhibēt, ſic enim ex quibuſdam accepimus, qui obſides in locum duorum NEGRORVM de quibus ſupra dictum, ipſis dati erant. In hoc pago vltra ædes 100. numerari non poterant.

Septemb. Primo Septembris, multi ex noſtris nauib. egreſſi, induſia ſua per totū diem nullo prohibente lauerunt. Sequenti vero die, cum faber quidam lignarius ad arbuſta ejus loci ſeceſſiſſet, opus naturæ perfecturus, conſpexit forte fortuna NEGROS ibidem latitantes, qui poſtquam animaduerterent ſe viſos & exploratos eſſe, ſubitanea & forti impreſſione impetum in noſtros fecerunt, ita vt fugam arripere noſtri cogerentur, in qua tamē fuga non pauci vulnerati ſunt, inprimis vero miles quidam, GVILHELMVS PICKMAN, in partem pedis ſuperiorem, ſeu femur, ſagitta percuſſus eſt, qui cum eam extrahere niteretur, fracta eſt, cuſpide in carne permanente, per noctem autem à veneno iſto totus venter ita intumuit, vt colorem atramēti referret, vnde ſequenti die mortuus eſt, & venenata cuſpis poſtmodum extracta. Verū illud ex herba quadam exprimitur.

Die Septemb. 3. multi ex noſtris ſuis nauiculis ad 4. miliaria aſcenderunt, & multos piſces ceperunt, multa itidem poma citria, ab arboribus decerpta, nobis attulerunt, & in reditu duos bubalos conſpexerunt.

Die 6. Septemb. ex portu egreſſi, à SIERRA LEONA rurſus ſoluimus.

Die ſequenti ſeu 7. Septemb. diſceſſimus ab Inſulis CABO VERDE, ſiue promontorij viridis, quæ alias Inſulæ à MADRABVMBA dicuntur, & 10. miliaribus à promontorio SIERRA LEONA diſtant. Veſperi circa horam quintam ancoras emiſimus ad duo miliaria ab Inſula quadam, quam poſtmodum ingreſſi, nihil inuenimus præter arbores VANNANAS. Habitabatur autē meris NEGRIS. Die 8. Septemb. circa inſulam iſtam, quadam nauicula noſtri profunditatē aquæ explorantes deprehenderunt eam in circuitu iſtius loci eſſe 5. filiorum, quibuſdam vero in locis duo tantum, item 6. & plura inuenerunt fila. In plaga Inſulæ iſtius orientali, pagus erat in quo NEGROS habitauerant, vt ex victualib. ibi repertis colligere erat. In plaga auſtrali aquam recentem nullam inuenimus, ſed in plaga Septentrionali eam tribus vel 4. in locis accepimus.

Inſula iſta continuam ſpectatoribus exhibet ſyluam, excepto quodam tantum loco, vbi ædificia ipſorum extructa ſunt, qui locus vndique arboribus VANNANAS proferentes cinctus eſt, quæ fructum illum bonū & ſalutarem ferunt. Tractus hic perpetua tonitrua, fulgura & pluuias hoc menſe habet, cujus quidem rei cauſſam eſſe judico quod ſol lineæ æquinoctiali proximus eſt.

Die Septemb 10. ſoluimus ab Inſula MADRABVMBA, Braſiliam ſiue Americam petituri.

Vltimo Octobris delati ſumus ad montē Octob.
quendam, 24. fere miliaribus à CABO FRIO ſeu promontorio frigido, in Braſilia diſtantem, cujus vertex formam rotundæ ciuitatis habebat, juxta autem montem iſtum duæ adhuc Inſulæ ſitæ erant.

Primo Nouemb. nauigauimus inter Inſu- Nouemb.
lam S. SEBASTIANI, & cōtinentem terram,

terram ad quã deinde & appulimus & inſtrumenta noſtra nautica reparauimus. Hoc in loco etiam celocem extruximus ex materia, quam nobiſcum in naui noſtra habebamus. Vietores etiam vaſa & dolia noſtra repararunt, quæ aqua recenti impleuimus. Commorati ſumus autem iſtic loci ad 23. vſque Nouembris, proſpicientes nobis de omnib. rebus neceſſariis. Interea dum hæc ageremus, conſpeximus forte fortuna CANOAM quandam, peculiaris cuiuſdam generis, quæ ex flumine IENERO veniens, Inſulam S. VINCENTII petebat, in ea ſex mancipia cum Hiſpano quodam erant, qui Archithalaſſo nauis noſtræ, quæ ADMIRALIS vocatur, CHRISTOPHORO nimirum HARE, notus & familiaris fuit. Hic enim Chriſtophorus Anno 1581. cum naui quadam in Inſula S. VINCENTII fuerat. Itaque cum ſperaremus alium quendam Anglum in Inſula S. VINCENTII habitantem, (quæ quidem non vltra 20. miliaria ab iſto loco vbi tunc eramus, aberat) cum cibariis quibuſdam aſſequi, dimiſimus hunc Hiſpanum cum literis ad conterraneum noſtrum in Inſula S. VINCENTII habitantem exaratis. Qui quidem promittebat, quod intra decem dies reſponſum nobis referre vellet. Non enim milites, ſed mercatores nos eſſe tum profitebamur, qui propter mercimonia noſtra, iſtis in locis verſaremur. Sed reſponſum tamen nullum accepimus, itaque cum tempus à nobis deputatum præteriiſſet, noſque ſpe noſtra fruſtratos eſſe videremus, paratis rebus omnibus, ex hac Inſula S. SEBASTIANI 23. Nouemb. rurſus ſoluimus.

Die 16. Decembr. peruenimus in oram Americæ ad 47. & dimidium gradum, Terra à nobis 6. miliaribus verſus occaſum aberat, & nos ita in littore vſque ad 48. gradum aſcendimus. December.



Die 17. Decembr. portum quendam ingreſſi ſumus, quem Admiralis noſter qui primus eum ingrediebatur, PORDOF DESIRE, hoc eſt, portum deſiderii vel deſideratum & exoptatum nominabat. Intra portum iſtum vna atque altera Inſula conſpicitur, circa quam magna copia canum marinorũ, ingentis & formidabilis magnitudinis inuenitur, qui quoad anteriorem corporis partem, Leoni haud immerito comparantur, caput enim collum & tota anterior pars longiſſimis denſiſſimisque pilis formidabilis eſt, pedes ipſorum formam manuum humanarum repræſentant, catulos ſingulis menſibus progenerant, & lacte nutriunt, in mari cibum quærunt, piſces nimirum omnis ge-

 neris.

neris. Catuli eorum cibum optimum præbent, carnem enim habent quam quoad ſaporem diſcernere à carne ouilla non facile poſſis, ſiue aſſam ſiue elixam eam comedas, canes ipſi tanti ſunt roboris, vt vix quatuor viri aliquem ſuperare & interficere poſſint, quin etiam gladio vel haſta transfixi ad mare properant, nec moriuntur donec capita ipſorum probe conterantur. Auium præterea magnus ibi prouentus eſt, quæ terram inſtar cuniculorum perfodiunt, atq; in iſtis foraminibus oua ſua excludunt, volare n. nequeunt, cum alas habeant pennis deſtitutas, veſcuntur piſcibus marinis, & nobis dictæ ſunt aues PINGVINÆ.

In hoc portu elegans eſt & periculi expers nauium ſtatio. itaque naues noſtras in terram ſubductas ibi purgauimus & reparauimus.

Die 24. Decembr. quæ natalem Chriſti proxime præcedit progreſſus eſt forte fortuna vir quidam cum puero vnicũ miliare à nauibus in vallem pulcherrimam ad radices montis ſitam, vbi ante duos vel tres dies puteum noſtri fecerant, propter aquæ dulcis & recentis iſto in loco defectum, circa hunc puteum cum induſia ſua lauarent, oppreſſi ſunt ab Indis, qui in montes aufugerant, & ſagittis vulnerati. Cum autem Dux noſter cum 16. vel 20. armatis eos aggrederetur, facile in fugam verſi ſunt, licet 50. vel 60. omnino eſſent. Vir quidem ille nomine GARGE, in genu, puer vero in humero vulneratus erat. Sagittæ erant ex tenui arundine acutiſſimo ſilice in extremitatibus armatæ. Homines fere ſunt, qui Chriſtianorum aſpectum ſedulo fugiunt, & brutorum inſtar animalium viuunt. Quando defunctos ſuos ſepelire volunt, moris eſt apud ipſos, vt eos ad ſcopulos, qui in littore maris ſunt, perducant, atque in cacumine eorum vna cum arcubus, ſagittis, aliisq; rebus precioſioribus, quas in vita ſua charas habuerunt, eos ſepeliant. Inprimis vero quibuſdam glebis delectantur, quas in littore maris repertas, artificioſe præparant & ſecant, ita vt quadratæ appareant, & poſtea capitibus defunctorum ſupponunt. Sepulchra eorum ex magnis & oblongis præparata lapidibus, vndique ſagittis defunctorum cinguntur, rubro colore tinctis, quo viui etiam ſeipſos pingere conſueuerant.

Die 28. Decembr. ſoluimus rurſus ex portu THE DESIRE, Inſulam quandam petituri, quæ verſus auſtrum tribus miliaribus à portu abeſt. Cumque quod ſuperat nobis de auibus noſtris PINGVINIS, ſale conditum eſſet, progreſſi ſumus paulatim in littore verſus auſtrum.

Die 30. Decemb. præteruecti ſumus ſcopulos, 5. fere miliaribus à terra diſtantes. Hi ſcopuli ad 48. gradus verſus auſtrum à linea æquinoctiali excurrunt.

Anno 1587. die 2. Ianuarii, offendimus pulchrum CABO ſiue promontorium, 51. gradibus à linea æquinoctiali, & aquæ profunditas ibi erat 7. filorum, vno miliari à terra. *Ann. 1587. Ianuar.*

Die 3. Ianuar. aliud CABO ſeu promontorium offendimus, quod 52. gradibus & 45. minutis à linea adeſt, & excurrit vſque ad oſtium perículoſiſſimi tractus ESTRECHO DE MAGALLANES, qui tractus quibuſdam in locis 5. vel 6. miliaria in latitudine habet, quibuſdam vero in locis eſt arctiſſimus. Sub hoc promontorio cum aliquandiu quieſceremus, ancoram quandam per procellas & tempeſtates nimias amiſimus triduum integrum durantes.

Die 6. Ianuarii fretum MAGALLANES, viam anguſtiſſimam ingreſſi ſumus.

Die 7. huius arctam hanc viam ingreſſi, Hiſpanum quendam in littore cepimus, qui vna cum 23. Hiſpanis ibi commorabatur. Superſtites hi nimirum erant ex 400. qui ante tres annos in præſidium ad haſce anguſtias poſiti fuerant. Omnes autem exceptis hiſce 24. fame & ſiti interierunt. Superauimus autem eodem adhuc die fretum ſiue anguſtias eas, ad quas ab oſtio numerantur 14. miliaria, quod oſtium ab anguſtiis iſtis ad 52. gradus aſcendit. Ab hoc loco vſque ad Inſulam iſtam, in qua aues PINGVINAS cepimus, numerantur 10. miliaria verſus occaſum vel auſtrum potius.

Die 8. Ianuar. emiſſis anchoris noſtris, plurimas aues PINGVINAS cepimus, & in futuram neceſſitatem ſale condiuimus.

Die 9. Ianuarii ſoluimus ex iſta Inſula verſus auſtrum, ad regiam ciuitatem PHILIPPI, ab Hiſpanis ibi extructam. Hæc ciuitas quatuor propugnacula habebat, quodlibet vno tormẽto æneo formidabile. tormẽta autem iſta omnia propter aduentum noſtrum in terram defoſſa erant, exceptis rotis, quæ in locũ ſuum erant diſpoſitæ. inquiſiuimus igitur tormenta iſta, & terra eruta, nobiſcum abduximus. Ciuitas conuenienti loco extructa, omnibus ſyluarum & aquarum commoditatibus gaudet, templo pulcherrime exornato & in peculiari loco ſeorſim poſito. Ex patibulo etiam, in quo miſerrime aliquẽ ex ſuis ſuſpenderant, colligere licebat, eos iuſtitiæ cultores acerrimos eſſe. Noſtro quidem iudicio ante hæc tempora cibum

cibum alium non habuerunt præter oſtreas & teſtudines, rara enim ibi animalia cernebantur, & ex ſyluis vix feram vnam atque alteram potum ad aquam prodire videbamus. Hiſpani eum ſolummodo in finem iſtum in locum miſſi erant, vt tranſitu alios prohiberent, & neminem in Oceanum auſtralem præter ſuos dimitterent, verum teſtante id experientia, Deus huic eorum inſtituto manifeſte repugnauit. Licet enim iam bienniumibi eſſent, ſerere tamen nihil poterant, vnde fructum aliquem perciperent, quo ſeſe ſuſtentarent, præterea etiam impetus & inſultus Indorum ſuſtinere quotidie cogebantur, vnde factum vt abſumptis omnibus quæ ad ſuſtentationem eorum facere poterant, ipſi tandem fame in propriis ædificiis, imo & in veſtimentis ſuis perierint, quemadmodum multos adhuc in veſtimentis ſuis fame ita confectos & mortuos inuenimus. Cum igitur vna pars ciuitatis fœtore defunctorum cadauerum admodum inficeretur, coacti ſunt reliqui, qui in viuis adhuc erant, ciuitatem deſerere. Hoc autem antequam facerent, omnia arma & inſtrumenta bellica in terram defoderunt, & poſtea progreſſi, in littore maris victum ſuum quæſiuerunt, vbi vltra annum integrum foliis arborum, pomis, radicibus, auibuſque ſi quas intercipere poterant, ſeſe ſuſtentarunt. Tandem decreuerunt ad RIO DE PLATA hoc eſt, fluuium argenteum commigrare, cum de 400. tantum 23. in viuis eſſent, inter quos duæ mulieres erant. Hoc in loco recreauimus nos, bona pace fruentes, & lignis aquaque recenti nobis abunde proſpicientes. Dux noſter oram hanc, PORTO HAMBRIENTE hoc eſt, portum famelicum vocauit, diſtat autem à linea æquinoctiali 53. gradus verſus auſtrum.

Die 14. Ianuarii, relicta hac ora, nauigauimus verſus auſtrum, & paulo poſt declinauimus ad occaſum, petentes promontoriū, quod vocatur CABO FROVVARD, cuius promontorii anguſtiæ verſus auſtrum ad 54. gradus excurrunt. Ab hoc promontorio progreſſi ſumus 5. miliaria verſus Septentrionem, ingredientes riuum quendam maris in plaga auſtrali, quem concharum riuū, à conchis, quæ ibi magna copia reperiuntur, nominauimus. Commorati ſumus ibi 6. diebus vento vtentes Zephyro.

Die 21. Ianuarii ſoluimus ab hoc concharum riuo, verſus occaſum 10. miliaria progredientes, vbi in plaga Septentrionali pulcherrimum ſimiliter & arenoſum riuum inuenimus, quem Dux noſter ELISABETHÆ riuum vocauit. Interea autem dum ibi anchoras emitteremus, mortuus eſt quidam ex noſtris faber lignarius, ad nauem HVGO GALLANT pertinens, qui etiam ibi ſepultus eſt.

Die 22. Ianuarii, poſt meridiem ab hoc ELISABETHÆ riuo, ad duo ſaltem miliaria progreſſi ſumus, vbi iucundiſſimum fluuium inuenimus, quem ingreſſus nauicula ſua Dux noſter, ad tria miliaria perluſtrauit, videns inter cætera terram fertilem & planam, qualem alibi locorum nondum huc vſque conſpexerat, erant enim ſalebæ in iſta vicinia quamplurimæ. In hoc flumine conſpeximus multos barbaros & feros homines, quos etiam aſſecuti ſumus. Erant autem Anthropophagi, & carnibus crudis etiam ſemper veſcebantur. Hi populi in Hiſpanos aliquoties impetum fecerant. Habebant enim gladios fractos, cultros item, & id genus alia, vnde ſagittas ſuas parare & exacuere poterant. Studebant ipſi quidem & nitebantur vnice, vt nos ad ſeſe in flumine iſto inuitarent. Sed Admiralius noſter cum hoc animaduerteret, tormenta in eos aliquot emitti curauit, vnde plurimi eorum trucidati ſunt. Poſtea ex flumine iſto ſoluentes, peruenimus ad canalem S. HIERONYMI, 2. miliaribus à priori loco diſtantem. ab hoc canali tribus vel quatuor miliaribus progreſſi, ad promontoriū quoddam in plaga Septentrionali ſitum, peruenimus, à quo promontorio vſque ad fretum MAGALLANES, fere ſemper verſus occaſum eſt procedendum. In vniuerſo hoc tractu, propter ventorum & procellarum multitudinem ſubinde portum repetere coacti ſumus, vento & tempeſtatibus variis vſque ad 23. Februarii iactati, tot enim in nos procellæ à montibus irruebant, vt niſi funes habuiſſemus ſolidos & probe compactos, pereundum nobis neceſſario fuiſſet. Quin integro etiam menſe, quo hic commorati ſumus, cibum præter oſtreas & aues nullum habuimus, vt ita famis etiam periculum non exiguum fuerit, coactiq; fuerimus inſtar auiū, victum noſtrum in agris quærere. *Februarius.*

Ab vtraque parte fluminis iſtius, ad duo miliaria portus & ſtationes nauium conuenientes ſunt. Et noſtro quidem iudicio à Canali S. Hieronymi, vſque ad oſtium freti ſupradicti, in Oceano auſtrali, 34. miliaria numerantur, vt ita fretum iſtud in longitudine 90. miliaria habeat, & oſtium freti eiuſdem eſt cum ingreſſu ex mari ſeptentrionali altitudinis ſiue eleuationis, 52. nimirum graduum cum duobus tertiis, verſus auſtrū à linea æquinoctiali.

Die 24. Februarii, Oceanum auſtralem ingreſſi ſumus, & in plaga auſtrali cum ex freto ſolueremus pulcherrimum ſitum eſt

promontorium, pyramidem habens ſatis longam. In plaga ſeptentrionali 4. vel 5. Inſulæ non procul à continenti conſpiciuntur. Præterea etiam multa loca depreſſa quaſi, & ſubmerſa iſta in regione apparent, quæ LAS ISLAS ANEGADAS Hiſpani, hoc eſt, Inſulas Submerſas nominant. Circa meridiem remiſimus poſt nos Inſulas iſtas ad 5. miliaria verſus ortum, vento vtentes auſtrali.

Martius. Die 1. Martii, procellæ nos & tempeſtates ex Septentrione oppreſſerunt, ita vt ea nocte nauis HVGO GALLANT ſocios ex conſpectu ſuo amitteret, cum à terra abeſſemus miliaribus 49. cum dimidio, vel ad minimũ 45. Tempeſtas hæc triduum integrum durauit, quo tempore nos, qui in naui HVGO GALLANT eramus, reliquis ex conſpectu noſtro amiſſis, in maximo vitæ neciſque verſati ſumus periculo, propter rimam vel fiſſuram noſtræ nauis. Coacti ſumus igitur ſtrenue totum hoc triduum laborare & aquam effundere, ita vt ſomnum etiam nullum videremus.

Die 15. Martii, peruenimus cum naui noſtra HVGO GALLANT, inter Inſulam S. MARIÆ, & continentem regionem, vbi reliquas noſtras naues rurſus offendimus, quæ biduum nos expectarant apud Inſulam LA MOCHA, quæ in latitudinem 38. gradus habet, & verſus auſtrum ſita eſt. Hoc in loco quidam ex noſtris cum naui egrederentur, ab Indis, ſagittis vulnerati ſunt, qui tamen cum bombardas noſtras admodum formidarent, facile in fugam coniecti ſunt. Indis hiſce perpetuum cum Hiſpanis odium & bellum intercedit, pertinentq; ad magnam prouinciam ARECCA.

Dicta hæc prouincia ARECCA, regio eſt auri argentiq; ditiſſima, nec vnquam ab Hiſpanis ſuperata, quos viriliter aliquoties ſuſtinuerunt & fortiſſime repulerunt incolæ. populus enim eſt audax atque cordatus, qui libertatem ſuam vnice tuetur.

Die 15. Martii ſolutis nauibus, in plagam occidentalem Inſulæ S. MARIÆ progreſſi ſumus, aquæ profunditatem 6. filorum habentes.

Die 16. Martii, Dux noſter vna cum 70. vel 80. armatis in terram appulit. ibi venerunt ad nos aliqui Indi, cum duobus primoribus iſtius loci, qui cum nos Hiſpanos eſſe putarent, amice ſalutarunt, duxeruntq; ad locum quendam, vbi Hiſpani pulcherrimũ templum altaribus cruciſque imaginibus ornatum extruxerant, circa templum iſtud horrea erant 50. vel 60. hordeo triticoque referta, tantæ præſtantiæ, quantæ in Anglia reperiri vix poteſt. Inuenimus etiam multos manipulos radicum POTATE, boni cibi, quæ omnia parata erant ad cenſum & tributum Hiſpanis debitum exſoluendum. Inſula hæc multis etiam pomis, ſuibus & gallinis abundat. Populus tanto ſeruitutis iugo ab Hiſpanis premitur, vt ne gallina vel porco veſci ipſis liceat, omnes Chriſtiani facti ſunt, ſed more Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt, didicerunt AVE MARIA, PATER NOSTER, & alias precatiunculas Latine proferre.

Hac occaſione nobis de frumento & carnibus ſuillis proſpeximus. quin etiam gallinarum & radicum POTATE magnam copiã aſſumſimus, additis fere 500. canibus marinis, & copioſo frumento ex GVINEA, quod MAYS nominant. Quanquam autem de rebus omnibus abunde nobis proſpiceremus, ſatis tamen adhuc ibi reliquimus, & Dux quidem noſter duos iſtos populi primores ſemper ſecum in naui retinuit, liberaliter tractauit, & vino optimo recreauit. Vnde cum intelligerent Hiſpanos nos non eſſe, nutu & ſignis quibuſdam nobis ſignificarunt, nos ſi ad continentem ARECÆ regionem proficiſci vellemus, ſatis auri argentiq; aliarumque precioſiſſimarum rerum accepturos eſſe. Sed cum Dux noſter mentem ipſorum percipere non recte poſſet, & alio etiam properaret, paratis rebus omnibus poſt aliquot dies inde diſceſſimus.

Die 18. Martii, relicta hac ora, 10. miliaria verſus Septentrionem progreſſi ſumus, noctu in littore ſub velo acquieſcentes.

Die 19. dicti menſis, nauigauimus in littore verſus ortum, ad Inſulam LA CONCEPTION, id eſt, conceptionis, nocte autem ancoras firmauimus circa aliam quandam Inſulam, vbi tamen egreſſi nauibus non ſumus.

Die 20. ſequenti, relicta Inſula CONCEPTION, ingreſſi ſumus riuum quendam, qui fundum arenoſum habebat, vbi licet pecudes & aquam recentem videremus, ſubſiſtere tamen noluimus.

Die 30. Martii peruenimus in riuum quẽdam nomine QVINTERO, cuius eleuatio eſt 32. graduum & 50. minutarum. Eodem die cum ancoras noſtras emiſiſſemus, accidit vt paſtor quidam pecuarius in cacumine montis dormiret, hic cum expergiſceretur, & naues noſtras aduentantes videret, ſupra modum ſtupefactus, antequã nos ad littus appellere poſſemus, conſcenſo equo quantum potuit auolauit. Paulo poſt cum Dux noſter aſſumptis 30. ſclopetariis naui egreſſus eſſet, venerunt ad ipſum tres equites, ſtrictos præ ſeſe gladios ferentes, cumque interuallo quo ſagitta aſſequi eos poſſemus, abeſſent, ſubſtiterunt, & propius accedere recuſarunt.

runt. Dux igitur noſter duos ſclopetarios cum FERDINANDO, ad eos ablegauit, (qui FERDINANDVS vnus erat ex 400. iſtis Hiſpanis, de quibus ſupra dictum, quem in oſtio freti MAGALLANICI acceperamus) ipſi autem eos admittere cum bombardis nolebant, certo quodam ſigno indicantes, vnum tantum eos accedere debere, conſenſimus igitur vt FERDINANDVS ſolus ad eos iret, nobis non procul ſubſiſtentibus. Hic FERDINANDVS poſtquã diu multumq; cũ ipſis locutus fuiſſet, reuerſus tandẽ retulit, ſecum ipſis de cibariis & ad victum pertinentibus locutum fuiſſe, & eos promiſiſſe, quod expectationi noſtræ abundè ſatisfacere vellent. Poſtea Dux noſter hunc FERDINANDVM cum vno ſclopetario ad eos rurſus miſit, ſed ipſi vnum tantum ad colloquium admittere volebant, cumq; conſentiente ſclopetario FERDINANDVS eos ſolus acceſſiſſet, ipſe ſubito equo inſidens, cum equis diſceſſit, poſthabito ſanctiſſimo iuramento quo ſeſe Duci & vniuerſo populo non ſemel obligauerat, quod nos deſerere nollet, ſed ad mortem vſque nobis adhærere. Cum igitur Dux noſter audiret eum contra datam fidem diſceſſiſſe, vaſa recenti aqua repleri iuſſit, & nauem ingreſſus, conſtituit ſequenti die ſpeculatores emittere, qui ædificia ipſorum inquirerent, ſpoliarent, & igne penitus euerterent.

Fides Hiſpanica.

Vltimo Martii, capitaneus HAVERS, cum 50. vel 60. ſclopetariis, ad tria vel quatuor miliaria progreſſus, gregem boum & vaccarum ſylueſtrium copioſiſſimum inuenit, ſimiliter equorum etiam & equarum indomitarum, innumeram multitudinem, aderant etiam lepores, cuniculi, perdices & id genus aliæ volucres. Terra ferax eſt & frugifera, nec vllus dulcis aquæ in ea defectus.

Cum eouſque progreſſi eſſemus, vt pergere propter montium altitudinem non poſſemus, quieuimus apud limpidiſſimum fontem, inter elegantes ſalices ex monte promanantem. Cumque nos aqua iſta recreaſſemus, ad naues iterum reuerſi ſumus per eiuſmodi vias & loca, vbi ſperabamus homines inuenire, ſed totum diem progreſſi neminem offendimus, præter canes ſylueſtres. Hoſtes autem interea, cum ex tribus equitibus illis, & FERDINANDO noſtro fugitiuo cognouiſſent, nos paucos numero eſſe, ducentos equos emiſerant, qui nos oppugnarent, verum cum nos vidiſſent, & fortiores eſſe, quam reuera eramus, putarent, appropinquare auſi non ſunt, cauſa autem erroris ipſorum erat, inſtructa nauis & optimus ordo, quo proceſſimus donec veſperi ad naues & cuſtodiam noſtram veniremus.

Die 1. Aprilis, nauibus egreſſi, ad fontem quendam non procul à nauibus noſtris, ad hauriendam recentem aquam proceſſimus, cumque in opere eſſemus & vaſa noſtra impleremus, irruerunt in nos ducẽti fere equites, qui antequam ſcopulum iſtum, in quo aliqui ex noſtris armati, conſtituti erant, aſſequi poſſemus, 12. ex noſtris apprehenderunt, eoſque partim trucidarunt, partim in vincula coniecerunt, reliqui ab illis, qui in rupe vel ſcopulo erant ex periculo erepti ſunt. Ac licet quindecim ſaltem ex noſtris eſſent armis ſuis inſtructi, integram tamen fere horam eos pugnando ſuſtinuimus, donec 24. ex ipſorum numero interfectis, reliqui fugam dederint.

Quinto huius, ex ſinu QVINTERO ſoluimus. Ab iſto loco non plus vnico miliari Inſula quædam ſita eſt, in qua plurimas volucres, quas ſupra PINGVYNS vocari diximus, accepimus, & verſus occaſum nauigando proceſſimus.

Die 15. Aprilis, peruenimus ad regionem MARAMORENA, gradibus 23. eleuatam, quæ portum habet bonum propter Inſulam quandam non procul inde diſtantem, quælibet enim nauis ab vtroque latere appellere poteſt. Itaque ADMIRALIVS cum 30. viris ad terram appulit, quod cum Indi vidiſſent, ſtatim ex ſcopulis, in quibus ſeſe occultarant, nobis in occurſum venerunt, aquam & ligna ſecum ferentes, admodum enim ſibi ab Hiſpanis metuebant, populus erat ſimplex, vitam agens feris brutiſque non abſimilem. Ducebant autem nos ſecum ad tabernacula & ædificia ſua, quæ miliari fere integro à nauibus noſtris diſtabant, vbi vxores quoque ipſorum vidimus. Et ædificia quidẽ in hanc formam extructa erant: Humi cernebantur ſtratæ pelles quædam, & circum eas erectæ paludes ſiue ſtipites, quibus ligna quædam alia tranſuerſim impoſita erant, ramulis arborum contecta atque munita. Cibus ipſorum ſunt carnes crudæ & graueolentes. Si quis ipſorum moriatur, eum vna cum arcu & ſagittis, rebuſque aliis quæ ei gratæ fuerunt, ſepeliunt, aperuimus enim ſepulchrum quoddam vt mores & cõſuetudines eorum probe perdiſceremus. CANOÆ ſiue cymbæ ipſorum pulcherrimè & artificioſiſſimè extructæ ſunt, ex duobus coriis ſiue pellibus ita inuicem aptatis atque diſpoſitis, ac ſi veſicæ eſſent. Quin etiam duas habent in CANOIS ſuis veſicas, quas ſpiritu oris impletas CANOIS alligant, atq; ita aquas ingreſſi, ingentem piſcium multitudinem capiunt, quibus cenſum vel tributum ſibi ab Hiſpanis impoſitum exſoluunt, ſed piſces admodum ſordidè præparant.



Die 23. Aprilis, cepimus nauiculam quandam ex ARECCA venientem, eamque retinentes GEORGIVM nominauimus, populus cum nos videret, relicta naui diſceſſerat, & quum noſtri eos inſequerentur, apprehendere tamen non poterant, poſtea portum ciuitatis ARECCA ingreſſi nauem offenderunt ſatis magnam, capientem nimirum 100. vecturas ſiue laſtas, ſed cum ea iam exonerata eſſet, præter ſolam iſtam nauem nihil acceperunt. Ciues in ARECCA tribus vel quatuor tormentis, PINASSAM ſiue celocem noſtram petierunt, nec multum aberat, quin eam ex arce ſiue propugnaculo ſuo ſubuertiſſent, itaque nos cum Prætoria, & altera naui HVGO GALLANT portum ipſum ingreſſi ſumus. Dux enim noſter decreuerat, in arcem ſiue propugnaculum iſtud impetum facere, antequam numerus eorum augeretur. Cauſa autem, cur nauis THE CONTENT poſt nos remanſerit, erat, quod in loco quodam 14. miliaribus verſus auſtrum ab ARECCA diſtante, ipſi nauem quandam Hiſpanicam BOTTIGIIS ſiue vrceis vino Hiſpanico plenis, onuſtam, offenderant. Itaque cum tantum inde accepiſſent quantum capere & vehere poterant, ad nos poſtmodum reuerſi ſunt. Ciues autem ex ARECCA cum de aduentu noſtro certiores facti eſſent, bona ſua omnia partim alio tranſtulerant, partim in terram defoderant, & vicinos in auxilium exciuerant, ita vt Dux noſter nauibus nos egredi prohiberet. Interea dum ibi commoraremur, ipſi ſuis nos tormentis petierunt, nosque ſatis fortiter ipſis reſpondimus. Qui in celoce noſtra erant ad littus progreſſi, nauiculam quantam cõprehenderunt, nihil morantes tormenta, quibus ſine intermiſſione, ſed fruſtra tamen petebantur. Poſthac miſit Dux noſter nauiculam quandam cum ſigno pacis, quæ interrogaret an nauem iſtam magnæ capacitatis, cuius ſupra meminimus, redimere vellent, ſed ipſi hoc recuſarũt, propterea quod ſub pœna capitis à VICEREGE ſiue gubernatore Regio in Lima, ipſis iniunctum erat, ne quam nauem aut captiuos etiam pecunia redimerent. Sed Dux noſter hoc eum in finem fecerat, vt captiuos qui in QVINTERO comprehenſi fuerant liberaret, non vt cum ipſis multum loqueretur & ſermones conferret.

Die 25. huius cum adhuc ibi moraremur, conſpeximus nauem quandam ex plaga auſtrali ad ARECCAM ciuitatem pergentem. Itaque Dux noſter miſſa celoce & nauicula alia, eam perſecutus eſt, ſed qui in propugnaculo & altiſſimis montibus erant, multis

ſignis

ſignis nauem iſtam monebant, vt antequam nos eam aſſequi poſſemus ad terram appelleret, quo facto nihil cunctantes, qui in ea erant, fuga ſibi cōſuluerunt, in quorum numero Monachi etiam quidam fuerūt, quod ex veſtimentis ipſorū perſpicere potuimus. Nos autem eos perſequi, conſultum non iudicauimus, cum videremus multos ex ciuitate equites, ad eos properare. Recta igitur nauem iſtam derelictam petiimus, in qua tamen nihil fere inuenimus; quod laborē noſtrum recompenſare potuiſſet, poſtea ad naues noſtras reuerſi, magnam iſtam nauem igne concremauimus, & vnam ex nauigiis minoribus ſubmerſimus, reliquis ſeruatis. Ac tandem ab ARECCA ſoluimus, iter verſus occaſum dirigentes.

Die 27. Aprilis, comprehendimus rurſus aliam nauiculam, quæ venerat ex S. IAGO, Inſula quadam, non procul à QVINTERO, vbi aliquot ex noſtris amiſeramus, ſita. In hac nauicula Græcum quēdam inuenimus, nomine GEORGIVM qui peritiſſimus PILOTTA ſiue nauclerus erat, & habebat cognitionem omnium portuum & totius littoris in CHILI. Homines iſti miſſi erant vt de aduentu noſtro, & amiſſione populi noſtri eos, qui in LIMA erant, certiores facerent; præter Græcum iſtum, Belga etiam vnus & tres Hiſpani in nauicula iſta erant, qui omnes iureiurando ſeſe obligare & Sacramento cœnæ Dominicæ à Monachis quibuſdam accepto, confirmare coacti fuerant, quod ſi forte caperentur, literas omnes in mare abiicere vellent, quemadmodū etiam ab ipſis factum, cum celocē noſtram ſibi imminentem viderent. Hæc & alia Hiſpani confeſſi ſunt, cum à Duce noſtro criminaliter per torturam interrogarentur, Belga vero ille nihil confiteri, ſed potius mori quam periurus fieri volebat. Itaque ſupplicium ſtrangulationis ipſi Dux noſter minatus eſt, nec prius tamen quicquam confeſſus eſt, quam ligato iam collo à terra eleuaretur, quo facto eadē prolocutus eſt, quæ Hiſpanos quoque confeſſos fuiſſe diximus. Itaque nauicula concremata, homines iſtos captiuos nobiſcum abduximus.

Maius. Die 3. Maii, ad portum quendam peruenimus, tribus pagis conſpicuum, quorum nomina erant DARACCA, CHINGA, & PISCA. Ad vltimum hunc appulerunt quidam ex noſtris, atq; in ædes ingreſſi, panem, vinum, ficus, gallinas & id genus alia acceperunt, ſed ad pagum ex tribus hiſce optimum, propter tempeſtates & procellas maris maximas appellere non potuimus. Ora hæc 13. gradib. cum duobus tertiis verſus auſtrum à linea æquinoctiali abeſt.

Die 5. Maii, ex hoc portu rurſus egreſſi ſumus, & nauem noſtram THE CONTENT, vice Admiralem nimirum, in quadam Inſula ZEADES dicta, reliquimus, vbi etiam antea eam amiſeramus.

Die 9. Maii, nauem quandam conſpeximus, quam naues noſtræ Prætoria cum HVGONE GALLANT & GEORGIO inſecutæ ſunt, vbi GEORGIVM quidem nauem, quam in portu ciuitatis ARECCÆ acceperamus, amiſimus; nauem vero quam perſequebamur, apprehendere non potuimus; poſtea GEORGIVM rurſus quæſiuimus, ſed fruſtra.

Die 10. Maii, amiſit nauis HVGO GALLANT, in qua ego & FRANCISCVS PRETTIE eramus, ex conſpectu ſuo, nauem Prætoriam.

Die 11. nos qui in naui HVGO GALLANT eramus, portum quendam ingreſſi ſumus, ad 12. gradus eleuatum, vbi circa veſperam, hora nimirum octaua, fontem quendam recentis aquæ inuenimus, itaq; in terram ad hauriendam aquam egreſſi ſumus, licet 18. tantum numero eſſemus. Vaſis noſtris repletis, cum ad naues rurſus iremus, manſerunt duo vel tres ex noſtris in littore; qui cum paululum progrederentur, venerunt ad locum quendam, vbi fere 500. ſaccos præſtantis farinæ inuenerunt, ramis arborum contectos, itaq; huius farinæ accepimus quantum nobis ſufficere videbatur. Poſtero die, cum primum aurora oriretur, nauem noſtram rurſus ingreſſi ſumus, ibique ad meridiem vſq; firmatis anchoris quieuimus. Interea qui in pago erant nobis inſidias ſtruentes, pecudes ſuas ad littus miſerunt, vt nos allicerent atq; ex naui prouocarent, atqui nos dolum præſentientes, fidere noluimus, ſed ſolutis anchoris die 12. Maii, inde diſceſſimus.

Die 13. Maii, portum quendam ingreſſi ſumus, ſub eleuatione 9. graduum ſitum, ibi cum centurio noſter M. BRVER, ARTHVR VVARFORD, IOANNES VVAY, diaconus noſter IOANNES NEVVIRAN, ANDREAS VVICHT, GVILELMVS GARGEFRED, & HENRICVS HILLIARD, mecū naui egreſſi, in littore ad quartam miliaris partem procederent, inuenerunt nauiculam quandam, 5. vel 6. laſtarum ad littus protractam. Hanc ſummo cum labore in aquam rurſus detruſimus, & ego cum centurione poſtmodum ingreſſi ſumus, reliquis bombardas ſuas afferentibus. Sed vix ingreſſi aquam ad genua habuimus aſcendentem, ita vt clypeis noſtris effundere eam non poſſemus, & parum abeſſet, quin ſubmergeremur. Cum autem tandem ex nauicula iſta egreſſi eſſemus, nouum ecce periculum nobis metuēdum fuit, proprium enim noſtrum ſcalmum cernere

amplius non poteramus, tandē autem cum eum rurſus videremus, nec tamen eis propter maris intemperiem ad littus appropinquare, & nos recipere poſſet, coacti ſumus tranando eum aſſequi, vbi aliquoties ad humeros vſque in mari ſtetimus progreſſique ſumus, donec tandem Dei beneficio, bini ad illum pertingeremus, & 14. huius menſis die, inde rurſus ſolueremus.

Die Maii 16. ex noſtris 16. qui in naui HVGO GALLANT eramus, magnam nauem cepimus, in qua 24. perſonæ erant; quæ ex GVAIAVIL veniens LVDOVICVS dicebatur, & 300. laſtarum ſiue vecturarum capax erat. Pugnauimus cum illis ferè dimidiā horam, Pilotta ſiue Nauclerus eius dicebatur CONSALVVS DE DVBAS, hunc vna cum NEGRO ſiue Æthiope quodam nobiſcum ſumſimus. Nauis nihil præter trabes & quæ ad victum neceſſaria erant habebat. Itaq; cum ad 7. miliaria diſceſſum ab iſto loco fuiſſet, eam aqua ſubmerſimus. Hæc omnia facta ſunt in loco 7. gradibus verſus auſtrum à linea diſtante. Submerſimus etiam cymbam ſeu nauiculam ipſi adhærentem, & nihil ex ea accepimus præter velum anterius & commeatum ſeu victum neceſſarium.

Die 17. Maii, inuenimus rurſus Prætoriam & naues noſtras cæteras, ſocii autem noſtri interea duas ditiſſimas naues acceperant, Saccaro, ſyrupo, MAYS, aluta, abdomine, ſaccis PINTADOS refertis, frumento Indico, aliquibus MARMELADIS, & 1000. gallinis, onuſtas.

Altera nauis maxima ex parte farina triticea ſiue ſimilagine, & MARMELADIS onuſta erat. Altera vero æſtimabatur 20000. librarum STERLINGS hoc eſt, noſtratis monetæ 200000. coronatorum. Nos nauibus noſtris repletis, populum qui in viuis adhuc erat ex iſtis nauibus in terram depoſuimus.

Die 20. Maii ingreſſi ſumus portum ciuitatis PAITA, vbi cum anchoras noſtras emiſiſſemus, Dux noſter vnà cum 60. vel 70. armatis nauibus egreſſus, præliatus eſt cum incolis ciuitatis, eoſque in fugam verſos perſecutus eſt vſque ad verticem montis ab altera parte ciuitatis ſiti. Mancipia tamen quædam, & cum his pauci alii, mandatum acceperant à Gubernatore ſuo, vt manerent in eo ciuitatis loco, vbi nouum propugnaculum & caſtellum extruere cœperant. Horum 100. fere numero erant, & ſignum ſanguinei coloris præ ſe ferebant. Præfectus rei bombardicæ multa in eos tormenta ænea emiſit, fecitque vt locum iſtum deſerere & in montem quendam ſeſe recipere cogerentur, ex quo bombardis nos ſuis petere conabantur. Nauibus igitur egreſſi, poſt occupatam & expugnatam ciuitatem PAITA, in montes perreximus, & facile omnes in fugam conuertimus. Cum autem in montes veniſſemus, inuenimus occultam iſtam viā qua ex ciuitate in montem iuerant. Inuenimus etiam 25. libras argenti & ſupellectilem domeſticam omnis generis, ædificia ipſorum variis bonis abundabant; ſed Dux noſter conſultum non putabat nos prædæ & ſpoliis inhiare, quæ nobis impedimento eſſe poterant, cum neſciremus qualibus nos armis hoſtes aggredi vellent, & vero certo ſciremus eos multo plures quam nos eſſe, præterea etiam dimidio prope miliari à nauibus aberamus. Itaque reuerſi ſumus in ciuitatem PAITA, quæ pulchre extructa erat ita vt plateæ etiam omni ſterquilinio deſtituerentur. Ædificia ad minimum 200. & curiam habebat ſplendide exornatam, verum nos iniecto igne totam ciuitatem cum omnibus ſuis bonis funditus deleuimus, quæ bona ad minimum 18000. coronatorum æſtimabantur. Quin etiam minorem nauiculam quam in portu inuenimus, incendimus, ac tandem diſcedentes curſum noſtrum ad Inſulam PVNA direximus.

Die 25. Maii peruenimus ad Inſulam PVNA, in qua conueniens nauium ſtatio eſt, ibi inuenimus ingentem nauem 250. laſtarum, qua ſubmerſa, ad terram appulimus, vbi Dominus Inſulæ iſtius habitabat. Habitatio eius in littore ſplendidiſſime extructa erat, multis contignationibus exornata, ita vt vndique tam in mare quam in terram proſpectus inde pateret. In inferiori parte iſtius domus cœnaculum erat pulcherrimum, & in eo locus ad conuaſanda bona ſeparatus atque diſtinctus, in quo loco BOTTIGIOS, hoc eſt, lagenas inuenimus pice, reſina & lino, vnde teſtes & funes parantur, repletas, nam in hac Inſula optimi funes quorum in mari auſtrali vſus eſt, conficiuntur. Hic CASSIQVE ſiue Dominus, omnes iſtius Inſulæ incolas ad ſuos labores adhibet. Ipſemet Indus erat, vxorem vero pulcherrimam ex Hiſpania fœminam habebat, quæ eum propter ſplendidam iſtam habitationem & bona quibus affluebat plurima in matrimonium admiſerat. Fœmina hæc inſtar Reginæ ab incolis colebatur, pedibus terram nō attingebat, (hoc enim contemptus ſignum apud eos habetur) ſed ſi quando animi recreandi & aeris mutandi gratia portam egredi volebat, in lectica quaſi à quatuor viris ſiue baiulis efferebatur. Linteo ſiue munimento quodam aduerſus ſolem & ventum vtebatur, & pediſſequas habebat quamplurimas, quemadmodum etiam famulos in ſeruitium ſuum ex præſtantiſſimis totius Inſulæ

ſulæ iuuenibus ſelectos. Verum cum propter tranquillitatem maris & ventorum nõ ſtatim appellere ad littus poſſemus, fœmina hæc cum ſuo Marito & omnibus Indianis & Inſula aufugerant atque in continentem ſeſe receperant, acceptis ſecum vltra 100000. coronatis, quod ex capitaneo quodam cognouimus, qui cum quibuſdam aliis in Inſula relictus, & à nobis comprehenſus erat, cum nauicula ſua ad nos appelleret exploraturus qui & quales eſſemus.

Die 27. Maii, Dux noſter cum quibuſdam ſclopetariis aliiſque militibus in continentẽ terram profectus eſt, vbi hunc CASSIQVE ſiue Regulum cum vniuerſo ſuo theſauro commorari capitaneus dictus affirmauerat. Cum autem ad terram iſtam veniremus, inuenimus 4. vel 5. naues, VANNANIS, funibus, farina, alioque commeatu onuſtas. Dux igitur noſter capitaneum iſtum captiuũ ſeuere interrogabat, propoſito etiam mortis periculo, quidnam hæ naues ſibi vellent, ſed ipſe ſe ignorare affirmabat, & cuius eſſent, & in quem finem eo adductæ, nemo enim gentium ibi conſpiciebatur. His igitur emiſſis progreſſi ſumus, affirmauerat n. nos CASSIQVE ſiue regulum iſtum cum vniuerſo theſauro ſuo facile poſſe inuenire & capere, cum in loco iſto, in quem confugiſſet, non plura quam 3. vel 4. ædificia extructa eſſent, & ipſe nobis reſiſtere nullo modo poſſet. Sed cum huic relationi nõ reſponderet euentus, cœpimus ipſum vrgere, vt quid naues iſtæ ſibi vellent, ſine cũctatione diceret. Reſpondit igitur ſe ignorare vnde veniſſent, niſi fortaſſe pro 60. militibus cõmeatum veherent, qui, vt audiuiſſet in ciuitatem GVIAQVIL profecturi erant, quæ ciuitas 6. miliaribus ab iſta Inſula aberat, vbi 3. vel 4. naues Regi Hiſpanorum tum extruebantur. Ea in ciuitate plerunque 100. militum præſidium eſſe ſolebat, ſed quia de noſtro aduentu audierant, adhuc 60. ſibi adiungi petierant, in nauium & ciuitatis tutelam.

His auditis capitaneum iſtum quidem Dux noſter nondum dimiſit, ſed populum ad conſtantiam admonens, noctu ignotam quandam ſyluam ingreſſus eſt, venitque ad iſtum locum vbi præcedenti nocte incolæ Hiſpani in excubiis fuerant, & paulo ante noſtrum aduentum tanta cum feſtinatione diſceſſerant, vt cibum etiam ad ignem appoſitum deſeruiſſent. Bona vero ſua vel ſecum abſtulerant, vel in terram abſconderant, ita vt nihil eorum inuenire poſſemus. Acceptis igitur aliquot gallinis, & aliis quæ palato noſtro conueniebant cibis, inde diſceſſimus.

Die 29. Maii, Dux noſter paruam quandam Inſulam ingreſſus eſt, non procul à PVNA inſula diſtantem, in quam Dominus Inſulæ PVNA, omnia ſua periſtromata, quibus cœnacula domus ſuæ exornare conſueuerat, ex corio inaurato artificioſe facta, vaſa item domeſtica, & vniuerſam ſupellectilem, cum nauium etiam munitionibus, deduxerat, de quibus omnibus quicquid maxime arridebat accepimus.

Inſula iſta pulcherrima, & rebus omnibus affluentiſſima eſt, ſed nec auri nec argenti fodinas habet. Circa arcẽ iſtius CASSIQVE adhuc 200. ædificia extructa erant, & totidem in pago vno atque altero eiuſdem Inſulæ, quæ quoad magnitudinem cum Inſula WIGT ſiue VECTI prope Angliam ſita, comparari cõmode poteſt. Ab vno domus iſtius latere pulcherrimus hortus conſpicitur, variis floribus ornatus, in cuius extremitate puteus reperitur aquæ dulcis atq; recentis, cinctus vero hortus iſte arboribus quibuſdã eſt, in quibus Goſſypiũ naſcitur, hac ratione. In ſummitate arboris fructus quidam inſtar pomi creſcit, ex quo poſtmodo goſſypium prorumpit, ſemine in medio inſtar fabæ vel piſi alicuius incluſo. Quodlibet autem pomũ 7. vel 8. eiuſmodi grana ſeminis continet. Goſſypio igitur maturo ſi non pomum iſtud aperiatur, grana iſta ſua ſponte erumpunt.

In horto hoc etiam ficus per totum annum fructus ſuos ferentes, PEPONES, itidem, MELONES, Cucumeres, Raphani & alii fructus iucundiſſimi, herbæque ſuauiſſimæ reperiuntur. Ab altera domus iſtius parte pomarium ſitum eſt, Chryſomelis, pomis citrinis, pomis punicis, & aliis id genus fructibus ornatum. Cæterũ prata & paſcua habentur ibi optima, vnde equis, bobus, vaccis, vitulis, ouibus, capriſque quamplurimis abundant, magna præterea ẽt columbarum, gallinarũ, anatum, auiumq; id genus aliarũ ibi reperitur copia. Præterea etiam templũ non procul ab ædibus iſtius CASSIQVE extructum erat, in quo miſſæ populo præcinebantur, nam cum fœminam iſtam Hiſpanicam in vxorem duceret, Chriſtianam ſimul fidem & religionem Hiſpanicam amplexus eſt. In templo altare erat crucis imagine conſpicuum, & 5. campanæ, quas nobiſcum abduximus, templo igne ſuccenſo.

Interea temporis ſocii noſtri nauem Prætoriam purgarunt, refecerunt atq; in aquam rurſus deduxerunt. Nos autem die nocteq; circa domum iſtam in excubiis fuimus.

Secundo Iunii cum excubitores noſtri exiuiſſent ad cibum inquirendũ ex improuiſo 100. Hiſpani impetum in nos ſuis bombardis ſclopetiſque fecerunt, qui præcedente nocte ad alteram partem iſtius Inſulæ appulerant. *Iunius.*

pulerant. His ſeſe coniunxerant omnes qui in Inſula iſta erant, armis ſuis probe armati & inſtructi, cuius quidem coniurationis autor NEGER ſiue Æthiops EMANVEL erat, cuius ſupra quoque mentio facta eſt, qui à nobis aufugerat, cum primo ad Inſulam iſtã veniſſemus, ibi non exiguo in periculo fuimus, omnes enim diſſipati, & vix 16. vel 20. vno in loco congregati eramus, itaq; etiam duo ex noſtris trucidati ſunt, priuſquam ædificia aſſequi poſſemus. Quamuis autem ſeſquihoram eos pugnando ſuſtinuerimus, tandem tamen multitudini eorum cedentes ad littus vſque progreſſi ſumus, vbi fortiter etiam cum iſtis dimicauimus, donec ZACHARIAS SAXIE, qui lancea ſua viam, qua ex monte deſcenſus patebat, præcluſerat, & duos Hiſpanos trucidauerit, ipſe globo per medium pectus tranſmiſſo, lethaliter vulneratus in vera Dei inuocatione honeſtiſſima morte occumberet, poſtea enim hoſtes à littore fortiſſime abegimus, & ſubinde quoſdam cymba vel nauicula aliqua ad naues noſtras remiſimus. Interea ROBERTO MALDOCK hoc accidit, vt propria ſua bombarda ſeſe interficeret, globo per caput ſuum tranſmiſſo. Quia autem ego, FRANCISCVS PRETTIE cum THOMA ANDRES, STEPHANO GOMIER, & RICHARDO ROSA in littore conſtituti eramus vt hoſtes aliquo modo reprimeremus, ne tranſitu ad mare ſocios prohiberent, tormenta noſtra in rupem collocauimus, vnde hoſtes ferire optime poteramus. Tandem autem & nos nauiculæ inſidentes ad ſocios reuerſi ſumus. In hoc conflictu ex hoſtibus 46. interempti ſunt, quos ab ipſis in arbuſta, & domos veteres protractos poſtea inuenimus. Ex noſtris autem nouem trucidati, & tres captiui abducti ſunt.

Eodem adhuc die, qui erat 2. Iunii, iterum ad terram cum 70. armatis appulimus, & hoſtes noſtros aggreſſi in fugam vertimus, quamuis Hiſpani quidem 100. ſclopetis & bombardis, Indi vero 200. arcubus & ſagittis probe armati & inſtructi eſſent. Poſtea igne in ciuitatem iniecto, eam funditus deleuimus. Quin & hortos extirpauimus, & quatuor ingentes naues, quæ quidem nondum perfectæ erant, igne exuſſimus.

Die 3. Iunii nauis noſtra THE CONTENT in terrã ſubducta & ſordibus expurgata fuit in omnium noſtrum præſentia, PINASSA etiam noſtra ſiue Myoparo quam Hiſpani igne accenderant, rurſus reparata eſt.

Die 5. Iunii, relicta Inſula PVNA, in qua vndecim diebus commorati eramus, peruenimus ad locum quendam RIO DOLCE hoc eſt, flumen dulce dictum, vbi recentem aquam hauſimus, & nauem noſtram HVGO GALLANT ſubmerſimus, propter defectum populi, capacitas eius erat 40. laſtarum.

Die 10. Iunii, Indos quos cum nauicula quadam interceperamus, cum primum Inſulam PVNAM ingreſſi eſſemus, in terram rurſus depoſuimus.

Die 11. ſoluimus ex portu RIO DOLCE.

Die 12. Iunii lineam æquinoctialem tranſgredientes, toto huius menſis reſiduo tempore verſus Septentrionem nauigauimus.

Die 1. Iulii, cœpit nobis apparere portus NOVÆ HISPANIÆ, & manſimus in loco quodam 4. miliaribus à terra, ad 10. autem gradus à linea æquinoctiali verſus ſeptentrionem ſito. *Iulius.*

Die 9. Iulii cepimus nouam nauem 120. laſtarum, in qua Gallus quidam MARSILIA oriundus erat, nomine MICHAEL SANCIVS. Hic primus erat qui nobis aliquid diceret de naui S. ANNA, quam poſtea cepimus cum ex Inſulis, quas PHILIPPINAS nominant egrederetur. In hac naui 6. perſonæ erant, quas nobiſcum retinuimus, quemadmodum etiam vela, funes & ligna pro igne faciendo, nauem vero igne concremauimus.

Die 10. Iulii, excepimus rurſus nauiculam quandam aliam, quæ miſſa erat, vt nuncium de noſtro aduentu hinc inde in littore habitantibus afferret, vt ex MICHAELE SANCIO percepimus, ſed omnes ex ea diſceſſerant. Nulla harum nauium bonis quibuſdam onuſta erat, ſed venerant tantum ex SANSONATO in prouincia GVATIMALA de noſtro aduẽtu alios admonẽdi gratia. Itaque igne hanc etiam cremauimus, & ad portum ACAPVLCO perreximus, in quo naues quieſcere ſolent, quæ Inſulas PHILIPPINAS petunt.

Die 26. Iulii, ancoras emiſimus in fluuio quodam non procul à CAPOLITA, vt ibi vaſa noſtra recenti aqua impleremus, nocte vero cum 30. viris ad ciuitatem AGVATVLCA perreximus, quæ duobus tantum miliaribus à fluuio iſto, ab æquinoctiali vero linea 15. gradibus & 40. minutis abeſt.

Die 27. peruenimus in portum ciuitatis AGVATVLCA, offendentes ibi nauiculam ex SANSONATO, onuſtam CANOIS, & ANILE, capientem vero laſtas 50. Homines autem ex eo omnes diſceſſerant. Appulimus igitur ibi, & ciuitatem vna cum templo atque telonio igne perdidimus. Telonium magnum erat & pulchre exornatum, in quo etiam 60. ſacci ANILE repleti, quo pictores vtuntur, tum temporis fuerant, quorum quilibet 40. coronatorum æſtimabatur, præ-

præterea etiã 400. ſacci CACAOS ibi erant, quorum quilibet 10. coronatos valebat. Hi CACOAS populo æque ac pecunia accepti ſunt, & pro argenteo REGALI dantur 150. æque ac ſi moneta optima eſſent, ſaporem amygdalarum fere habent. Homines ibi eis non tantum veſcuntur, ſed & potum inde præparare ſolent. In ciuitate inuenimus corbem multis capſulis, in quibus oleum abſynthii erat, refertum. Poſtquam autem ciuitatem ipſam igne perdidimus, in qua 100. fere ædificia fuerant, venit ad nos is cuius nauis ea fuerat, ſignũ pacis præ ſe ferens. Hic quamuis principio cum omni populo ad montes confugiſſet, tandem tamen ad promiſſionem & fidem capitanei HAVERS celocem noſtram ingreſſus eſt, atque ad Admiralem CAPOLITAM perductus. Cumque inuicem hi duo locuti fuiſſent, ad terram depoſitus rurſus eſt, quemadmodum capitaneus ei noſter promiſerat.

Die 28. Iulii, ex CAPOLITA ſoluimus cum propter maris intemperiem aquam ibi haurire non poſſemus, & portum ciuitatis AGVATVLCA rurſus ingreſſi ſumus.

Die 29. Iulii, Dux noſter ad terram appulit, vna cum 30. armatis, atque toto miliari in ſyluam progreſſus eſt, vbi MESTIZO quendam, nomine MICHAELEM DE TRAXILLO, qui telonio præfectus erat, offendimus. Hic copioſam ſecum ſupellectilẽ habebat, quam vna cum eo in nauem noſtram traduximus. MESTIZO autem lingua Hiſpanica idem eſt, ac filius Hiſpani ex Indica muliere tanquam ex mixto ſemine prognatus.

Auguſtus. Die 2. Auguſti, cum vaſa noſtra recenti aqua impleuiſſemus, & hunc MESTIZO examinaſſemus, eum rurſus in terram depoſuimus, atq; circa veſperam ex AGVATVLCA ſoluimus, quæ ciuitas, vt dixi 15. gradibus & 40. minutis verſus occaſum à linea æquinoctiali abeſt.

Die 24. Auguſti, Dux noſter aſſumptis 30. armatis, cum celoce noſtra portũ quendam ingreſſus eſt, quẽ vocant PORTO DE NATIVIDAD, in quo vt ex relatione MICHAELIS SANCII percepimus, PINASSA requieſcebat, ſed PINASSA hæc antequam nos eo perueniremus ad 12. miliaria aſcenderat, ad inquirendos vniones & margaritas. Hic cepimus quendam MVLLATO, hoc eſt mediũ Æthiopem in lecto decumbentem, qui cum literis quibus de noſtro aduentu ſcriptum erat, miſſus erat, vt omnes de noſtro aduentu, vſque ad ciuitatem MEXICON admoneret. Nos equo ipſius interfecto, & literis ablatis, eum rurſus dimiſimus. Ædificia vero igne exuſſimus, quemadmodum etiam duas naues non ita pridem extructas, quarum capacitas erat 200. laſtarum, poſtea ad ſocios reuerſi ſumus.

Die 26. Auguſti, delati ſumus in portum ciuitatis S. IAGO, ſiue Iacobi, vbi vaſa noſtra rurſus recenti aqua repleuimus, in cuius littore plurimæ arbores naſcebantur, VANNANAS generantes, aqua autem ipſa piſcibus refertiſſima erat. Quidam ex noſtris etiam margaritis inhiarunt, piſcari eas volentes, ſed raras admodum inuenerunt.

Die 2. Septemb. veſperi circa horam nonam ex portu S. IAGO diſceſſimus, qui portus, 19. gradibus & 18. minutis à linea æquinoctiali verſus Septentrionem abeſt. *September.*

Die 3. Septembr. anchoras emiſimus in exiguo quodã portu MALACCA dicto, qui portus vnico tantũ miliari verſus occaſum à portu LA NATIVIDAD abeſt, ſtationemq; nauibus optimam præbet. Circa meridiem, Dux noſter vna cum 30. viris, nauibus egreſſus in pagum quendam Indorum, duobus miliaribus à portu diſtantẽ, nomine ACATLAM profectus eſt, ibi inuenimus 30. ædes & templum aliquod, populus vero omnis aufugerat, quemadmodum adhuc quoſdam fugientes vidimus. Itaq; igne iniecto pagum iſtum euertimus, atque ad naues eadem nocte reuerſi ſumus.

Die 4. Septembr. relicto portu MALACCA, curſum in littore tenuimus.

Die 8. huius peruenimus in portũ CHRACALLA, vbi in littore duas ædes conſpeximus, atq; portus hic 18. fere miliarib. à CABO ſiue promontorio CORRIENTES abeſt.

Die 9. Septembr. emiſit Dux noſter capitaneum HAVERS, cum 40. armatis, & comitem itineris nobis MICHAELEM SANTIVM addit. Itaq; ad duo miliaria in tramite per ſyluas ducente progreſſi, ad locũ quendam peruenimus, vbi tres domos cum quibuſdam Indis, vno Hiſpano, qui erat faber lignarius, & vno Luſitano inuenimus, quos omnes comprehenſos vinctosq; coegimus, vt nobiſcum ad littus procederent, quo cum veniſſemus, iuſſit Dux noſter, vxores & mulieres eorum multa poma punica, mala aurea, citrina, VANNANAS & id genus alia afferre, quorum maximus ibi eſt prouentus, quod cum feciſſent reſtituit ipſis viros ſuos, retento ſaltem SEMBRANO, fabro lignario Hiſpanico, & DIEGO Luſitano. Sequenti die ex hoc portu diſceſſimus.

Die 12. Septemb. delati ſumus in paruam quandam Inſulam S. ANDREAS dictam, vbi multas volucres, & plurimum ſalis inuenimus, itaq; captas volucres partim ſole durauimus, partim ſale condiimus, interfecimus etiam multos SEALES ſeu canes marinos, & Iguanes, quod genus ſerpentum eſt,

eſt, quatuor pedes & acutam caudam habens, carne dulciſſima præditum. In hac Inſula vſque ad 17. huius commorati ſumus, & poſtea diſceſſimus.

Die 24. peruenimus in portum ciuitatis MASATLAN, ad 23. gradus cum vna ſecunda, directe ſub TROPICO CANCRI ſitum. In ipſo portu fluuius erat vndique concluſus, ita vt per canalem tantum inde effluat, in plaga Septentrionali extra canalem aqua dulcis reperitur, ſed propter loci incõmoditatẽ vaſa noſtra vix replere ibi potuimus. In fluuio iſto ad dimidiũ miliare à terra multi piſces, & in terra præſtantiſſimi fructus omnis generis reperiuntur, quos collegimus, quamuis non ſine periculo.

Die 27. Septemb. ſoluimus rurſus ex portu ciuitatis MASATLAN, iter noſtrum ad Inſulam quandam dirigentes, vno miliari verſus Septentrionem ab hoc portu diſtantem. In hac Inſula naues noſtras reparauimus, & nauem celocem extruximus. Non procul autem alia quoque Inſula ſita eſt, canibus marinis plurimis abundans.

Hoc in loco aufugit captiuus quidam Hiſpanus, DOMINGO ſiue DOMINICVS nomine, qui cum ſuo cuſtode ad fontem ierat induſia lauandi gratia. Aquam enim ingreſſus integrum miliare tranando confecit, venitque in continentem terram, vbi poſtmodum 30. vel 40. Hiſpanos cum aliquot Indis in præſidio conſpeximus, qui ex ciuitate quadam, nomine SCHAMETLAN, 11. fere miliaribus ab iſto loco ſita, venerant, vt ex relatione MICHAELIS SANCII percepimus. In Inſula iſta, vbi naues noſtras reparauimus, aquam recentem non inuenimus, ſed Dei beneficio, cum vix ad 3. vel 4. pedes arenam perfoderemus, ſatis copioſam eam inuenimus. Et profecto in magno tum temporis propter aquæ defectum verſabamur periculo, ac niſi aquam inueniſſemus, 20. vel 30. miliaribus regrediendum ſane nobis fuiſſet. Sed Deus excitauit cor Hiſpani cuiuſdam, cui nomine erat FLORIS, hic nobis id dedit conſilii, vt arenam effoderemus, cuius quidẽ rei cum quidam ex noſtris periti eſſent, inuenimus ibi aquæ recentis & dulcis quantũ ſatis erat. Hoc in loco commorati ſumus vſque ad 9. Octobris, cumque vaſa noſtra dulci & recenti aqua impleuiſſemus, profecti ſumus circa veſperam, ad CABO ſiue promontoriũ S. LVCAR quod in plaga occidentali promontorii CALIFORMIA ſitum eſt. *October.*

Die 14. Octob. aduecti ſumus ad promontorium S. LVCAR quod fere cum extremitate Inſulæ WIGT ſiue VECTIS comparari poteſt. Intra promontorium iſtud ingens ſinus eſt, quem Hiſpani AGVADA SEGVRA nominant, hunc ſinum iucundiſſimus fons illabitur, & adhabitatur multis Indis. Nos in iſto flumine vel fonte aquã hauſimus & conſumſimus circa hoc promontoriũ, recedẽdo reuertẽdoq; dies aliquot, vſq; ad 4. Nouembris. Die 4. Nouemb. cum reſiduis noſtris duabus nauibus THE DESIRE & THE CONTENT, promontorium CALIFORMIA circumnauigauimus, quod ad 23. gradus cum duabus tertiis verſus Septentrionem ſitum eſt. *Nouember.*

Tubicen vel Symphoniacus nauis noſtræ Prætoriæ, aſcendens in corbem qui eſt in ſummitate mali, vidit nauim ad promontorium properantem, altaq; voce nauem iſtam inclamans, nos non parum exhilarauit, itaq; etiam Dux noſter & alii in locum iſtum aſcenderunt, cumque rem ita habere deprehenderent, ad ADMIRALEM detulerunt, qui nobis imperauit vt ad pugnam nos pararemus, poſtea nauem iſtam inſequentes dedimus operam, vt ſecundo vento eam aggredi poſſemus, emiſſisque ab vna nauium noſtrarum parte tormentis omnibus eam oppugnauimus. Quæ quidem ad regem Hiſpaniæ pertinebat, eratque ADMIRALIS in oceano auſtrali, nomine S. ANNA, capacitate 700. laſtarum. Cum ab vna parte impreſſionẽ facere cœpiſſemus, eſſemusq; omnino vix 50. vel 60. animaduertimus capitaneum iſtius nauis ſe ad defenſionem ab vtraq; parte præparaſſe, velis enim primum medium vltimumque contexerat caſtellum, ita vt neminem conſpiceremus, interea ipſi ſeſe armis ſuis probe inſtruentes, multis lapidibus nauem noſtram obruebant, tanta celeritate & multitudine, vt duobus ex noſtris interfectis & quatuor vel quinque vulneratis, recedere paululum cogeremur. Sed nihilominus tamen denuo nauem iſtam aggreſſi, tormentis noſtris eam perrupimus, multis vulneratis & plane occiſis. Capitaneus ſeſe dedere nolens fortiter cum ſuis pugnabat. Itaque Dux noſter tertio eam irruens tanta tormentis ſuis tonitrua excitabat, vt naui admodum perforata, multisq; in ea interemptis, abiicere tandem animum inciperent, præſertim cum etiam in periculo ſubmerſionis eſſent, propter nauem multis ictibus perfoſſam. Poſtquam igitur 5. vel 6. horis nobiſcum pugnaſſent, ſignum pacis naui ſuæ præfigentes, quærebant nobiſcum pro impetranda pace & gratia conſequenda agere, & ſimul ſuam bonorumque ſuorum ſalutem exorare. Itaque Dux noſter depoſitis velis capitaneum nauicula quadam ad ſe venire iuſſit.

His auditis gauiſi ſunt admodum feceruntque quod iuſſi erant. Paulo poſt venit ad nos

ad nos præcipuus ex mercatorib. qui in naui iſta erant, procidensq; ad genua Ducis noſtri, gratiam exorabat, qui etiam omnia ipſis condonauit, remiſitque quæ hactenus facta erant, hac tamen lege, vt nobiſcum candide agerent, & omnes opes diuitiasq; nauis ſuæ fideliter indicarent, quod mercator ſe facturum promiſit, iuſſitq; ſtatim Capitaneum & PILOTTAM ſiue Nauarchum vocari, qui cum aduenissent & parem Duci noſtro reuerentiam honoremq; declaraſſent, pacem ipſis Dux noſter promiſit, quo facto, Capitaneus & PILOTTA Duci noſtro bona indicarunt, quæ in naui iſta veherentur nimirum 122000. PEZOS auri, PEZO autem 4. ſolidos Anglicanæ monetæ, noſtratis autem, florenum valet. Deinde pannos ex ſerico, vtpote Damaſcenos & alios precioſiſſimos, muſchi etiam & aromatum bonam copiam, præter omnis generis cibaria & vinum præſtantiſſimum. His itaque commemoratis & conſignatis, iuſſi ſunt in naui Prætoria vlteriorem reſolutionem & reſponſionem expectare.

Die 6. Nouembr. ingreſſi ſumus portum AGVADA SEGVRA vel PORTO SEGVRO, id quod portum ſecurum ſonat. Atque ibi vniuerſum nauis Hiſpanicæ populū, tam fœminas quam viros numero 190. perſonas in terrā depoſuimus, cum non procul abeſſent à fonte dulcis & recentis aquæ, locus iſte piſcibus, auibus, ligniſque, leporibus item cuniculiſq; abundabat plurimis. Cumq; Dux noſter omnis generis cibos & vinū ipſis conceſſiſſet, ipſiq; ex velis & aſſeribus tabernala ſibi figere & nauiculam Barquā extruere facile poſſent, nauem iſtam bonis exonerauimus quæ inter ſocios diſtributa ſunt, ita vt quilibet ſuam inde partem acciperet. Licet autem murmurare quidam die 8. Nouemb. aduerſus Ducem cœpiſſent, & hac diſtributione non acquieſcere vellent, illi potiſſimum qui in VICE-ADMIRALI naui THE CONTENT erant, tamen omnia ſtatim ſopita ſunt atque tranſacta.

Die 17. Nouemb. qui ſolennis eſt coronationi Regiæ maieſtatis in Anglia, emiſit Dux noſter omnia tormenta æenea tam maiora quam minora, & ſub noctem ignis lætitiæ accenſo, ea rurſus vt & antea emiſit, magna cū admiratione Hiſpanorum, qui tale quid antea nunquam viderant. Sequenti die Dux noſter, Capitaneum Hiſpanum in libertatem aſſeruit, & plane dimiſit, addito ipſi honorifico munere, relictis etiam armis quibus ſeſe contra Indos tueri atq; defendere poſſet. Antequam autē Dux noſter inde diſcederet, accepit ex naui iſta S. ANNA duos pueros ex IAPONIA oriundos, qui patriam ſuam linguam legere ſcribereque poterant, vnus vocabatur CHRISTOPHORVS, eratq; annorū 20. alter COSMVS annos natus erat 17. ambo ingenii præſtantiſſimi. His adhuc tres adiūxit, ex Inſula MANILLA oriundos, quorum primus dicebatur ALPHONSVS, eratq; annorū 15. alter ANTONIVS DE DASI 13. tertius 9. tantū annorū erat. Hos vero in Angliam aduectos poſtmodū Comiti ab ESSEX obtulit. Præterea aſſumſit adhuc vnum nomine NICOLAVM RODVGO Luſitanum, qui non tantum in CANTON aliiſq; locis in CHINA, ſed & in Inſula IAPAN, quæ Inſula argenti auriq; ditiſſima eſt, & in Inſulis PHILIPPINIS fuerat. His adiunxit præterea & Hiſpanum quendam, qui PILOTTA erat, habebatque cognitionem locorum ACAPVLCO & totius littoris inter NOVAM HISPANIAM, & Inſulas LADRONES, vbi Hiſpani plerunq; appellere ſolent, quando inter ACAPVLCO & Inſulas PHILIPPINAS iter faciunt. Inſulæ LADRONES non tantū aquam habent recentem, ſed & VANNANAS, & radicem POTATE, quamuis meris Barbaris impiisque hominibus habitentur.

Die 19. Nouembr. Dux noſter circa quintam pomeridianam, nauem Hiſpanicam S. ANNA iniecto igne perdidit, quamuis 500. adhuc laſtis variarum mercium onuſta eſſet. Poſtea emiſſo ingenti tormento, ſumma cum lætitia explicatis rurſus velis noſtris domum repetiuimus, nimirum verſus Angliam vento bono & ſecundo nauigantes. Circa veſperam reliquimus poſt nos vice Admiralem THE CONTENT, quæ ex portu quidem nondum egreſſa erat, cumq; putaremus eam nos ſequi, eam prorſus amiſimus, ita vt nunquam poſtea domum reuerſa ſit.

Ab hoc portu AGVADA SEGVRA in CALIFORMIA, verſus Inſulas LADRONES nauigauimus, & iſto itinere omnes huius menſis reſiduos dies, quemadmodum totum etiam ſequentem menſem Decembrem, vſq; ad primum Ianuarii; Anno 1588. dies nimirum 45. conſumſimus, miliaria interea temporis circiter 1800. noſtro quidem iudicio conficientes.

Anno 1588. die 3. Ianuarii, hora matutina ſexta cœpit nobis vna ex Inſulis LADRONES, GVANA nimirum apparere; quæ ſita eſt ad 13. gradus cum duabus tertiis verſus Septentrionem, & quia vento vtebamur ſecundo, peruenimus circa noctis medium ad locum 2. tantum miliaribus inde diſtantem, vbi nobis 60. vel 70. CANOES hominibus barbaris plenæ, obuiam venerunt, afferentes radices POTATE, VANNANAS, COCOS, & recentes piſces, quos in mari ceperant. Hæc & ſimilia nobiſcum permutare vole- *Anno 1588 Ianuarii.*

E bant.

bant. Cum igitur ipſorum mentem animaduerteremus, alligata quædam ad funem ferramenta, in ipſorũ CANOAS tranſmiſimus, contra vero ipſi aliquot POTATE radices, & faſciculos VANNANAS funi alligatas nobis remiſerunt. Hac igitur ratione merces cum ipſis mutauimus. Sed tandem vix ipſis nos eripere potuimus, tanta enim nauem noſtram cinxerunt multitudine vt etiam inuicem ſeſe læderent, & nauiculas ſiue Canoas quaſdam frangerent, populo vitam ſuam natando conſeruante. In qualibet CANOA 4.6.vel 8. perſonæ erant, veſtibus nullis vtentes, natare peritiſſimi, colore nigricantes ſiue fuſci, ſtatura & proportione noſtros aliquo modo ſuperantes: Capillos habent oblongos, nodo in vertice colligatos, non abſimiles imaginibus, quas in CANOIS ſuis ſculptas habent, ſpeciem ſeu formam Cacodæmonis referentes. CANOÆ ipſorũ tam artificioſe factæ erant, vt ſimiles non viderimus. Parantur n. & extruuntur ſine vllo vel cultro, vel alio, quod ad ſecandũ adhibetur, inſtrumento. In latitudine vltra duos pedes non habent, cum tamen 20. vel 30. pedes longæ ſint, eiuſdẽ in prora & puppi formæ, vimine vel aliis id genus funibus colligatæ. Habent etiam malos, & vela, quæ ex SEGGOS parata quadrata vel triangularia ad ventum excipiendum aptiſſima ſunt.



Cum igitur hi barbari à nobis recedere nollent, coactus eſt Dux noſter aliquot tormenta in ipſos emittere, verũ ipſi ſumma agilitate & dexteritate ſeſe pronos in aquam præcipitarunt, vt animaduertere non poſſemus, an aliquis ex ipſis interiiſſet nec ne, præſertim cũ ſub aqua natantes effugiſſent.

Die 14. ſub vnico ſaltem velo in noſtra naui quieuimus vſque ad horam matutinam 4. vel 5. tunc enim vna cum aurora ad vnam ex inſulis PHILIPPINIS appulimus, quæ vocatur SPIRITVS SANCTVS. Quæ Inſula oblonga eſt, promontorium habens quod verſus ortum & occaſum porrigitur, & verſus occaſum quidem longo tractu in mare excurrit. Abeſt autem hæc Inſula à GVANA & Inſulis LADRONES, 310. miliaribus, quod quidem iter 11. diebus exiguo cum vento emenſi ſumus, ita vt 3. vel 4. noctibus vela non explicauerimus. Inſula hæc 13. gradibus à linea abeſt, copioſis habitatur hominibus, ſed barbaris atque immanibus. Syluis perpetuis horret; & à præcipua Philippinarum Inſula MANILLA, 60. fere miliaribus abeſt. MANILLA Hiſpanis inhabitatur plurimis, numero 500. Habitant autem Hiſpani iſti in aperto quodam pago, tribus vel quatuor tamen propugnaculis partim ligneis, partim lapideis munito. Triremes habent vnam atq; alteram, quæ tamen ad ciuitatem perti-

pertinent. Locus eſt auri ditiſſimus, aliiſque commoditatibus gaudens, mercaturam exercent cum ACAPVLCO in NOVA Hiſpania, & ſubinde 20. vel 30. nauibus ex CHINA & SANGVELOS, omnis generis merces ipſis aduehuntur. Mercatores ex CHINA & SANGVELOS magna ex parte Æthiopes ſunt & Mahometiſtæ, multum auri ſecum afferunt, quod cum argento eiuſdem ponderis permutant. SANGVELOS ſupra modum prudentes ſunt, & in omni artificio excellunt, ita quidem vt inueniendi ſubtilitate, & elaborandi res inuentas dexteritate, vt & nendi & acu pingendi artificio longe etiam Chriſtianos ſuperent, ſi nimirum imagines & typos ſpectes variorum animalium, auium, piſcium, vermiumque, ſerico, auro argentoque ductili & margaritis exornatos atque effectos.

Eodem die circa veſperam, fretum maris ſiue anguſtias inter Inſulas duas Lucon & Cambaya ingreſſi ſumus.

Die 15. Ianuarii, peruenimus ad Inſulam CAPVL, vbi inter hanc & aliam Inſulam anguſtum erat fretum, & fortiſſimus fluxus atque refluxus maris, mixtis ſubinde tumulis quibuſdam arenariis, qui in cacumine dictæ Inſulæ CAPVL conſpiciebantur, ſed ſine tamen omni periculo, cum profunditas & latitudo maris vbique ſatis magna eſſet, circa horam decimam antemeridianam cum anchoras noſtras emiſiſſemus, appropinquarunt ad nauem noſtrā duæ nauiculæ Indiæ, ſiue CANOÆ, in quibus erant duo ex præcipuis iſtius Inſulæ CASSIQVE ſiue reguli, quorum numero ſeptem erant, hi nos Hiſpanos eſſe putantes, attulerunt radices POTATES, quas CAMOTAS nominant, & virides COCOS ſiue nuces Indicas, contra vero nos quartā regalis numi partem pro 4. Cocis, & tantundem etiam pro Corbe POTATES pleno vnico ipſis reſtituentes, radices autem POTATES boni ſunt admodum & dulciſſimi ſaporis, ſiue aſſis ſiue elixis quis vtatur.

Huic CASSIQVO, cutis erat per totum corpus variis ſecturis & lineamentis ſecta & fiſſa. Nos autem omnes alios dimiſimus hiſce duobus CASSIQVIS tantum recentis, iuſſimuſque reliquos quinque etiam aduocari, ſed hoc populo vix abeunte, ecce ſtatim alii aderant, COCOS & POTATES radices quamplurimas afferentes. Quin & cæteri CASSIQVI ſiue principes cum aduenerunt, attulerunt ſues ſiue porcos & gallinas ſecum plurimas, in quibus permutandis eandem obſeruarunt conſuetudinem, quam cum Hiſpanis, pro qualibet enim ſue, quas BALBOYE vocant, octo argenteos REALES accipiunt, pro gallo autem ſiue gallina, vnū REALEM. Itaque totum iſtum diem in anchora hærentes, conſumpſimus redimendo POTATES, COCOS, capones, gallos, gallinas, ſueſque, & quicquid præterea afferebatur, quibus nos ſatis recreare atque reficere potuimus.

Die 15. Ianuarii circa veſperam petebat NICOLAVS RODRIGO (Luſitanicus ille ſiue PILOTTA ſiue Nauarchus, quem ex magna naui S. ANNA non procul à promontorio CALIFORMIA acceperamus) vt ſolus ad Ducem noſtrum admitteretur, habere ſe enim quod ipſi ſoli eſſet concredendū, cumque admitteretur ad colloquium, dicebat: ſe, quanquam ante hæc tempora hoſtis eius fuiſſet, ſcire quod fidem iam ipſi dediſſet, & in omnibus ſeruitium fidele promiſiſſet, itaque intermittere non poſſe, quin de quodam nefario auſu & proditione ipſum certiorem faceret, quæ quidem aduerſus eum & populum eius iam decreta & deliberata eſſet. Hiſpanicum enim PILOTTAM ſeu Nauclerum, quem ex eadem naui S. ANNA acceperamus, literas ſcripſiſſe, & obſignatas, capſulæ vel ciſtæ ſuæ incluſiſſe, quarum hæc eſſet ſumma, Quod duæ naues in oris CHILI, PERV, NOVA ESPANGA, & NOVA GALLICIA fuiſſent, quæ multas naues, omnis generis præſtantiſſimis theſauris, precioſiſſimiſque mercibus onuſtas cepiſſent, multas vrbes & pagos igne deleuiſſent, & damna plurima iſtis regionibus intuliſſent, inprimis vero quod regiam nauem S. ANNA, quæ ex MANILLA, CALEFORMIAM verſus profecta fuerat, theſauris & bonis omnibus ſpoliatam igne concremaſſent, & populum quidem omnem in terram depoſuiſſent, ſe vero per vim ſecum retinuiſſent, itaque velle ſeſe gubernatorem & præſidem ciuitatis MANILLÆ, monitum, vt propugnacula & triremes quibus poſſent modis munirent, & de rebus ad bellum neceſſariis ſibi probe proſpicerent. Præterea certiorem ſe quoque Gubernatorem facere, quod dicti iſti prædones & piratæ in anchoris prope CAPVL Inſulam, vnica tantum naui hærerent, & quod Gubernator, ſiquidem vellet, facile eos iam ſuperare poſſet, cum pauci admodum eſſent, & locus etiam tantum 50. miliaribus à MANILLA abeſſet. Quod ſi autem hanc occaſionem piratas iſtos opprimendi negligeret, nihil cogitandum & expectandum ipſis aliud eſſe, quam ſequenti anno ciuitatem ſuam expugnatum, ſpoliatum & funditus deletum iri. Poſtquam igitur Dux noſter Candiſch, hæc audiuiſſet, conuocato ad ſeſe Hiſpanico iſto PILOTTA, de hac re eum interrogauit, qui principio

pio quidem id acriter negabat, poſtea tamen cum per teſtes fide dignos & infallibilia indicia conuictus eſſet, iuſſit eum Dux noſter ſuſpendi, quod ita etiam 16. Ianuarii factum eſt.

Circa hanc Inſulam CAPVL 9. dies commorati ſumus, vbi omnis generis voluptatibus nos recreauimus, ſat lignorum & aquæ recentis ſemper habentes. Incolæ huius loci fuſci & nigricantis coloris magna ex parte nudi incedunt, Viri ſupparo partem corporis mediam tegunt, quod ex foliis VANNANARVM contextum, inſtar ſubligaculi per pedes tranſmittunt, & circa vmbilicum cōnectunt, pudenda ſaltem eo tegentes. Mirum hoc eſt & inauditum, quod pueri horum locorum, clauum ex plumbo candido, per glandem membri virilis tranſmiſſum geſtent, qui clauus in extremitate diſſectus in duas partes diuiditur & incuruatur, caput vero inſtar alicuius coronulæ exornatum eſt, vulnus vero vel foramen illud in iuuentute ſanatur, atque excreſcit, ſine aliquo doloris ſenſu: Et hunc clauum inſerere in foramen illud & exſerere vel deponere pro libitu & naturæ neceſſitate poſſunt. Nos vt hoc eo confidentius affirmare & referre melius poſſemus, acceptum CASSIQVI ſiue Domini iſtius filiolum annos 10. natum, probe contemplati ſumus, extracto aliquoties clauo iſto & iterum immiſſo. Conſuetudo hæc in gratiam mulierum & fœminarum iſtius loci introducta eſt, quæ cum animaduertunt viros ſuos ad Sodomiam & fornicationes nimis propenſos eſſe, conſilium ceperunt quomodo huic laſciuiæ virili occurrerent, & propterea apud magiſtratum ſuum hanc legem exorarunt. Populus hic Diabolum ipſum precibus ſuis veneratur, & perſæpe cum ipſo colloquitur, præſertim quando ipſis in forma & ſpecie abominanda & horrenda apparet.

Die 23. Ianuarii, Dux noſter Candiſch, conuocatis omnibus CASSIQVIS, & gubernatoribus huius & fere centum aliarum Inſularum, qui tributum ſuum, porcos nimirū ſiue ſues, capones & gallinas, POTATOS & COCOS, dediſſent, aperuit eis, ſe & ſocios ſuos minime Hiſpanos, ſed Angelos & iuratos Hiſpanorum hoſtes eſſe. Et ſtatim erecto & explicato vexillo tympanum pulſare iuſſit. Quo viſo omnes mirati ſunt, & promiſerunt, quod non ipſi tantum, ſed & omnes finitimæ Inſulæ contra Hiſpanos pugnare, & ipſi aliquando reuerſo, auxilio venire vellent. Hanc promiſſionem Dux noſter promptiſſime acceptauit, & vt ipſi de ſuo affectu & animo erga ſe nihil mali ſuſpicari poſſent, dedit ipſis pecuniam pro omnibus quæ ipſi tributi loco antea ei obtulerant, quam quidem pecuniam grato animo accipientes circa nauem noſtram magna alacritate & mira celeritate nauigabant, vt nos aliquo modo ſpectaculo hoc oblectarent. Tandem cum Dux noſter magnum tormentum emiſiſſet, admodum mirati ſunt, & pacifice amiceque à nobis dimiſſi abierunt.

Die 24. Ianuarii, primo diluculo explicatis velis noſtris, in littore Inſulæ MANILLÆ progreſſi ſumus, curſum noſtrum verſus occaſum inter Inſulam MANILLAM & Inſulam MASBAT tenentes.

Die 28. Ianuarii, cum circa horam 7. matutinam in ancoris hæreremus inter duas inſulas, vidimus FREGATTEM aliquam, inter duas Inſulas progredientem, itaq; hanc inſequentes, cum ei iam immineremus, & ancoras emittere vellemus, euaſit ea ex manibus noſtris, ſumma cum celeritate, itaque lembum vel nauiculam noſtram ſex ſclopetariis militibus inſtruximus, qui eam ſtrenue inſequerentur, ſed ea amnem quendam ingreſſa, euaſerat, vt reperiri amplius non poſſet. Cum autem in littore nauigaremus, inuenimus loca quædam in mari periculoſiſſima, venerunt etiam 2. vel 3. CANOÆ ex oſtio fluminis alicuius, quæ licet à nobis inclamatæ, propius accedere nolebant, nec vero nimis longe à nauibus diſcedere auſi ſumus. Itaque dum hinc inde reſpiceremus, vidimus tandem aliam quandam BALSAM ſiue CANOAM, & homines qui in ea erant erecti ſedebant ſicut nos. Erant in hac CANOA 5. vel 6. Indi, cum vno Hiſpano. Hanc cum fere aſſecuti eſſemus, in fundum conſedimus, itaque quidam ex noſtra nauicula in aquam proſilientes, eam liberarunt, & poſtea BALSAM ſiue CANOAM iſtam apprehendimus. Qua apprehenſa Indi in aquam proſilientes euaſerunt, Hiſpanus vero ſolus captus eſt. Capta hac BALSA, aperuit ſeſe cohors quædam Hiſpanorum militum in terra, habentium vexillum rubra cruce inſignitum, inſtar vexillorum quibus in Anglia vtimur. Numerus eorum 50. vel 60. erat, & nuper ex MANILLA in quadam BARQVA nauicula ad hunc locum RAGAM dictum, delati erant, vt nauem quandam regiam nuperrime extructam, & in portu ferramenta tantum pro remis neceſſaria expectantem, deducerent. Permutatis igitur inuicem globis noſtris, ipſi FREGATTA nauiculam inſtruebant, quæ nos caperet, ſed nos diſceſſimus, & cum videremus, eos non poſſe nobis nocere, niſi tormentis ſeſe noſtris exponere vellet, ad terram appulimus, ſed Fregatta illa circa promontorium nauigauit, vt eam amplius cernere nō poſſemus.

Atque

Atque ita cum captiuo hoc noſtro Hiſpano ad nauem noſtram peruenimus, qui quidem nec nauta, nec miles aliquis erat, ſed vna cum aliis ex MANILLA venerat, vbi bene longo tempore in Xenodochio vel Noſocomio vixerat, homo ſimplex & imperitus, qui ad interrogata noſtra minus nihilo reſpondere poterat. Cum igitur tota iſta nocte in anchoris hæreremus, animaduertimus Hiſpanos in 2. & 3. partes ſeparatos excubias ſumma diligentia agere, & ſæpe etiam ſub noctem fulminare. Tractus hic terræ planæ, arbores habet proceras & altas, ex quibus mali pro nauibus fieri optime poſſent. Fodinas etiam habet auri tenuiſſimi & puriſſimi, ad quarum præſidium Indi collocati ſunt. Verſus auſtrum adhuc alia magna Inſula conſpicitur, quæ Hiſpanis aut aliis peregrinis nationib. ſubiecta non eſt. Incolæ omnes NEGRI ſiue Æthiopes ſunt, vnde etiam Inſula ipſa NEGROS vocatur, magnitudine Angliam fere ſuperat, & ad 9. gradus aſcendit, terra fere omnis humilis, depreſſa & frugifera apparet.

Die 29. Ianuarii, hora 6. matutina velis noſtris denuo explicatis, lembum ſiue nauiculam noſtram, ad meridiem vſque, ſemper præmiſimus, & toto eo tempore tanquam in anguſto aliquo freto intra Inſulas PANVA & NEGROS nauigauimus, conſpeximusque ad 16. miliaria egreſſum quendam ex hiſce faucibus verſus auſtrum, vbi nauicula ad nos reuerſa iterum eſt. Hiſpanus vero, quem paulo ante ceperamus, in terram expoſitus eſt, impoſito ei, vt ſalutem noſtro nomine Capitaneo Hiſpano diceret, iuberetque eum interea multum auri & argenti colligere, vt eſſet, quod reuerſi paulo poſt abduceremus. Hoc autem tempore quod eum ipſimet ſalutare non potuerimus, hanc ipſi cauſam indicari iuſſimus, quod magna aliqua naui expoſitoria deſtituti, noſtros ſocios in terram exponere non potuerimus, alias non intermiſſuros fuiſſe, quin eum ipſimet ſalutaſſemus, rogare igitur nos vt hac vice nos excuſatos habere velit.

Februarius. Die 8. Februarii, hora octaua matutina vidimus Inſulam BATACHINA dictam, quæ verſus ſeptentrionem vno tantum gradu à linea abeſt.

Die 14. Februarii, peruenimus ad 11. vel 12. exiguas Inſulas, admodum humiles & depreſſas, prætervecti multos arenarios tumulos, quæ eminus Inſulæ videbantur. Exiguæ hæ Inſulæ Moluccæ dicuntur, & tribus gradibus, cum decem minutis à linea æquinoctiali verſus auſtrum abſunt.

Die 17. Februarii, mortuus quidam eſt ex naui noſtra, nomine IOHANNES GANEFORD, vietor, qui cum diuturno morbo hactenus conflictatus fuerat.

Die 20. Februarii, ad Inſulas quaſdam delati ſumus, circa quas minores etiam inſulæ non paucæ, 4. gradibus à linea æquinoctiali diſtantes verſus ſeptentrionem cernebantur.

Die 21. Februarii, mortuus eſt Capitaneus HAVER qui ante 7. vel 8. dies ardentiſſima & peſtilentiali febri correptus fuerat. Hunc linteo inuolutum, cum duo tormenta magna & omnes bombardas noſtras emiſiſſemus, preces item ad Deum ardentiſſimas habuiſſemus, in mare abiecimus, ſumma cum mœſtitia & conſternatione Ducis noſtri & totius collegii. Paulo poſt egometipſe FRANCISCVS PRETTIE, & mecum alii plures, in morbum incidimus, & ita tres vel 4. ſeptimanas magna in miſeria & dolore egimus, propter æſtum & ardorem nimium, & Climatis etiam temperaturam non admodum bonam atque ſalutarem.

Die 1. Martii, freto maris apud Inſulam IAVAM minorem ſuperato, anchoras emiſimus in plaga occidentali Inſulæ IAVÆ maioris. Ibi non procul à nobis aliquot piſcatores conſpeximus, qui ſub inſula iſta in loco vbi fluuius mare ingreditur, piſcabantur. Dux igitur noſter cum aliquibus aliis nauiculam ingreſſus, NEGRVM ſeu Æthiopem iſtum ſecum ſumpſit, qui in naui S. ANNÆ fuerat, & linguam Æthiopicam loqui poterat, atque ita piſcatores iſtos acceſſit, ipſi autem viſa nauicula noſtra, in terram aufugerunt, inter arbuſta & fruticeta ſeſe ex metu abſcondentes, ſed Dux noſter præcepit, vt NEGRO ipſos inclamaret, quo facto, ipſorum aliquis qui vocem agnouerat, ad littus proceſſit, itaque Dux noſter eum interrogabat de recenti aqua & lignis, cumque is locum vbi hæc inuenirentur, ipſis monſtraſſet, iuſſit Dux noſter vt Regem ſuum accedens diceret, peregrinam quandam nauem ibi aduenisse, quæ cum ipſo merces ſuas, vniones nimirum & alia, pro auro & argento bono permutare cuperet. Piſcator ille reſpondebat nobis, quod ad cibum & commeatum attineret, non debere nos ſollicitos eſſe, accepturos enim eſſe quantum deſiderare & requirere poſſemus. Reuerſis igitur ſociis noſtris, vaſa noſtra aqua dulci & recenti repleuimus, lignaque ſatis multa accepimus. *Martius.*

Die 8. Martii venerunt ad nos ex ciuitate duæ vel tres CANOÆ, ouis recentioribus,

bus,gallinis,piſcibus,malis aureis, citreisque onuſtæ,dicebant autem, quod plus nobis miſſum fuiſſet, niſi nauis noſtra tam longe à terra abfuiſſet. Itaque ſolutis anchoris propius ad vrbem acceſſimus, cumque adhuc in itinere eſſemus, venit nobis obuiam vna ex CANOIS Regiis. In hac ſecretarius regius erat, qui capiti impoſitum linteum varie pictum habebat, inuolutum inſtar turcici TVLIPAN ſiue pilei. Homo plane nudus incedebat & diſcalceatus, exceptâ parte corporis media ſubligaculo contecta, pectus habebat ſagittis in varios ductus ſciſſum atque laceratum: Interpretem habebat MESTIZVM, hoc eſt,mixti generis ex Indo & Luſitano, qui lingua portugallenſi dicebat, ſecretarium hunc attuliſſe ſecum aprum,gallinas, oua, piſces recentes,ſaccarum, & vinum,tantæ præſtantiæ ac ſi deſtillatum fuiſſet. Porro ſignificari noſtro Duci ſecretarius iſte iuſſerat, ſe intra quatuor dies, nobis tantum cibi allaturum,quantum exoptare poſſemus. Itaque Dux eum liberaliter habuit, & variis ſaccari confectionibus vinique generibus, addita dulciſſima muſica,exhilarauit. Poſtea indicari ipſi iuſſit, ſe Anglum eſſe, & ex regno CHINÆ venire, vbi mercaturam exercuiſſet. Ad hæc autem loca propter ſolam mercaturam appuliſſe, vt animaduerteret, quibus mercibus ipſi delectarentur, decreuiſſe vero etiam MALACCAM proficiſci.

Ad hæc reſpondebat interpres aliquot Luſitanos in regione ſua eſſe, qui locum iſtum ad habitationem ſibi delegiſſent, & mercaturam cum ipſis ſubinde exercerent; redimentes ab ipſis NEGROS, Caryophyllos,piper,ſaccarum, & id genus alia.

Secretarius hic cum ſuo interprete per noctem in noſtra naui dormiuit. Itaque Dux noſter præcepit, vt quilibet bombardis ſeſe armaret, emiſimusque bombardas 70. vel 80. intermixtis ſubinde tormentis maioribus, ſumma cum admiratione huius gentis barbaræ,cui eiuſmodi naues nō multæ antehac viſæ fuerant,ſequenti die, Dux noſter ſecretarium hunc cum ſuo interprete amice dimiſit.

Die 12. Martii, venerunt ad nos,vti promiſerant, Regiæ CANOÆ, ſed propter ventum aliquo modo aduerſum, non poterant ea veſpera ad nos pertingere, ſed cogebantur expectare vſque ad diem ſequentem, quo & aliæ 9. vel 10. CANOES, has inſecutæ ſunt, quæ ſimiliter, vt priores ad Regem etiam pertinebant, onuſtæ duobus tauris adhuc viuentibus, decem ſuibus probe ſaginatis, innumeris caponibus,gallinis, anatibus,anſeribus, VANNANIS, ſaccaro, placentis, COCO, chryſomelis dulcibus & aliquo modo auſteris, pomis citrinis, vino naturali & deſtillato, & ſale inſuper plurimo ad cibos hoſce condiendos neceſſario. Aderant in hiſce CANOIS duo etiam Capitanei Regii, & duo portugallenſes,mediocris ſtaturæ, ſed formæ admodum præſtantis. Horum quilibet induſio, thorace & caligis oblongis honeſte veſtitus erat, præterquam quod diſcalceatis & nudis pedibus incedebant. Cum his portugallenſibus magna cum lætitia locuti ſumus, integro enim ſeſquianno Chriſtianum nullum videramus. Itaque Dux noſter eos liberaliſſime excepit. & ipſi non parum etiam noſtra præſentia delectati ſunt. Quærebant autem ex nobis, quid de Rege ſuo, DON ANTONIO, cognitum haberemus, vtrum adhuc viueret vel mortuus eſſet, affirmabant enim ſe longo iam tempore in Portugallia non fuiſſe, ab Hiſpanis autem ſubinde audiuiſſe, eum rebus humanis iam pridem exemptum, occubuiſſe. Dux igitur noſter reſpondens,ſancte affirmabat, eum adhuc in viuis eſſe, & quidem in Anglia degere, vbi honeſte à Regina noſtra haberetur & ſuſtentaretur. Cuius quidem rei argumentum illud eſſet, quod ſub eodem Rege Portugalliæ, Oceanum auſtralem ingreſſi eſſemus, ad bellum Hiſpanis inferendum, quorum quidem naues non paucæ à nobis expugnatæ, ſpoliatæ,aqua ſubmerſæ, & igne concrematæ hactenus fuerint. Huic relationi acquieſcentes, exponebant nobis contra ſtatum & conditionem Inſulæ IAVA, & primo quidem eius fertilitatem & omnis cibi abundantiam, de qua etiam ſupra, pauca diximus. Deinde theſaurum, opes, diuitias, merces & bona alia quibus affluebat. Tertio naturam & ingenium etiam populi iſtius loci,& nomen Regis in iſta Inſula nobis exponebant,cui nomen erat RAIA BOLAM BOAN, vir magnæ & ſingularis prope apud ſubditos ſuos autoritatis. Et populo quidem ſub capitis pœna prohibitæ erant omnes venditiones, mercationes & permutationes cum peregrinis, & aduenis, ſine expreſſa Regis permiſſione, & conſenſu. Rex ipſe multorum annorum vir erat, 100. vxores habens, filius vero eius habebat vxores 50. Moris eſt apud ipſos, vt ſi quando Rex ipſorum moriatur, ipſi corpus comburant, & cinerem diligentiſſime collectum reſeruent. Quinto die poſt Regis obitum, vxores

D. Antonius verus Hæres Regni Luſitanici.

vxores regiæ omnes de conſuetudine iſtius regionis, in certum quendam locum ſeſe conferunt. Quarum quæ præcipua fuit, globum quendam, quum in manu tenet à ſeſe proiicit, obſeruatque quo globus iſte ſeſe voluat, eo enim poſtea ipſa cum omnibus aliis procedunt, & facie ſemper verſus ortum conuerſa, atque inter eundum pugione nouaculæ inſtar acutiſſimo, quem CRISE vocant, pectus ſibi perfodiunt; & in faciem prolapſæ occumbunt. Hoc tam verum eſt, quam auditu mirum & inuſitatum. Viri ingenioſi ſunt, prudentes, robuſti, & quamuis nudi incedant, ad omnẽ tamen opus perficiendum aptiſſimi. Regi ſuo ſubiectiſſimi, & ad omne mandatum exequendum paratiſſimi ſunt. Et ſane nihil etiam quod à Rege ipſis impoſitum atque præceptum eſt, recuſare audent, etiamſi ſummum etiam vitæ neciſque ſubire periculum deberent; præſertim cum ſciant, Regem ipſis non parcere, ſed ſtatim vbi re infecta ad eum accedant, interfici eos iubere. Hinc fit vt populus iſte fortiſſimus & confidentiſſimus ſit omnium, qui in plaga Oceani meridionalis reperiuntur. Nam & mortem non metuunt, & ſi quando ſeſe vulneratos ſentiunt, vel proprio ſeſe gladio interimunt, vel ſponte ſua armis hoſtium ſeſe obiiciunt & exponunt, vt eo citius moriantur. Viri quidem coloris ſunt nigrioris quam fœminæ, quæ etiam veſtibus vtuntur amplioribus & maioribus, quam viri. His commemoratis, dicebant, ſe certos eſſe, Regem ſuum DON ANTONIO, ſi ea in loca venire vellet, ſtatim nullo negotio, omnes inſulas MOLVCCAS, CHINAM, etiam SANGLES, & PHILIPPINAS, ſibi ſubiecturum, quin & omnes in vniuerſum Indos à partibus ſuis habiturum eſſe. Cum igitur & hiſce Luſitanis & Indis aliis partim ad interrogata reſpondẽdo, partim pro allatis obſoniis & mercibus pecuniam debitam numerando, abunde ſatisfactum eſſet, amice à nobis diſceſſerunt, promittentes omnem nobis beneuolentiam ſub reditum noſtrum declarare. Abeuntibus autem ipſis, tria ingentia tormenta in ſignificationem noſtræ beneuolentiæ emiſſa ſunt, atque ita ipſis valedictum.



Die 16. Martii velis iterum explicatis, iter verſus CABO de BVONA ESPERANCA, direximus, quod caput ſiue promontorium, maxime verſus auſtrum in Africa ſitum eſt.

Aprilis. Reliquos Martii & Aprilis dies in Oceano magno, iter IAVAM Inſulam & continentem Africæ regionem ſiue terram nauigauimus, & diligentem cœli ſyderumque rationem habuimus. Quin etiam auium volatus non neglex imus, ex quibus nautæ de tempeſtate futura, ſiue bona ſiue mala iudicium facere ſolent. Præterea etiam ventorum, procellarum, pluuiarum, tonitruumque ratio exquiſitiſſima habenda erat.

Maius. Die 10. Maii procellas ex occaſu habuimus, tanta vehementia, vt nauem etiam vix retinere, atque in ventum dirigere potuerimus, quæ quidem procellæ diem noctemq; durarunt.

Die 11. Maii quidam in corbem mali medii aſcendens, terram quandam animaduertit verſus occaſum à nobis diſtantem, cumque nos de ea inclamaret, vidimus eam verſus occaſum à nobis in meridie conſtitutis diſtantem, & aliter quidem iudicare non potuimus, quam promontorium illud eſſe, quod vocatur BVONA ESPERANCA. Aberat autem à nobis adhuc 40. vel 50. miliaribus, cum ventum fere nullum haberemus, expectauimus igitur & commorati ſumus in loco verſus ortum excurrente, vſque ad noctis medium, quo tempore cum ventus iterum ſecundus aſpirare cœpiſſet, iter noſtrum verſus occaſum direximus.

Die 12. & 13. Maii ventum nullum animaduertimus, aere vſque ad 14. Maii nebuloſo & turbulento exiſtente. Quo rurſus purgato & nebulis omnibus remotis, terram rurſus conſpeximus, quæ erat CABO FALSO, locus nimirum 40. adhuc vel 50. miliaribus à promontorio BVONA ESPERANCA diſtans. Hoc promontorium facile præ aliis cognoſci poteſt. Nam è regione tres montes non procul ab inuicem diſtantes conſpiciuntur, quorum medius altiſſimus eſt, & terra in littore, maris altior eſt quam alibi. Promontorium vero BVONA ESPERANCA verſus occaſum à CABO FALSO ſitum eſt.

Die 16. Maii, circa quartam matutinam, ventus ex ortu prorumpens magna vehementia vſque ad diem alterum flauit, quo promontorium BVONA ESPERANCA ſiue bonæ ſpei aſpeximus. Terra erat aliquo modo eleuata, & verſus occaſum in cacumine, non procul à continente, apparebant nobis duo colles, alter alteri impoſitus, & præterea adhuc tres in mari cernebantur, terra tamen interiecta depreſſiori, quæ vſque ad littus maris excurrebat. Promontorium autem bonæ ſpei, ſecundum Luſitanorum ſupputationem, 2000. miliaribus ab Inſula IAVA diſtat, ſed error commiſſus eſt quoad 150. miliaria, id quod ex curſu & velocitate nauis noſtræ deprehendimus. Nouem enim ſeptimanas hiſce 1860. miliaribus conficiendis inſumpſimus.

Die 8. Iunii cœpit nobis apparere inſula S. Helenæ, à qua quidem 7. vel 8. miliaribus adhuc abfuimus, ſed cum vento fere omni deſtitueremur, ea nocte tenere eam non potuimus. *Iunius.*

Die 9. Iunii, cum ventus nobis iterum aſpirare cœpiſſet, ad terram appellere ſtudentes, lembum ſiue nauiculam noſtram præmiſimus, vt portum iſtum exploraret, & poſt meridiem anchoras emiſimus ad 12. fila, in amœno quodam & tranquillo portu, duobus vel tribus rudentibus à terra diſtante, in plaga Inſulæ ſeptentrionali. Hæc Inſula terram habet admodum eleuatam, & medio maris ſita eſt, inter continentem AFRICÆ & AMERICÆ, ſiue BRASILIÆ & littus GVINEÆ. Diſtat à linea æquinoctiali 15. gradibus & 48. minutis verſus auſtrum, & à promontorio BONÆ SPEI 600. miliaribus.

Eo die in terram nauibus egreſſi, vallem inuenimus pulcherrimam, multis ædibus artificioſiſſime extructis conſpicuam, inprimis vero templo tegulis ſiue lateribus contecto, & pulchre dealbato, porta extrinſecus pulcherrima & altiſſima exornato, admirabilem. In templo hoc altare erat, tabella, quæ Saluatoris noſtri & ſanctiſſimæ eius matris Mariæ artificioſiſſime pictas imagines, & hiſtorias alias ſpectantibus exhibebat, mirabile parietes ædis iſtius ſacri contecti & obducti erant pictis & variegatis pannis. Iuxta templum hoc ab vtraque parte domus extructæ erant, vna ad coquendos cibos, altera ad negotia alia peragenda, deſtinatæ. Hæ ædes tectum habebant planum, in quo vineta erant pulcherrima, & circa ædificia iſta aquæ dulcis ſalutariſque fontem inuenimus iucundiſſimum. E regione templi iſtius latiſſima & lapidibus ſtrata platea, in vallem vſque ad littus maris excurrit, quod littus pulcherrimo horto conſpicuum eſt, in quo cucumeres & melones magna copia reperiuntur. In platea iſta ædificium ligneum extructum eſt, pro campanis, quibus ad ſacrificium Miſſæ homines in-

nes inuitantur. Iuxta hoc ædificium crux lapidea cernebatur, quæ in anno 1571. ibi erecta fuerat, qui annorum numerus lapidi inſculptus erat. Vallis hæc pulcherrima eſt & ampliſſima totius Inſulæ, vndique pomis aliisque frugiferis arboribus, vt & herbis ad culinam maxime idoneis referta. Reperiuntur ibi ficus, perpetuos fructus ferentes, ita quidem vt toto anno vel flores, vel virides vel maturas in eis cernere ficus poſſis, propter ſolis in inſula iſta vicinitatem nimiam. Multas præterea habet arbores alias, fructus dulciſſimos & iucundiſſimos, vtpote Chryſomela, poma punica, aurea, & citria ferentes, quæ quidem omnes optimo ordine collocatæ ſunt, vt locum ambulationibus vmbra ſua præbeant gratiſſimum. Intermediis in areis Petroſelinum, Baſilicum, Fœniculum, Aniſum, Sinapi, Raphanus, & id genus herbæ ſalutares aliæ reperiuntur, præterea pomarium etiam hoc multis in locis aqua recenti irrigatur, quam quidem perducere ad quamlibet arborem, vt omnes inde humectarentur, facilimum videbatur.

Aqua iſta ex monte proſiliens, per ſaxum quoddam, magno cum ſtrepitu, impetuque in vallem deſcendit, & in multas ſeſe venulas diuidit, per quas tota deinde vallis irrigatur. Inſula alias montoſa eſt, profundis vallibus formidabilis, atque plurimi fructus in collibus montium naſcuntur, vnde eos auferre periculoſiſſimum eſt.

Reperiuntur præterea in hac inſula multæ perdices tam cicures, vt non facile auolent, etiamſi ſibi appropinquantes homines videant, celerrime enim vt periculum euitent, montes aſcendunt. Nos quaſdam bombardis noſtris aſſecuti ſumus, & colore & magnitudine alias ab his quas in Anglia habemus, magnitudine n. gallinam exæquant, & coloris ſunt cinerei. Magna frequentia in foueis victitant, ita vt duodecim, ſedecim, imo viginti, ſæpe in vna fouea reperiantur, & foueæ eiuſmodi plurimæ reperiuntur.



Phaſia


Iodocus a winghe in.
Io. Theodore de Bry f.

Phaſiani etiam plurimi ibi cernuntur, ſed & ipſi diſſimiles his, qui in noſtris regionibus inueniuntur, imo à perdicibus parum differunt.

Plurimas etiam gallinas Indicas ſiue calecuticas, nigri & albi coloris & ruffis capitibus inuenimus, quæ oua ponunt eiuſdem magnitudinis & coloris cum iis quæ à noſtris ponuntur.

Capras prætereà vidimus innumeras, quas Hiſpani CABRITAS vocant. Animal eſt ferociſſimum, & nunquam ſolum ſed maxima copia apparet, ita vt aliquando etiam ducenta numerare capita poſſis. Quorum quædam aſinos magnitudine exæquant, & iubam equorum inſtar, barbamque in terram vſque pendentem habent. Ex his quaſdam interfecimus, quamuis celerrimo curſu altiſſimos etiam tranſcendere montes poſſent, in quibus quidem montibus milleni numerari ſimul & ſemel ſolent.

Taceo apros ingentis magnitudinis admodum pingues, qui in montibus iſtis commorantes, capi vix poſſunt niſi dormiant.

Cum ad Inſulam iſtam appuliſſemus, inuenimus in ædibus iſtis tria mancipia, NEGROS nimirum ſiue Æthiopes, quorum vnus ex Inſula IAVA oriundus erat, qui nobis indicabat, claſſem ex India orientali, quinque nauium, quarum minima 900. laſtarum capax eſſet, multis aromatibus, Calecuticis pannis, precioſiſſimisq; margaritis & vnionibus onuſtam, viginti diebus ante noſtrum ad Inſulam iſtam aduentum, Hiſpaniam petiiſſe.

Inſulam hanc Luſitani diu poſſederunt, ſementemque in ea fecerunt, vt ex India occidentali venientes, ibi ſeſe recreare atque reficere omnibus rebus neceſſariis poſſint. Atque ne fructus abſumantur, neminem ibi habitare ſinunt, præter quoſdam, qui propter morbos & ægritudinem in naui & itinere contractam vlterius peruenire nequeunt. Hos enim ibi relinquunt, vt vires aliquo modo recolligant, quibus reſtitutis, domum poſtea repetere cōmodius poſſint. Ad hanc vero etiam Inſulam non facile appellere ſolent, qui iter in Indiam Orientalem ingrediuntur, ſed qui inde reuertuntur. Quando enim loca iſta petunt, frumento & rebus neceſſariis aliis adhuc inſtructi ſunt, ſed reuertentes plerunque frumenti & aliarum rerum inopia laborant, quarum rariſſimus eſt in India prouentus.

Die 20. Iunii, poſtquam cibis quos ibi inuenimus, nos ſatis recreaſſemus, lignis etiam & aqua dulci, rebusque neceſſariis aliis nobis abunde proſpexiſſemus, circa veſperam, hora nimirum octaua, explicatis velis inde diſceſſimus, curſu rectiſſimo Angliam petentes, & vento quidem vſi ſumus Euro, verſus occaſum nos propellente, qualis plerunque apud iſtam Inſulam inuenitur.

Die 3. Iulii, nauigauimus verſus occaſum, ventum habentes ex Euro & Auſtro commixtum, animaduertimusq; nos vnico gradu & 48. minutis à linea æquinoctiali verſus Auſtrum abeſſe. *Iulius.*

Die 12. Iulii, ventus fere nullus ſentiebatur, quæ quidem tranquillitas, ad 15. vſque huius menſis durauit.

Die 17. Iulii, leniſſimum Zephirum ſenſimus, cumque ad 3. vel 4. gradus, verſus ſeptentrionem procederemus, Eurum accepimus, & ventum alium ex Euro & aquilone mixtum, qui quidem mutatus non eſt, donec intra triceſimum & quadrageſimum gradum verſus ſeptentrionem verſaremur.

Die 21. Auguſti vento in Zephyrum rurſus mutato, verſus auſtrum 38. gradibus à latitudine ſeptentrionali diſceſſimus. *Auguſtus.*

Die 23. ex occaſu verſus auſtrum perreximus, Inſulas ACORÈS captantes.

Die 24. Auguſti, tempore matutino conſpeximus duas haſce Inſulas, FLORES & CORVO, quæ ad 39. gradus aſcendunt, & verſus ortum nauigauimus.

Die 3. Septembr. occurrit nobis nauis quædam Belgica, quam HVLCKEN vocant ex Lyſabona proueniens. Hæc referebat nobis ſubuerſionem & expugnationem claſſis Hiſpanicæ, non procul ab Anglia factam, quod nobis auditu iucundiſſimum gratiſſimumque erat. *Septemher.*

Die 9. Septembris, ſuperatis horribilibus procellis & tempeſtatibus, quibus vela noſtra fere omnia lacerata & rupta fuerant, tandem per miſericordiam gratiamque omnipotentis Dei, ad diu deſideratum portum PLEYMOVTH in Anglia appulimus, ex quo 21. Iulii Anno 1586. ſolueramus.

Poſt aliquot annos idem hic THOMAS CANDISCH, *aliud iter mari ingreſſus eſt, ſed non abſoluit, propter aduerſam fortunam atq; valetudinem, cum qua in medio itinere conflictari incipiens, curſum vertere eſt coactus. Domum tamen repetere amplius non potuit, ſed in ipſo mari fuſis ad Chriſtum precibus, mortuus eſt.*

FINIS.

PRÆFATIO DOMINI GVALTHERI RALEGH, DE AVRIFERO REGNO GVIANÆ.

CVM variæ ſententiæ fuerint, & rumores diuerſi, de auro, quod ex GVIANA *allatum eſt, ſparſi, adeo vt ſenator etiam quidam Londinenſis, qui rei monetariæ præeſt, affirmare non dubitauerit, aurum hoc nullius eſſe precij, operæ precium me facturum putaui, ſi probationes & explorationes aliquot huius auri hic exponerem, vt & calumniatori huic os obturaretur, & aliis ſiniſtris opinionibus tempeſtiue occurreretur. Verum quidem eſt, mihi, cum in Inſula* TRINIDATIS *eſſemus, à quodam Indo ſignificatum eſſe, non procul à portu, in quo anchoram firmaueramus, mineralia quædam & lapides ſcintillantes reperiri, in quibus, vt ipſe quidem arbitrabatur, aurum abſconditum lateret, præſertim cum quidam ex Anglia & Gallia ibi magnum eorum numerum colligere, & nauibus ſecum auehere viſi eſſent, meque miſſis 40. viris, iuſſiſſe ſingulum ſingulos afferre lapides: ſed cum eos explorarem & probarem, deprehendi manifeſte, quod tantum* MARCASITA *eſſent, nihilominus tamen aliqui mihi fidem habere nolentes, acceptos aliquot lapides ſecum huc attulerunt, & poſt reditum noſtrum variis in locis probari & explorari, petierunt.*

In GVIANA *nullam ego* MARCASITAM *vidi. omnia enim ſaxa & lapides, tam in terra quam in aqua, pellucidi ſunt, & ſcintillantes. Ego autem expertus ſum, quod non ſint* MARCASITA, *verum mineralia aurum habentia, imo nihil ſunt aliud, quam* LA MADRE DEL ORO, *vt Hiſpani nominant, hoc eſt, mater auri, alij etiam auri ſpumam vocant. Horum auri mineralium, ſocii nauigationis meæ aliquam etiam ſecum in Angliam aduexerunt copiam, pulcherrima quæque precioſiſſima eſſe exiſtimantes, quod quidem alias vſitatum non eſt, ſed ego hic neminem prohibere volui, quin voluntati & cupiditati ſuæ morem gereret. Ego tamen probe ſciebam aurum ibi non niſi exiguis granulis reperiri, quæ ex lapidibus illis iam eſſent ſeparata, qualia ſubinde in fluuio* GVIANA *cernebantur, vel certe in forma minutorum ſilicum, quorum ego non exiguum numerum paſſim in montibus conſpexeram, ſed deficiebant nos, tempus, operæ, & inſtrumenta ad eam rem idonea, quo minus eiuſmodi ſilices colligeremus. Huiuſmodi ſilices multos etiam in littore & ripa fluminis vidi, ſed cum ſaxa, in quibus hærebant, eſſent admodum dura, vix vnum atque alterum noſtris effodere pugionibus poteramus. Hos quidam* VVESTVVOD *in platea lignorum habitans, primo explorauit, & deerant* 12000. *vel* 13000. *libræ* STERLINGS, *in* THONNA. *Alterius generis lapillos duo alij,* BVLMAR *&* DIMMOCK *explorarunt, & animaduerterunt deeſſe* 23000. *libras in* THONNA. *Cum autem (vt reliquas explorationes taceam) ſemper malum bono admixtum ſit, & fortaſſe, (vt quidem videtur) hic ſenator de optimo & præſtantiſſimo non acceperit, arripuit inde occaſionem, omne illud aurum extenuandi, & criminandi, vt ita nauigatio mea paſſim in ſuſpicionem & contemptum adduceretur.*

Fuerunt autem etiam qui dicerent, me, ſi quidem aurum in GVIANA *reperiſſem, illud maiori copia, proculdubio aduecturum fuiſſe: Qui quidem ſi vidiſſent, quam duris optimum quodque ſaxis obrutum eſſet, & quaſi ſepultum, quamque tempore, hominibus & inſtrumentis idoneis caruerimus, non aperuiſſent tam facile cogitationes cordis ſui. Neque tamen ego teneor ad rationem cuique reddendam, de eo quod ego mecum attulerim, ſed & hoc latere neminem debet, totis quatuor menſibus Iunio nimirum, Iulio, Auguſto & Septembri, flumina iſtius regionis nauigari non poſſe, propter maximam aquarum copiam, quæ tanta eſt, vt omnes arbores tranſcendat, vt ſi quis eo tempore ab aqua apprehendatur, nulla ratione mortis periculum euitare poſſit. Nos vero tantum aliquot ſcaphas nobiſcum habebamus, quas in Inſula* TRINIDATIS, *parari iuſſeram, ad cenſum atque tributum colligendum. Præterea totum etiam menſem à nauibus noſtris aberamus, quas nautis non admodum inſtructas reliqueramus, promittentes nos intra* 15. *dies ad ſummum ipſis rurſus affuturos.*

Alij reperti ſunt qui dicerent; aurum hoc ex BARBARIA *à nobis in* GVIANAM *tranſportatum eſſe; quæ quidem ſententia adeo eſt abſurda, vt refutatione vix indigeat. Quod enim meam perſonam attinet, non equidem delector tam longis & periculoſis nauigationibus me ipſum decipere. Quorſum enim attinet ſomno & cibis lautioribus abſtinere, ardorem ſolis maximum ſuſtinere, variis miſeriis morbis & periculis ſeſe exponere, labores, curas & moleſtias ingentes pati, & fructum inde nullum referre vel expectare alium, quam vt* MARCASITA *ad nos, & aurum ex* BARBARIA *in* GVIANAM *perferatur? Confido autem omnes honeſtos & cordatos facile vel me tacente intellecturos, parum laudis ex mendacio prouenire, & dolis neminem honeſtam apud alios famam, & admirationem ſibi comparare poſſe. Ego ſane non parum temporis perdidi in his itineribus, neque ſumptibus vllis peperci, ſaltem vt Maieſtati Regiæ gratificarer, & patriæ prodeſſem. Illud enim per omnem meam vitam operam dedi, vt bona conſilia, in actum producerentur, & inſolentes Hiſpanorum negotiationes aliquo modo impedirentur. Et poſſem quidem facile ex hoc regno Guianæ & prouinciis eo ſpectantibus, quas nuper inueni Reginam noſtram longe potentiſſimam ditiſſimamque facere, modo tempeſtiue & mature mihi de rebus neceſſariis proſpiceretur, antequam Hiſpani ſuo hoc Regnum ſeruitutis iugo ſubiiciant. Quin imo non fauore tantum Regiæ Maieſtatis, ſed & vita me ipſa indignum iudicabo, niſi reipſa probauero (modo Regia Maieſtas clementer annuat, ſuppetiasque mihi ferat) omnia quæ à me ſcripta ſunt, minora eſſe quam dignitas & loci præſtantia requirat. Iam lectorem ad ſequentem narrationem & commentationem vberiorem remitto.*

GVALTHERVS RALEGH.

VERISSIMA DESCRIPTIO AVRIFERI ET PRÆSTANTISSIMI REGNI GVIANÆ, QVOD HISCE TEMPORIBVS, À VETERIBVS REGNI PERV INCOLIS *habitatur, & à poſteris* GVAIANA-CAPA, *potentiſſimi quondam in* PERVVIA *Regis, poſſidetur, vnà cum deſcriptione ditiſſimarum Regionum & prouinciarum* EMERIA, AROMAIA, & AMAPAIA, *anno* 1595. *per nobiliſſimum & fortiſſimum Virum* GVALTHERVM RALEGH, *equitem Anglum inuentarum.*

Solutio ex Anglia. ANNO 1595. die Iouis 6. Februarii, ex Anglia ſoluimus, & ſequenti die ſolis ſeptentrionalis Hiſpaniæ montes aſpeximus, cùmq; ſecundo fere ſemper vento vteremur, breui tempore BARLINGES ſcopulis à tergo relictis, ad inſulas CANARIAS peruenimus, appellentes, 17. eiuſdem menſis die ad Inſulam FORTE VENTVRA, vbi duos vel tres dies quieuimus, inde ad littus maioris CANARIÆ, & conſequenter ad TENERIFFAM peruenimus, vbi nauem expectauimus, quam Iuuenem leænam appellabant, in qua Capitaneus AMYS PRESTORES, cum ſociis ſuis vehebatur, ſed cum nauis illa ſeptem vel octo diebus non adueniret, nec quicquam de ea perciperemus, ſoluimus inde & Inſulam TRINIDATIS petiimus, ego quidẽ ſolus cum naui mea, & parua nauicula ad Capitaneum CROSSEN pertinente, amiſeramus n. ex conſpectu noſtro in littore Hiſpanico, GALLIASSAM nauem, quæ nobiſcum ex PLEIMOVTH ſoluerat. Aduenimus autẽ ad Inſulam TRINIDATIS, die 22. Martii, & anchoram firmauimus ad cuſpidem ſiue verticem CVRIAPAN, quem Hiſpani PVNTE de GALLO nominant, & ad 8. fere gradus pertingit. Ibi 4. vel 5. dies commorati, nullum neque Hiſpanum neque Indum offendimus. In littore quidem cum à promontorio CARAO, verſus CVRIAPAN nauigaremus, ignem conſpeximus, ſed metu Hiſpanorum, nullus Indus nobiſcum loqui audebat, itaq; ego interdum ad littus egreſſus ſum, vt terram & regionem iſtam aliquo modo perluſtrarem. Poſt dies aliquot à ſeptentrione ad ortum paulo, à CVRIAPAN nos vertimus, vt iſtum aſſequeremur locum, quem Hiſpani PVNTO DE LOS ESPANNOLES, incolæ vero CONQVORABIA nominant. Sed interim tamen littus ego ſubinde legere non deſtiti, omnem occaſionem captans, cum Indis colloquendi, & fluminum, totiuſque iſtius regionis qualitatem aliquo modo pernoſcendi. Ex CVRIAPAN ad portum quendam venimus, quem Indi PARICO nominant, vbi flumen recentis & dulcis aquæ animaduertimus, homines autem nullos inuenimus.

Nauigatio in Inſulam Trinidatis

Curiapan vel Punte de Gallo.

Hinc progreſſi ſumus ad portum alium, quem Indi PICHE, Hiſpani vero TIERRA de BREA vocant. Inter hunc & portum præcedentem, multa ego flumina recentis & dulcis aquæ reperi; & inter ea, vnum aquæ ſalſæ, in cuius littore multa oſtrea in ramis arborum creſcebant, ſalſa & boni ſaporis. Et quidem oſtrea illa in arboribus & non in terra creſcunt, quod in India occidentali & aliis locis frequentiſſimum eſt. Hæc arbor ab ANDREA THEVETO in ſua GALLIA ANTARCTICA cap. 26. deſcribitur, addita figura vel imagine peregrini cuiuſdam fruticis. Deſcribitur etiam à Plinio in 13. libr. cap. 25. In GVIANA non paucæ etiam huiuſmodi arbores reperiuntur. *Deſcriptio arboris cuiuſdam.*

Circa hunc portum TIERRA de BREA ſiue PICHE tot reperiuntur Reſinacei lapides, vt omnes totius mundi naues iſtis linere poſſis, nos probauimus reſinam iſtam in noſtris nauibus, & inuenimus illam admodum bonam, non enim liqueſcit ardore ſolis, vt ſolet pix vel reſina illa, quæ ex Noruegia huc aduehitur, itaque nauibus admodum eſt conueniens. Hinc perue- *Lapides reſinacei.*

peruenimus ad ANNAM PERIMAM, & circa fluuium CARONEM, vbi ciuitas Hiſpanorum ſita eſt, nauigantesque tandem appulimus ad PVNTO DE LOS ESPANNOLES vel CONQVORABIAM.

Inſula TRINIDATIS formam pedi ſiue baculi paſtoralis refert; anguſta eſt, & verſus ſeptentrionem montoſa. Terra admodum bona eſt, quæ ſaccarum, gingiber, & aromata Indica alia proferre optimè poſſit; abundat feris ſylueſtribus, oloribus, piſcibus, & frugibus aliis, quin & MAYS & CASSAVEN habet, vnde panis conficitur, & radices alias omnes quæ in occidentali India reperiuntur. Hiſpani fatebantur ibi reperiri grana auri in fluuiis; ſed quia decreueramus, ad regnum GVIANÆ tanquam Gazophylacium & repertorium omnis theſauri nos conferre, parum ſolliciti eramus de auro diligentius ibi inueſtigando & quærendo. Hæc Inſula ab incolis CAIRI vocatur; habitatur autem variis populis. Qui enim in PARICO habitant, IAIO, qui in PVNTO CARAO, ARVVACAS vocantur, qui inter CAREOS & CARIADAN; SALVAIOR. inter CARAO & PVNTA GALLERA; NEPOIOS habitant; qui vero circa ciuitatem Hiſpanorum habitant, ſeipſos CARINEPAGOTOS nominant. De cæteris populis fluminibuſque nihil in præſentia dicam, mentionem eorum in loco commodiori facturus.

Nomina populorum in Trinidad.

Hiſpani in Punto de los Eſpannoles inducias expetunt.

Cum in PVNTO DE LOS ESPANNOLES ex naui egrederemur, inuenimus ibi multos Hiſpanos in excubiis conſtitutos, cumque ſignum pacis darent, miſi Capitaneum WHIDDON, qui cum eis loqueretur, virum honeſtum & ſingulari prudentia præditum; quem poſtea in Inſula illa ſepelire non ſine magno dolore coactus ſum, cum ex GVIANA reuerſus eſſem. Videbantur tum Hiſpani illi nobiſcum pacem facere velle, idque magis ex deſperatione ſuæ potentiæ, quam aliis honeſtis de cauſis. Circa veſperam iſtius diei effugerunt ab ipſis duo Indi, & in parua CANOA ad nos venerunt; quorum vnus erat CASSIQVVS ſiue Dominus terræ CANTIMAM, qui ſuperiori etiam anno cum Capitaneo VVHIDDON conuerſatus fuerat. Ex eo veram accipiebamus relationem de Hiſpanorum viribus, de ciuitate ipſorum, & de præfecto ciuitatis DON ANTONIO de BERREO, qui dicebatur in GVIANA occubuiſſe, ſed res aliter habebat.

Commercia Hiſpanorum cū Anglis.

Dum in PVNTO DE LOS ESPANNOLES commoraremur, accedebant quidam Hiſpanorum militum, lintea & pannos à noſtris empturi, & noſtras ſimul etiam naues inſpecturi, quos pro more noſtro liberaliter excepimus, vnde totam regni GVIANÆ conditionem & commoditatem, quæ ipſis quidem nota erat, ego cognoui. Vino enim exhilaratos hoſce milites, qui iam aliquot annis vinum non viderant, eo perduximus, vt Regnum hoc GVIANÆ laudare, & opes diuitiaſq; eius celebrare per incogitantiam inciperent, cumque ego ſimularem, me eam ſaltem ob cauſam eo veniſſe, vt Anglos, quos in VIRGINIA reliquiſſem, viſitarem, nullo negotio viam ad hoc Regnum ab illis expiſcatus ſum.

Cauſa moræ in hoc loco noſtræ duplex erat, vna quod cogitabam de BERREO me vlciſci; qui anno ſuperiori 8. viros, qui ſub Capitaneo VVHIDDON erant, prodiderat; dum ille profectus eſſet ad inueſtigandum E. BONAVENTVRE. Altera vt indies plura ex Hiſpanis cognoſcerem & inueſtigarem de regno GVIANÆ, fluminibus, itineribus, & aliis commoditatibus eius, itemque de irrito conatu dicti BERREI, in actum rurſus producendo.

Interea dum tempus ita falleremus, accidit vt cum alio quodam CASSIQVO in portu verſus ſeptentrionem habitante, amicitiam & familiaritatem contraherem; qui mihi referebat, dictum BERREVM, in MARGARITAM & CVMANAM miſiſſe, vt exercitum euocaret, quo nos ſub diſceſſum noſtrum inuaderet opprimeretque. In tota enim Inſula ſub capitis pœna cauerat, ne quis Indorū nobiſcum loqueretur aut quicquam contraheret; quin & duos, qui hoc mandatum tranſgreſſi erant, ſupplicio affecerat, vt poſtmodo mihi relatum eſt. Nihilominus tamen ſingulis noctibus quidam nos accedebant, qui de crudelitate & intolerabili eius tyrannide ſupra modum querebantur; quod nimirum terram iſtam pro libitu partiretur & militibus ſuis diſtribueret; veteribus CASSIQVIS & terræ Dominis in ſeruitutem redactis; quos etiam in vincula coniectos ardenti larido aſpergere, & variis modis torquere non vereretur. Et hoc quidem ita eſſe, ipſemet poſtmodum deprehendi, cum enim in ciuitatem eorum veniſſem, inueni 5. Regulos ſiue uces, quos in India occidentali CASSIQVOS vocant, in vincula coniectos, fame & cruciatibus variis fere conſumptos. Hi reguli ſua lingua vocantur ACARVVANA, ſed ab eo tempore, quo Angli Galli & Hiſpani ad hæc loca venerunt, nomen Gubernatorum vſurpant; cum audierint ſupremum nauis Rectorem, Capitaneum ſiue Gubernatorem vocari. Horum igitur 5. Gubernatorum, quos in vinculis inueni, nomina erant, VVANNAWANNARE, CARROAORI, MARQVARIMA, IARROOPANAMA, & ALTERIMA.

Conuerſationes Indorum & Anglorum ſub pœna capitis, prohibitæ.

Sæuitia & crudelitas Berrei.

Nomina 5. regulorū in vincula à Berreo coniectorū.

Cæterum cum omnem occaſionem obſeruaſſem, oppreſſi circa veſperam El Campo de Gvardia, & præmiſſo Capitaneo Calfield cum 60. armatis, ipſe cum 40. inſecutus ſum, ad ciuitatem iſtam nouam quam S. Ioseph vocabant expugnandum. Quam etiam nullo negotio expugnauimus, omnibus qui in ea erant libere dimiſſis, excepto Berreo & ſociis eius, quos captiuos mecum in nauem abduxi, ciuitate iſta S. Ioseph, videntibus omnibus Indis, iniecto igne funditus deleta.

Ciuitas S. Ioſeph expugnata & igne deleta.



Eodem die aduenit Capitaneus Georgivs Gifford cum naui Regiæ in Anglia Maieſtatis, nec non & Capitaneus Knymis, quos ego poſtea in littore Hiſpanico amiſi, vna cum Galliassa, & quibuſdam aliis nobilibus, qui claſſi noſtræ magno adiumento fuerant.

Quid conuocatis iſtius Inſulæ incolis propoſitũ & ſignificatum ſit.

Poſtea conuocatis omnibus iſtius Inſulæ Ducibus, qui Hiſpanorũ iurati hoſtes erant, inter quos Berrevs etiam quoſdam ex aliis regionibus adductos, in perniciem incolarum ibi conſtituerat, ſignificaui eis per interpretem, quem mecum ex Anglia adduxeram; Me eſſe miniſtrum cuiuſdam Reginæ, quæ adhuc virgo, & potentiſſima Casiqve in occidente eſſet, cui plures Casiqvi ſubiecti eſſent, quam arbores in tota iſta Inſula reperirentur. Præterea huic Reginæ inimicitias eſſe cum Castilianis, propter immanem ipſorum crudelitatem & ſæuitiam, & eam omnes circumiacentes populos à ſeruitute & tyrannide Hiſpanica ſolere liberare, quemadmodum etiam me nullam aliam ob cauſam in iſtam Inſulam iam miſiſſet, quam vt incolas à iugo Hiſpanorum liberarem, & Regnum Gvianæ, contra eorum impreſſionem defenderem tutumque redderem. Monſtrabam eis etiam effigiem Regiæ Maieſtatis, quam tanta cum admiratione venerationeque intuebantur, vt ad idololatriam adduci facile potuiſſent. Hæc eadem etiam in finitimis Regionibus, cum Regnum Gvianæ peterem, populo paſſim proponi curaui, vnde nomen Maieſtatis Regiæ apud exteras iſtas nationes adeo innotuit & celebre factum eſt, vt hodie Regina noſtra in remotiſſimis iſtis locis Ezrabetha Cassipvna Aqverewana vocetur, hoc eſt, Elizabetha, ſuprema princeps, & potentiſſima Domina.

Celebritas nominis Reginæ Anglicæ.

Poſtea relicto Pvnto de los Espannoles, reuerſi ſumus in Cvriapan, cumque Berrevs meus captiuus eſſet, inquirebam ex eo quantum poteram & ipſi notum

tum erat, de ſtatu & commoditatibus Regni GVIANÆ.

Berrei familia & origo.

Hic BERREVS, nobilis erat magnæ & illuſtris familiæ, qui Regi Hiſpaniarum NEAPOLI, Mediolani, & in Belgio fideliſſime, ſumma cum prudentia ſeruierat, & quidem bellicoſiſſimus erat, & animi minime abiecti. A me ſeruatus & habitus eſt ita, vt dignitas eius poſcere videbatur, & tempus iſtud permittebat.

Status & conditio Regni Guianæ.

Superiori anno emiſeram Capitaneum WHIDDON, vt omnem ſtatum & commoditatem huius regni GVIANÆ exploraret, ſtatueram enim iam tum, hanc Regionem patefacere, & imperio Reginæ noſtræ ſubiicere. Sed longe alienam à veritate acceperã relationem. Regio enim iſta vltra 600. miliaria Anglica à mari abeſt; quod ex BERREO perceptum, ego hoc populum meum ſummo ſtudio celaui, qui alias ad propoſitũ hoc meum perficiendum ægre conſenſiſſet. Ex his autem 600. miliaribus, iam ſuperata erant 400. Naues n. noſtras tot poſt nos miliaribus in mari reliqueramus, vt eo felicius & facilius propoſitum finem aſſequi poſſemus, itaq; 400. iſta miliaria, exiguis & viliſſimis confeceramus nauigiis. Nam ex carina veteris cuiuſdam Onerariæ, paraueram nouam triremem, & in quadam actuaria naui, duabus cymbis, & ſcapha alia, nauis illius, quam iuuenem leænulam vocant è noſtris 100. armati cum cibo & commeatu ad menſem vnum ſufficiente, iter illud ingreſſi ſumus, vbi quidem cogebamur ſub dio pernoctare, & omnibus cœli iniuriis ſubiecti atq; expoſiti eſſe, in duris aſſeribus ſomnum capientes. Et cibo (quod peſſimũ erat) veſcentes, qui æſtu ſolis ita infectus atque corruptus erat, vt odore tam graui & fœtido nares læderet, quo nullus carcer tota Anglia afficere captiuos poteſt.

Conatus noſter cur impeditus.

Si Capitaneus PRESTON aliquanto citius ad Inſulam TRINIDATIS veniſſet, (iam n. menſis ille elapſus erat quo nos ibi manſuros ipſi polliciti eramus, donec ex portu Hiſpanico veniret) ſi inquam ipſe diebus 10. adueniſſet, priuſquã aquæ creſcerent, proculdubio vſq; ad magnam ciuitatẽ MANOA delati fuiſſemus, vel ad alias ciuitates pagoſque, vt ita ditiori reditu noſtri in patria fuiſſent exhilarati, ſed voluntas Dei nõ erat hac quidem vice ſuam nobis gratiam largiri.

Diuitiæ regni Guianæ.

Si autem fortuna & vocatio mea me rurſum ad ea loca mittere vellet, libenter ego vitam meam huiuſmodi itineribus conſumerem. Quod ſi vero alius quiſpiã ad hanc rem eligetur, ego ipſi ſpondere & certiſſime polliceri poſſum, eum plus effecturum, quam vnquã in MEXICO à CORTESIO, vel in PERV à PIZARRO, effectum eſt, quorum ille quidem, CORTESIVS, principatum MOTEZVMÆ, hic vero, PIZARRVS, regnum GVASCAR & ATTABALIPÆ deuicit & ſuperauit. Et quicunque, hoc regnum acquiſiuerit, ille princeps & Dominus futurus eſt maioris auri, ciuitatem etiam & populorum plurium, quam vel Hiſpanorum Rex, vel Turcicus etiam Imperator.

Quia autem fortaſſe aliquis dubitare poſſit, & interrogare, quomodo factum, quod regnum hoc GVIANÆ, tot ciuitatibus, pagis, templis, atq; theſauris ornatum ſit, operæ precium me facturum putaui, ſi breuiter indicarem, quomodo modernus Imperator, ſuam à principib. in PERV originẽ traxerit, de cuius regionibus, ciuitatibus, variis conſuetudinibus, diuitiis, & victoriis à PETRO de CIEZA, FRANCISCO LOPEZ, & aliis ingentia volumina ſcripta ſunt. Nam cum FRANCISCVS PIZARRVS, DIDACVS ALMACRVS & alii, qui Regnum PERV deuicerunt, ATTABALIPAM, qui filius fuit GVASCARIS interfecerant, qui quidẽ ATTABALIPA fratrem ſuum natu maiorem GVASCAR antea etiam trucidarat, fuga ſibi conſulens iunior GVAINACAPA filius, multa millia militũ ſecũ ex Regno OREIONES abduxit, & in iſtam Americæ partem ſe contulit, quæ inter fluuium iſtum magnum AMAZONES, & BARAQVAN, ſita eſt, quæ etiam ORENOQVE vocatur.

Situs, ſtatura, religio, & opes regni Guianæ.

Regnum GVIANÆ ſitum eſt verſus mare à PERV ad ortum, ſub linea Æquinoctiali, & plus auri habet, quam vlla alia regio in PERV plures etiam ciuitates, quam PERV, vnquam habuit, cum adhuc in flore eſſet, vtitur etiã iuribus & ſtatutis, quin & religione regni PERVANI. Relatum etiam mihi à quibuſdam Hiſpanis eſt, qui ciuitatẽ regiam MANOA, quam Hiſpani EL DORADO nominant, viderunt, ciuitatem iſtam magnitudine & diuitiis, omnes ciuitates totius mundi, quæ quidem Hiſpanis hactenus viſæ ſunt, longe ſuperare. Adiacet ciuitas iſta mari aquæ ſalſæ, longo 200. LEGVAS, inſtar maris Caſpii vel Hyrcani, de cuius magnitudine, præſtantia & imperio, quemadmodum etiam de GVIANACAPA, qui auus fuit moderni Imperatoris in GVIANA, ita ſcribit FRANCISCVS LOPEZ, in vniuerſali ſua hiſtoria: *Todo el ſeruicio de ſu caſa, meſa, y cozina era de oro, y de plata, y quando menos, de plata y cobre, por mas vezio. Tenia en ſu recamera eſtatuas buccas de oro, que pareccan gigantes, y las figuras al proprio, y tamaño de quantos animales, aues, arboles, y yeruas produze la tierra, y de quantos peſces cria la mar y aguas de ſus reynos. Tenia aſsi ſogas, coſtales, ceſtas, y troxes de oro y plata, vimeros de palos de oro que pare-*

parecieſſen lenna vaiada para que mar. En fin, no auia coſa en ſu tierra, que no la truuieſſe de oro contra hecha. y aun dizen que tenian los Ingas vn venges en vna Isla cerca la Puna, donde ſe yuan à holgar en la mar, que tenia la Ortaliza, las flores, y arboles, de oro y plata, inuencion y grandeza haſta entonces nunca viſta. Allendo de todo, eſto, tenia infinitiſſima quantidad de plata y oro para labrar en el Cuzeo, que ſe perdio deſpues la muerto de Guaſcar, y los Indios lo eſcondieron, viendo que los Eſpannoles lo tomauan y Embiauan en Eſpagna, hoc eſt, Omnia vaſa domus, menſæ & culinæ ſuæ, erant ex auro & argento, & viliſſima quæque erant ex argento & ære maioris firmitatis gratia. In aula ſua conſtitutæ erant imagines inſtar gigantum, quæ fuſæ & excauatæ intrinſecus erant, varia etiam animalia, aues, arbores & frutices, naturali ſua magnitudine qua in terra conſpiciuntur, piſces item omnis generis, quales aquæ in ſuo regno producunt. Omnes ciſtæ eius auro & argento repletæ erant, & ſegmenta auri inſtar ligni fiſſi quod igni imponitur, plurima habebat. Denique nihil erat in toto ſuo regno, cuius formam & imaginem ipſe non ex auro factam in ædibus ſuis haberet. Dicitur autem vulgo quod INGARVM hortos imaginarios in Inſula PVNA habuerit, ad quos aerem mutandi gratia, mari ire ſolitus ſit, omnis generis floribus, & fruticibus, arboribus ex argento & auro factis exornatos, tanta arte, vt nihil tam precioſum pulchrumque antea ſit inuentum, viſumve. Maximam præterea vim auri & argenti rudis habebat, quod à GVASCARE poſt mortem ſuam relictum, Indi occultarant, cum viderent Hiſpanos omnia rapere & ex regno ſuo in Hiſpaniam mittere. Sequitur in cap. 17. FRANCISCVS PIZARRVS omne aurum & argentum ATTABALIPÆ ponderauit, poſtquam in manus ſuas illud veniſſet, pondus vero auri talibus verbis ibi exprimitur: *Hallaron cinquenta y dos mil marcas de buena plata y vn millon, y trecientos y veinte y ſeys mil, y quinientos peſos de oro*, hoc eſt, Inuenerunt 52000. marcas argenti puri, & 1326500. PESOS auri, qui ſunt Caſtilianici coronati.

Opes Regis Guianacapa.

Horti imaginarii ex auro & argento extructi.

Quamuis autem hæc fidem fere omnem ſuperare videantur, facile tamen apparebit, nihil hic fictum vel excogitatum eſſe, ſi velimus tot millia conſiderare, quæ quotidie ex PERV in HISPANIAM mittuntur, ipſo enim facto deprehendimus, Regem Hiſpanum, propter diuitias & opes regni PERV omnibus totius Europæ Monarchis principibusque longe ſuperiorem eſſe.

Potentia Regis Hiſpanici vnde.

In portu ORENOQVE commorati ſumus 20. diebus, & poſtea naues noſtras reliquimus in CVRIAPAN. IOHANNES MARTINES ſcriniorum in ORDACO magiſter, aperuerat primo ciuitatem MANOA, iter & nauigatio eius conſignata erat in Grammatophylacio IVAN de PVERTO RISO, cuius copiam habebat BERREVS, ſperans ſe ſuum quoque propoſitum ad felicem finem, iuxta hanc deſcriptionem perducturum. Nam & AVRELIANO amne ad aperiendam regionem GVIANÆ inſtructus, cum veniret per fluuium AMAZONES, decreuerat ciuitatem MANOAM expugnare, ſed ipſo in mari ſubmerſo, & claſſe tempeſtatibus euerſa, nihil ea vice tentatum fuit. Poſt hunc alius quidam DIEGO HORTADO hoc fine ex Hiſpania, cum 600. militibus & 30. equis ſoluit, ſed & hic cum ad littus GVIANÆ appuliſſet, cum omnibus ſuis interfectus eſt, omnibus fere ipſius nauibus ſubmerſis atq; euerſis. Quin imo longo tempore ignoratum fuit, quo ipſe deueniſſet, donec BERREVS anchoram nauis eius in flumine ORENOQVE reperit, vnde multi cogitarunt, eum in mari ſubmerſum & extinctũ fuiſſe. Quod autem dictus MARTINES eo vſque progreſſus eſt, vt in ciuitatem Regis INGÆ venerit, hac ratione factum eſt. Cum HORTADVS in portu MOREQVITO moraretur, & per incuriam caſtra ipſorum igne accenderentur, dictus iſte MARTINES, qui ſupremus eorum gubernator erat, ad mortem condemnatus eſt, ſed milites, qui ipſi admodum fauebant, ſua interceſſione effecerunt, vt in CANOAM nauiculam aliquam ſolus cum armis ſuis, ſine omni cibo, poneretur, & ita in flumine iſto dimitteretur. Quo facto accidit, vt CANOA vel nauicula iſta recto curſu ad quoſdam GVAIANOS occaſum verſus habitantes, laberetur. Qui cum nullum vnquam Chriſtianum ſiue hominem albi coloris vidiſſent, videntes eum admodum mirati ſunt, & aſſumptum hunc MARTINES pro miraculo in regione ſua hinc inde duxerunt, donec tandem etiam in ciuitatem Manoa veniret, vbi Rex INGA ſedem ſuam habebat. Rex autem cum hominem vidiſſet, ſtatim animaduertit, eum Chriſtianum eſſe, (non multum enim temporis adhuc præterierat, quo fratres ſui GVASCAR & ATTABALIPA interfecti erant) itaque aſſumptum eum in Regiam ſuam ſatis honorifice & liberaliter tractauit. Ita vixit hic MARTINES in ciuitate MANOA, 7. menſibus, vt portam non egrederetur, quin etiam ſi quando eum ſecum iſti Indi ducerent, oculos ei obligabant, vt videre nihil poſſet. Poſt ſeptem menſes, cum linguam iſtam iam mediocriter intelligere cœpiſſet, interrogauit eum

Diego Hortado ciuitatem Manoam expugnaturus.

Quomodo Martines in Manoa peruenerit

Martines in regione Guiana hinc inde deducitur.

Martines obligatis oculis per Guianam ducitur.

Martines dimittitur. eum Rex, vtrum domum redire, vel in ſuo regno ſecum manere mallet, & cum MARTINES maiori ſuorum deſiderio teneretur; veniam ipſi dedit, domum rurſus abeundi, adiunctiſque ei aliquot GVIANIS, qui eum ad fluuium ORENOQVE comitarentur; dimiſit eum bona cum gratia, tanta inſuper auri copia donatum, quanta à comitibus ferri potuit.

Cum autem ad fluuium veniſſet, ſpoliarunt eũ GVIANI & ORENOQVEPONI; qui in vicinia habitabant, omni ſuo theſauro; exceptis duabus lagunculis, quas auro puro impletas, ipſi potu repletas eſſe autumabant. Poſtea nauicula CANOA, ad Inſulam TRINIDATIS in flumine ORENOQVE, nauigauit; & inde, ad S. IVAN de PVERTO RICCO, vbi poſtquã longo tempore vixiſſet, *Martines moritur.* conſtituit tandem in Hiſpaniam redire, ſed morbo correptus periit, cumque in agone eſſet, & de vita deſperaret, vocato ad ſe ſacerdote, qui ipſi S. Synaxin communicaret; poſt commemorationem totius hiſtoriæ & curriculi ſui, produxit aurum ſuum, illudque Eccleſiæ eius loci teſtamento legauit, vt pro ſalute ſua vota faceret & ſupplicaret.

Hic MARTINES primus fuit, qui ciuitatem MANOAM, EL DORADO vocauit, vt à BERREO mihi ſignificatum. *Manoa ciuitas cur El Dorado vocata & à quo.* Incolæ huius regionis GVIANÆ omnes ſunt ſtrenui potatores, & potando omnes nationes populoſque longe ſuperant. Quando autem Rex vel Imperator conuiuium facit, Duces & Gubernatores qui ad conuiuium inuitati cum Rege bibere debent, primo omnes nudato corpore illinuntur balſamo albo, CVRCA ab ipſis vocato, poſtea à quibuſdam Regiis miniſtris ad hoc officium deputatis, tenuiſſimus ex auro puluis exilibus calamis aſpiratur vniuerſo eorum corpori, vt inaurati per totum corpus appareant.



Cum ita ſunt præparati; accumbunt; & continuis 6. vel 7. diebus ſtrenue potant. Hanc ob cauſam, quemadmodum etiam propter incredibilem auri copiam, quam ibi vidit, ciuitatem iſtam EL DORADO vocauit; cum & omnes in templis ſtatuæ, & vniuerſa, quibus in bellis vtuntur, arma ex puro auro facta ſint.

Poſt hæc omnia cooatus eſt quidã PEDRO de OSVA eques Nauarræus, Regionẽ hanc GVIANA rurſus inquirere, qui ex regno PERV egreſſus, nauem ſuam in fluuio OIA fabricauit. *Pedro de Oſua conatur regionem Guiana inquirere.* Fluuius hic verſus Auſtrum labitur in QVIETO, vbi multa aqua in fluuium

AMAZONES deſcendit circa locum iſtum, quo OSVA cum vniuerſo ſuo populo ex terra MVTILONES eſt egreſſus. Ego ſane mihi omnino perſuaſi, hoc imperium ſiue regnũ, Reginæ Angliæ reſeruari, ſiquidem nemini, quotquot ſuas vires in eo experiri hactenus voluerunt, res feliciter & ex animi ſententia ceſſit. Quod quidem hic aliquanto prolixius perſequi & demonſtrare libet.

Hic PEDRO de OSVA, habebat in populo ſuo quendam Boſcum ſiue Cantabrum, humili natum familia, qui vocabatur LOPES AGVIERRETZ, eratque ALFEREZ ſiue ſignifer. Hic poſt aliquot ſeptimanas, cũ milites multo itinere & cõmeatus defectu fere defeciſſent, nec propter fluuium AMAZONES quicquam in itinere conſequi poſſent, excitato in populo tumultu, ſeipſum Ducem fecit, cumque interfecto OSVA & omnibus qui à partib. eius fuerant, palmam obtinuiſſet, omne ſibi in populum imperiũ ſumpſit, volens non tantum regnum GVIANÆ, ſed & vniuerſam PERVVIÆ regionẽ, & totam occidentalem Indiam in ſuam poteſtatem redigere. Habebat à partibus ſuis 700. milites, qui plures ad ſeſe allicere, numerumque ſuum quotidie augere & operam dare ſe velle promiſerant, vt omnes ciuitates in PERV poteſtati ſuæ ſubiicerentur. Sed viam in flumine inuenire non potuit, qua in GVIANAM perduceretur, neq; etiam ſuum curſum ad Regionem PERV vertere, propter rapidiſſimum fluminis AMAZONIS defluxum, & cogebatur circa oſtium aliquod fluminis, aquam iſtam traiicere, quod oſtium ad minimum 1000. leguas ab eo loco abeſt, vbi nauem primo conſcenderant, quod iter in littore confecerat, donec veniſſet in MARGVERITAM, ſeptentrionem verſus à MONPATER ſitã, qui locus hodie PVERTO DEL TYRANNO vocatur, propterea, quod DON IVAN DE VILLA ANDREDA ibi interfectus eſt, qui erat Gubernator in MARGVERITA, & pater illius DON IVAN SARMIENTO, qui & ipſe ibi Gubernator fuerat. Hic cum ipſe & IOHANNES BVRG veniſſent, expugnata & ſuperata Inſula, omnes gladio interfecit, qui ſibi reſiſtebant. Inde in CVMANAM progreſſus, eadem in incolas crudelitate ſæuiit, qua vſus erat in MARGVERITA, & breuiter dicendo, vaſtauit ipſe vniuerſum littus in CARCAS, vna cum prouinciis & Regionibus ad fluuium VENSVALLO & RIO de BACCHE ſitis. Hæc ſi recte memini facta ſunt eo anno, quo Dominus IOHANNES HAVKIVS cum alio, qui dicebatur IESVS LVBECENSIS, ad S. IVAN de LEVA, nauigauit. Retulit enim ipſe mihi ſe aliquem in littore iſto animaduertiſſe, qui magnas turbas in flumine AMAZONVM dediſſet.

Oſua à ſeditioſo ſignifero interfectus.

Dictus AGVIERRETZ pergens in ſuo propoſito, venit ad S. MARTHAM, quo pago ſuperato omnes ſibi reſiſtentes trucidauit, conſtituitque poſtea NVEVO REYNO de GRANADA aggredi. Itemque PAMPELONE, MERIDA, LAGERITA, IVNIA, & omnes alias ciuitates NVEVO REYNO expugnatis ita in Regionem PERV perrumpere, ſed in pugna quadam in NVEVO REYNO ſuperatus & victus eſt, cumque rationem nullam elabendi videret, gladio propriam ſuam filiam interfecit, dixitque ſe, quandoquidem eam ad principatum euehere non poſſet, nolle etiam committere, vt mancipium Hiſpanorum facta, Tyranni & proditoris filiam ſe eſſe ſubinde audire cogeretur. Atque hi exitus contigerunt illis, de quibus hactenus dictum, AVRELIANO, nimirum, HORTADO, MARTINES, OSVA, & AGVIERRETZ.

Aguierretz captus.

Aguierretz filiã ſuam enecat.

NOTA. *Nobiliſſimus & clariſſimus Dn.* CAROLVS CLVSIVS, *ſuis literis nuper ad duos fratres de Bry, Lugduno exaratis, commemorat ſe anno* 1565. SIVILLÆ, *in Hiſpania, integrum tractatum duos digitos craſſum, lingua Hiſpanica de crudelitate & Tyrannide huius* AGVIERRETZ *vidiſſe, conceſſum ſibi ab amico quodam ſuo* SENNOR PEDRO, *qui ſuper argentum, quod ex* PERV *prouenit, inſpector conſtitutus erat, vt illud exploraret & monetariis poſtmodum diſtribueret. Hunc tractatum ſcribit dictus Dn.* CLVSIVS *ſe libenter deſcribere voluiſſe, & poſtmodum cum aliis communicare, tanquam lectione digniſſimum, propter varias huius* AGVIERRETZ *machinationes, ſed vix potuiſſe ſe eum legendo percurrere, ſiquidem non diutius quam vnam noctem eum retinere potuerit. Commemorat autem ſe inter alia hæc quoque legiſſe, quæ ad confirmationem huius hiſtoriæ facere poſſunt, nempe: Quod dictus* LOPES AGVIERRETZ, *cum ſe vndique cinctum videret, & nullam elabendi viam rationemque excogitare poſſet, ad vnigenitam ſuam filiam, quam ex* DON N. *de* MENDOZA *vxore ſuſceperat, conuerſus, dixerit: Et tu quidem filia, mea iam manu trucidabere, ne quam ego filiam poſt mortem meam relinquam, quæ proditoris & Tyranni filia audiat. Filia perterrefacta crudeli hac voce & ſententia, petiit à patre, vt ſibi parceret, donec fuſis ad Deum precibus, animam ſuam in manus Domini commendaret, quod quidem ea conditione ab eo impetrauit, vt preces non protraheret, ſed quam citiſſime abſolueret. Cum vero in genua prolapſa, orare ad Deum cœpiſſet, pater moræ impatiens, ſclopeto corpus eius traiecit, cumque videret, eam adhuc viuere, nec proſtratam eſſe iſto ictu, arrepto pugione cor ipſius & pectus transfixit. Quo facto*

filia,

filia, BASTA PADRE, *hoc eſt, ſufficit mi pater, dixit, & extincta eſt, poſt cuius mortem, ipſe quoque ſtatim captus & miſere trucidatus eſt, qui finis fuit & exitus huius Tragœdiæ.*

Ieronymo Ortal.

Poſt hos ſecutus eſt IERONYMVS ORTALLVS de SARRAGOSSA. Hic venit cum 130. armatis & circa mare impreſſionem fecit, ſed fluctibus maris ad littus in PARIA propulſus eſt, prope S. MIGVEL de NIVIRI. Eodem tempore ſuam quoque fortunam expertus eſt, DON PEDRO de SYLVA Luſitanus, ex familia RVIGOMES de SYLVA, qui propter fauorem & gratiam in qua RVIGOMES apud Regem erat, ablegatus eſt, ſed & ipſe ad ſcopum collimare non potuit, poſtquam enim ex Hiſpania ſoluiſſet, & veniſſet in fluuium MARAGNON ſiue AMAZONES, ita ab incolis iſtius loci exceptus eſt, vt tantum ſeptem viui remanerent, ex quibus vero duo tantum domum reuerſi ſunt.

Don Pedro de Sylua.

Pedro Hernandetz de Serpa.

Poſt hunc venit PEDRVS HERNANDEZ de SERPA, qui cum in CVMANA Occidentalis Indiæ appuliſſet, perrexit ad ORENOQVEN terra, 120. LEGVAS à CVMANA diſtantem, ſed in itinere ab Indianis, qui vocantur VIKIRI, oppreſſus eſt, ita quidem vt de 300. militibus ne 18. quidem euaſerint. Cum Dux PRESTON, S. IAGO de LEON, ciuitatem magnam, & procul in terra iſta ſitam, cepiſſet, habebat in naui ſua nobilem quendam captiuum, qui vnus ex illis 18. fuit, qui de militibus PETRI HERNANDEZ de SERPA, remanſerant. Hic exponebat nobis, qualem opinionẽ & ſententiam Hiſpani de hoc Regno GVIANÆ & EL DORADO, metropoli Regis Inga, concepiſſent. Et alius quidam Hiſpanus, qui captiuus ad nauem noſtram delatus erat, commemorabat, quod apud BERREVM, cum ex finibus regni GVIANÆ diſcederet, vidiſſet circiter 40. patinas ex puro auro, & gladios ex GVIANA auro diſtinctos, criſtas etiam & calamos ex auro quam artificioſiſſime extructos, quæ omnia ipſe ad Regem Hiſpanum miſiſſet.

Don Gonzalo Cemenes, de Caſada.

Poſtea ad hoc negotium electus eſt à Vicerege ADELANTADO, DON GONZALVS CEMENES de CASADA, qui ex præcipuis vnus fuit, qui terram EL NVEVO REYNO de GRANADA, expugnarant, cuius vnica filia DON ANTONIO de BERREO, matrimonio iuncta erat. Hic GONZALVS tranſitum quærebat in fluuio PAMPAMENE, qui ex QVITO in PERV ad 200. LEGVAS prolabitur, in fluuium AMAZONVM ſeſe exonerans. Sed cum nullum ingreſſum reperire poſſet, coactus eſt non ſine maxima iactura ſuorum militum reuerti. Dictus GONZALES filiam ſuam BERREO in matrimonium dederat, accepto ab eo iuramento, quod negotium hoc continuare & ad finem perducere, omni etiam vitæ ſuæ diſcrimine atq; periculo poſthabito, vellet. Nam & iuramento mihi poſtea à BERREO confirmatum eſt, dictum GONZALES vltra 300000. coronatos in hoc itinere inſumpſiſſe, & tamen eo vſq; peruenire nunquã potuiſſe, quo ego cum exiguis meis copiis, quæ vix 100. virorũ erant, iam perueneram. Nec vero quiſquam ante hæc tempora BERREO hanc regionem monſtrare & aperire potuit, niſi quod ante paucos annos ex relatione Regis CARAPANA, aliquid perceperat. Et BERREVS quidẽ 1500. Anglica miliaria confecerat, antequã vllum acceſſum ad regnum iſtud ſciret, nec potuit etiam ad illud pertingere. Secutus eſt n. fluuiũ CASSANAR, qui ſeſe exonerat in fluuium maiorem PATO dictum, PATO autem, labitur in META, META in BARAQVAN, quem & ORENOQVE vocant.

Deſcriptio itineris & nauigationis Berreo.

BERREVS iter ingreſſus eſt, ex NVEVO REYNO de GRANADA, vbi habitauerat, & hæreditatem ab GONZALO, ſocero ſuo acceperat. Habebat ſecum 700. equos, & magnam copiam Indicarum mulierum atque mancipiorum. Cæterum quis ſit fluuiorum omnium ductus, quis ſitus huius regionis reſpectu finitimarum, quem introitũ CEMENES quæſierit, & quem ego cum BERREO accceſſum inuenerim, Regiæ Maieſtati, ex tabula quadam, quam quidem nondum ad finem perduxi, clariſſime patebit. Quam quidem tabulam, in gratiam Regiæ Maieſtatis confectam, ego vnice & ſubmiſſe peto cũ aliis non communicari, ſed probe aſſeruari, ne mihi conſilia aliarum quoque nationum noceant. Exploratum enim habeo, Gallos hoc anno aliquid molituros, ſed ipſi eiuſmodi curſum habent, vt mihi parum ab eis ſit metuendum. Significatum mihi quidem eſt à viris fide dignis, antequam ex Anglia ſoluerem, quod Gallorum ADMIRALIVS VILLIERS, aliquot naues ad fluuium AMAZONVM adornaret, ad quem fluuium Galli ſæpiſſime excurrunt, & multo auro onuſti reuertuntur, quod ipſum quidem confirmabat Dux quidam ſiue Gubernator nauis alicuius Gallicanæ, quæ ab iſto flumine AMAZONES reuertebatur, cum ex VIRGINIA ego domum redirem. Quin & hoc ipſo anno quidam in HELFORD fuit, qui inde venerat, & 14. menſibus in flumine AMAZONES hæſerat.

Quomodo aurum ex Guiana ad fluuiũ Amazones perducatur.

Quanquam autẽ GVIANA hoc itinere & ductu non poſſit aperiri, tamen aurum ex GVIANA in minoribus fluuiis qui ex GVIANA in fluuium AMAZONES labuntur, eo defertur.

deſertur. Nam & Indiani in TRINIDATIS Inſula aureas accipiunt patinas ex GVIANA, & CANIBALES ex DOMINICA, qui in Inſulis illis habitant, quas quotannis noſtræ naues Indiam occidentalem petentes prætereuehuntur. Quemadmodum etiam Indi ex PARIA, TVRCARIS, CHOCHI, APOTHOMIOS, CVMANAGOTOS. Et omnes incolæ montium PARIÆ, in regionibus VENESVELA, MARICAPANA, præterea etiam CANIBALES vel Anthopophagi ex GVANIPA, ASSAWAI, COACA, AIA, vna cum omnibus finitimis nationibus, quas in ſupra dicta tabula deſignaui: Omnes inquã hæ nationes, aurum ſuum ex GVIANA accipiunt. Gallicus quidam ſcriptor THEVETVS ſcribit, incolas regionis, circa fluuium AMAZONES, aureas geſtare planulas, & à DOMINICA vſque ad populum AMAZONES, quæ loca diſtant inuicem vltra 250. LEGVAS, potentiſſimos quoſque aureas patinas geſtare, quas ex GVIANA habeant. Qui in fluuio AMAZONES mercaturam exercent, ſemper nauibus auro onuſtis domũ reuertuntur, quod aurum per flumina alia ex GVIANA in fluuium AMAZONES labentia, eo transfertur, ex quibus fluminibus vnum circa regionem TISNADOS vel CAREPVNA fluit.

De bellicoſis mulieribus Amazones.

Ego ſane diligentiſſime ex ſenibus & illis qui multum experti erant, quæſiui de omnibus aquis fluminibuſque, quæ circa ORENOQVE & AMAZONES reperiuntur, & admodum cupidus eram veritatem de hiſce bellicoſis mulieribus AMAZONES cognoſcendi, cum quæ de illis dicuntur, à quibuſdam credantur, ab aliis vero pro figmentis habeantur. Et obiter quidem hic, licet à propoſito paulatim diſcedam, commemorare volui, quid mihi pro certo & vero de hiſce mulieribus narratum ſit, à CASSIQVO ſiue Duce aliquo iſtiús regionis. Mulieres hæ in auſtrali plaga prouinciæ ſiue regionis TOPAGO habitant, & dominium ſuum habent in Inſulis auſtralibus, 60. miliaribus ab oſtio fluminis diſtantibus. In anno ſemel tantum viros ſuos admittunt, & per vnum ſaltem menſem cum illis viuunt, idque vt ex narratione eius colligere potui, Aprilem.

Continuatio itineris Berrei.

Vt autem ad BERREI propoſitum reuertamur: Ipſe iter ſuum ingreſſus in NVEVO REYNO cum 700. equis, & commeatu neceſſario, in latere fluuii CASSANAR vectus eſt, qui in NVEVO REYNO ex montibus apud ciuitatem TENVIA oritur. Ex hiſce montibus oritur etiam fluuius PATA, qui ambo, in fluuium META ſeſe exonerant, qui prouenit ex illis montibus, qui circa ciuitatem PAMPELONAM in NVEVO REYNO de GRANADA cõſpiciuntur. Hi omnes quemadmodum etiam fluuius GVIARE, qui ex montibus TIMAVA deſcendit, cõgrediuntur atque miſcentur in fluuio BARAQVAN, vbi etiam nomina ſua amittunt. Fluuius BARAQVAN, vbi paulatim deſcendit, vocatur ORENOQVE. Ex altero latere montis TIMAVA proſilit fluuius RIOGRANDE, qui ſeſe ad S. MARTHAM in mare exonerat. BERREVS itaque ſuperato flumine CASSANAR, venit in fluuium METAM, equis tamen in littore ſemper ſequetibus, niſi quando eos transuehere neceſſe erat; ad quem vſum ipſe peculiares naues parauerat. Itaque & METAM fluuium cum ſuperaſſent, conſequenter in BARAQVAN fluuium venerunt. Sed cum in hunc fluuium rapidiſſimum eſſent ingreſſi, incepit numerus tam populi quam equorum indies decreſcere, velociſſimus enim iſte fluuius eſt, & multis tumulis arenariis, ſaxis item & ſcopulis admodum infeſtus. In hoc fluuio ſuperando totum iam annum confecerat, & tamen de nullo adhuc ingreſſu in GVIANAM audierat, donec ad vltimos terminos regionis AMAPAIÆ veniret, quam regionem cum milite ſuo peragrauerat. Inde ad fluuium CAROLI ſupererat adhuc iter octo dierum, ſed vlterius quidem ipſe non eſt progreſſus.

Regio Amapaia.

Apud incolas regionis AMAPAIÆ admodum celebris eſt GVIANA regio, ſed incolæ iſti totis tribus menſibus (ex illis ſex menſibus, quibus BERREVS apud eos commoratus eſt,) cum eo cõmercia nulla exercebant. Hæc regio AMAPAIA etiam aurifera eſt, vt ex PERREI, & aliorum ex GVIANA, cum quibus mihi commercia erant, relatione percepi, & adiacet fluuio ORENOQVE. In hac regione amiſit BERREO, 60. præſtantiſſimos milites, & maximam partem ſuorum equorum, qui ipſi adhuc ſuperfuerant. Tandem autem mutuis congreſſibus populorũ, pax inter eos firmata eſt; in cuius confirmationem ipſi BERREO, 5. imagines ex auro puro factas, & clinodia alia afferebant, quæ, vt ipſe iuramento mihi confirmauit, tam artificioſe & eleganter facta fuerunt, vt ſimile quid in Gallia, Hiſpania & Belgio non viderit, imo vt Rex Hiſpaniæ eas videns non poſſet non mirari, ab iſtiuſmodi barbaris hominibus, qui omnibus idoneis inſtrumentis, qualibus quidem noſtri aurifabri vti ſolent, carent, tam pulchrum quid & artificioſum potuiſſe produci. Populi in AMAPAIA, qui ipſum hiſce muneribus donarant, vocantur ANABES; & fluuius quidem ORENOQVE ab illis abeſt 12. miliarib. Anglicis, ſed ad iſtũ locum vbi ſeſe fluuius iſte in mare exonerat, 800. miliaria Anglica adhuc numerabantur.

Amapaiani Berreo munera largiũtur.

Riuuli venenati in Amapaia. Regio AMAPAIA admodum eſt humilis & depreſſa,& propter aquarum copiam valde paluſtris,& propterea multi ibi paſſim riuuli conſpiciuntur rubei coloris, qui venenatis vermibus ſerpentibusque admodum ſcatent,vnde Hiſpani,qui hac de re nō erant admoniti, variis morbis correpti ſunt; & equi plurimi extincti, ita vt poſt ſpacium 6. menſium, quos ibi BERREVS commoratus eſt ex Hiſpanis tantum 120. milites ſuperſtites remanſerint,pecoribus iumentisq; quæ habuerant,omnibus extinctis.

Nam BERREVS conſtituerat longe minori via in GVIANAM peruenire; & ad minimum 1000. Anglicorum miliarium itinere ſuperſedere,ſed incidebat cum ſuis in hoc itinere, in pericula non minima, ita vt inopia, fame, morbis & aliis moleſtiis quamplurimis affligerentur. Ego ex omnibus, qui per AMAPAIAM, in GVIANAM proficiſcebantur, quærebam, quomodo iſta aqua rubicunda vterentur, qui reſpondebant, ſe circa meridiem lagenas & vaſa ſua, iſta aqua replere cum Sol in medio cœlo eſſet, reliquo vero, ante vel poſt meridiem tempore aquas iſtas peſtiferas admodum & noxias eſſe, circa medium autem noctis, in merum venenum mutari, intelligebam etiam ex ipſorum relatione, multas ibi aquas natura ſua venenatas & noxias eſſe.

Ex hac regione dictus BERREVS primo vere ingruente diſceſſit, & conatus eſt ab auſtrali fluminis ORENOQVE latere ingreſſum patefacere;ſed nulla id ratione perficere potuit. Nam in iſto latere ſummæ altitudinis montes,ab ortu fluminis ORENOQVE ad QVITO vſque in PERV continua ſerie pertingebant,vt nec commeatum nec arma ſecum per mōtes iſtos portare poſſent, quin & ſyluis denſiſſimis montes iſti adeo obſcurati erant atq; circumdati,vt eos perreptare ſuperare & tranſcendere impoſſibile prorſus eſſet. Præterea nullam amicitiam contraxerat cum incolis regionis AMAPAIA, nec vllum interpretem ſecum habebat, qui cum illis loqui poſſet, quin & CASSIQVI ſiue Duces regionis AMAPAIÆ, GVIANIS propoſitum & mentem BERREI iam expoſuerant, quod nimirum regnum GVIANA inſidiaretur,& illud in ſuam poteſtatem redigere,propter maximam vim auri conaretur,vnde ipſi non exigua obiiciebantur pericula & damna,ita vt cogeretur per exundationes multorum fluminum, iter rurſus ad ORENOQVEN fluuium recipere; quæ quidem flumina omnia hic perſequi & deſcribere,nimis longum foret. Dicebat enim mihi BERREVS vel 100. flumina in ORENOQVEN fluuium tam ex auſtrali quam ſeptentrionali parte influere,quorum quæ minima eſſent,RIOGRANDE fluuium ſua magnitudine & velocitate æquare, qui RIOGRANDE,inter POPAYAN & NVEVO REYNO de GRANADA labitur; & vnus ex maximis mundi fluuiis habetur. Sed BERREVS horum fluminum nullum nominare poterat, excepto vnico CAROLI, ignorabat etiam ex quibus regionibus ortum ſuum haberent, & quo laberentur; propterea quod nullam habuiſſet occaſionem cum Incolis ea de re conferendi, neque etiam multum de hac re ſollicitus erat, vtpote homo rudis; qui vix inter ortum atque occaſum diſcernere poterat. Sed ego tamen de his fluminibus non parum; diligenti inueſtigatione & inquiſitione cognoui; quod enim ex vno percipere non poteram; id ex altero diſcebam,cum etiam interpretem mecum haberem,qui ex GVIANA oriundus, & fere omnium iſtarum linguarum peritus erat.

Gualtherus Ralegh ſeniores interrogat de omnib. rebus. Ego accerſitis ſenioribus, & iis qui vnquā peregrinati fuerant; diligenter quæſiui de omnibus, vt conditionem omnium fluuiorum & regionum,à mari orientali, vſque ad fines PERV; & à flumine ORENOQVE auſtrum verſus, vſque ad fluuium AMAZONVM & MARAGNONEM cum regione MARIA TAMBAL,probe perdiſcerem,perſcrutabar etiam omnia quæ de Regibus & gubernatoribus,itemque de ciuitatibus & pagis ſcitu neceſſaria erant,quæ eſſet vel pacis vel bellorum tempore forma rerumpublicarum, & maxime qualia in iſta terra bella inteſtina eſſent,ſine quibus ego quidē hanc regionem inſuperabilem & inexpugnabilem fore iudicabam.

Cauſa cur Pizarrus & Cortezius victoriam obtinuerint. Nam & PIZARRVS per diſcordiam fratrum GVASCARIS & ATTABALIPÆ regno PERV potitus eſt, & propter inimicitias TLAXCALANORVM cum MOTEZVMA, CORTESIVS regnum MEXICI ſibi ſubiecit, quorum vterque ab inteſtinis bellis ſi fuiſſet, à propoſito ſuo recedere tandem coactus fuiſſet.

Cæterum cum iſta omnia BERREO accidiſſent,ipſe omnem fere ſpem abiiciens, expectare aliud vix poterat; quam quod ſuis quoque anteceſſoribus acciderat, donec tandem in regionem EMERIA veniret,quæ circa oſtium fluminis iſtius ſita eſt, vbi populum admodum humanum & benignum reperit. *Regio Emeria.* Rex iſtius loci vocatur CARAPANA,vir prudens & probe exercitatus, ætatis ſuæ fere 100. annorum. *Rex Carapana. Ætas.* Hic in iuuentute ſua,à parente in Inſulam TRINIDATIS miſſus erat, propter bellum quod tum temporis cum ipſis gerebatur; & initium ſuum ex Inſula PAIRCO traxerat. *Educatio.* Ibi in iuuentute multos Chriſtianos, Hiſpanos & Gallos viderat,

viderat,& cum incolis iſtius Inſulæ TRINIDATIS ſæpe in MARGARITAM & CVMANAM prouincias occidentalis Indiæ profectus fuerat,ex qua exercitatione ſibi inſignẽ prudentiam & experientiam comparauerat. Hic igitur peritus erat regionẽ vnam ab alia diſcernere, vires & potentiam ſuam ad vires Chriſtianorum examinare; inter diſcordes pacem & concordiam ſuadere & conciliare; pacem in terra ſua conſeruare, per quam regnum ſuum tutum fore,& commercia cum vicinis regionibus exerceri poſſe, nouerat.

Forma Rei publicæ ſalutaris.

Cum igitur BERREVS ad ciuitatem Regis CARAPANÆ appuliſſet, commoratus eſt ibi cum populo ſuo, qui itineris moleſtia ferme iam confectus erat totis, 6. ſeptimanis, explorans omnes ingreſſus regni GVIANÆ, de cuius opibus diuitiiſque indies plura audiebat. Verum cum huic negotio ſeſe iam imparem videret, cogitabat expectare annum ſequentem,& ſeſe interea omnibus rebus neceſſariis inſtruere, ſperabat enim auxilium ex Hiſpania, & Capitaneum ſuum DON ANTHONIVM XIMENES,cum hoc mandato,in NVEVO REYNO reliquerat,vt è veſtigio ſeſe ſequeretur, cum nuncium acciperet,ingreſſum aliquem & tranſitum in regnum GVIANÆ à ſeſe eſſe repertum. Itaque rurſus per riuulos fluminis ORENOQVE in Inſulam TRINIDATIS reuerſus eſt,vnde ad fines regionis PARIÆ & ita conſequenter in MARGARITAM rediit, vbi cum vicario regio DON IVAN SARMIENTO,propoſitum ſuum aperuiſſet,& de ampliſſimis regni GVIANÆ diuitiis dixiſſet, impetrauit ab eo 50.milites, vt ſeſe quamprimum rurſus ad Regem CARAPANAM reciperet,& recta in GVIANAM proficiſceretur. Sed BERREVS tum temporis nihil minus quam GVIANAM occupare cogitabat, quod imparem ſeſe ſciret tantis rebus. Itaque rurſus ex MARGARITA in TRINIDATIS Inſ.reuerſus,præfectum ſuorum militum emiſit ad ambiendum amicitiam finitimorum populorum, ſine quorum auxilio ipſi vel fame pereundum fuiſſet. Hos BERREI legatos remiſit dictus Rex CARAPANA,ad regem alium MOREQVITO vocatũ, pro certo affirmans, neminem eſſe ex quo plus de regno GVIANÆ cognoſcere poſſent, cum etiam ciuitas dicti Regis tantum quinque dierum itinere abeſſet, à MACVREGVARI prima ciuitate regni GVIANÆ.

Legati Berrei ad Regẽ Morequito remittuntur.

Quis Morequito fuerit.

Hic notandum eſt, hunc MOREQVITO vnum ex potentiſſimis Regibus, qui in finibus GVIANÆ habitabant, fuiſſe, qui ante tres annos in occidentalis Indiæ CVMANA & MARGARITA ciuitatibus, cum multis patinis auri fuerat,vt iis permutatis res alias quibus indigeret ſibi compareret, vbi, cum à gubernatoribus quotidie ad prandium & cœnam vocaretur, duos menſes commoratus fuerat. Et eo quidem tempore Gubernator ciuitatis CVMANÆ, VIDES dictus, aliquem à MOREQVITO impetrauerat, qui ſecum in regnum GVIANÆ iret, inuitatus precioſiſſimis & artificioſiſſimis aureis ſtatuis, & aliis clinodiis; quæ dictus MOREQVITO ſecum attulerat; quemadmodum etiam aſſiduis laudibus regni GVIANÆ & EL DORADO. Hic igitur VIDES ſtatim in Hiſpaniam pro milite impetrando ſcripſit, vt regnum hoc GVIANÆ in ſuam poteſtatem redigeret, ignorans tamen propoſitum & mentem BERREI, qui hoc prior à Rege impetrauerat. Cum autem VIDES à BERREO hoc intelligeret, audiretque eum etiam tranſitum aditumve in iſtud regnum reperiſſe,conatus eſt propoſitum BERREI, quantum in ipſo erat,impedire, prohibebat enim ipſum tranſitu per territorium ſuum, & commeatum reſque neceſſarias omnes ei denegabat. Vnde capitales poſtmodum inter ipſos exſtiterunt inimicitiæ, præſertim cum BERREVS etiam Inſulam TRINIDATIS in ſuam poteſtatem redegiſſet. Cæterum MOREQVITO ſe admodum humanum exhibebat,legatos BERREI facile admittebat, Monachum, qui miſſus erat vt regionem Guianæ exploraret, per regnum ſuum ire non prohibuit,quin etiam legatos BERREI comitabatur vſque ad ciuitatem GVIANÆ MACVREGVARAI. Vnde poſtmodum ſpacio 11.dierum ad regiam ciuitatem MANOA peruenerunt.

Vides, gubernator ciuitatis Cumanæ.

Capitales inimicitiæ inter Vidẽ & Berrec.

Morequito comitatur legatos Berrei.

Sed poſtea Monachus ille,cum aſſumptis precioſiſſimis rebus ex ciuitate MANOA & regno GVIANÆ reuerſus eſſet,& iam regionem AROMAIA tranſire rurſus vellet, à populo huius MOREQVITI oppreſſus, & cum omnibus ſuis ſociis, quorum 10. erant, interfectus eſt, ad vnum vſque, qui natando aquam ſuperauit, atque ita vitam ſuam conſeruauit. Spolia vero quæ ab ipſis tum acceperant excedebant fere 40000. PESOS auri.

Legati à Morequito truſidati.

Cum



Berreo necem legatorum vlciſcitur.

Cum BERREO hoc audiuiſſet, ſupra modum iratus, miſit exercitum ſuum in regionem AROMAIÆ, qui hoc facinus in MOREQVITO & ſuis ciuibus vlciſcerentur, quod MOREQVITO animaduertens, fugit trans fluuium ORENOQVEN, & per regionem SAYMA & VVIKIRI venit in ciuitatem CVMANAM ad gubernatorem VIDES, vbi ſeſe plane tutũ fore putabat, ſed cum BERREVS eum nomine Regis Hiſpanorum poſtularet, & ipſe etiam in ædibus alicuius FASHARDI, à miniſtris BERREI viſus eſſet, non audebat eum VIDES detinere, præſertim cum etiam ex Clericis vnus in legatione iſta trucidatus fuiſſet, MOREQVITO promittebat FASHARDO ingentem auri ſummam, vt ſe dimitteret, ſed miſer effugere nõ poterat, quin tandem Capitaneo BERREI traderetur, à quo capite mulctatus eſt.

Morequito capitis ſupplicio affectus.

Poſt mortem MOREQVITI, diripiebant milites BERREI totum eius regnum, & multos cõprehenderunt, inter quos etiam TOPIAVVARI huius MOREQVITO cognatus erat, cuius ego filium mecum in Angliam abduxi; Hic TOPIAWARI, iam Rex eſt in AROMAIA, vir & prudentia & conſiliis multum valens, qui centeſimum ætatis annum iam egreſſus, bona adhuc vtitur valetudine. Hiſpani eum 13. diebus catenis vinctum circumduxerunt, vt ipſis iter monſtraret in ſua & dicti CARAPANÆ regione, ſed redẽptus poſtea eſt 100. patinis aureis & quibuſdam gẽmis ſeu lapidib. precioſis, quos PIEDRAS HYADAS vocant. Verũ BERREVS propter interfectũ hunc MOREQVITO, & crudelitatem quam in AROMAIA exercuit, omnem fauorẽ & gratiam populorũ ORENOQVEPONI, & finitimarũ nationũ amiſit, ita vt iam nõ amplius audeat milites ſuos in CARAPANAM mittere, quæ quidẽ portus regni GVIANÆ habetur. Hiſpani tum temporis nepotẽ MOREQVITO cum aliis comprehenderunt eumq; baptizatum DON IVAN vocarunt, de quo magnã ſpem cõceperunt, & admodum laborant, vt in regnũ aui ſui rurſus introducatur. Hiſpani in vicinia ſolent CANOIS flumina, BAREMIA, PAVVROMA, & DISSEQVEBO, traiicere, quæ ad auſtrum fluminis ORENOQVE labuntur, vbi mulieres & infantes à CANIBALIBVS ſiue Anthropophagis redimunt, tanta eſt n. ibi hominũ frequẽtia, vt ẽt tribus vel quatuor ſecuribus, fratrũ & ſororũ corpora, imo proprios ſuos liberos vendant, ex quib. Hiſpani multũ lucrantur, ſiquidem eos in India occidentali poſtmodum aliquot coronatis rurſus diuendunt.

Topia VVaripater Morequito.

Nepos Morequito baptizatus.

Commercia Hiſpanorum.

Supremus in naui mea nauclerus IOANNES DOVGLAS, comprehendit in flumine vnam

vnam nauiculã CANOAM, quæ repleta erat hominib. ad vendẽdum deſtinatis, quorum maxima tamen pars euaſit. Sed in eorũ, quos ſecũ adducebat numero, erat fœmina quædam formæ tam præſtantis & elegantis, vt pulchriorem tota Anglia ego non viderim. Aderant etiam aliæ, quæ ſi non nigricantes fuiſſent, vel cum totius Europæ mulieribus, quoad conſtitutionem & habitum corporis, certare potuiſſent. Hiſpani etiam mercaturam panum ex CASSAVI in littorib. exercent, vbi 100. libras vnico cultello redimũt, & poſtmodum in ciuitate MARGARITA multis PESIS auri reuendunt. Magnam etiam mercaturam, goſſypio, ligno Braſilienſi, & lectis, quos HAMACAS, hoc eſt, lectos Braſilienſes vocant exercent, quibus Hiſpani in iſtis calidis locis noctu vtuntur, vt etiam nos, dum ibi viueremus.

100. Libræ panis pro vno cultello.

BERREVS igitur cum hiſce mercimoniis, ingentẽ theſaurum & auri copiã acquiſiuiſſet, miſit ſuum Capitaneum cum hiſce opibus in Hiſpaniam, vt exercitum cõſcriberet, & monſtratis hiſce theſauris omniũ animos inflammaret, ad expeditionẽ iſtam eo libentius & auidius ſuſcipiendam. Miſerat autem ẽt Regi Hiſpano multas pulcherrimas imagines hominum, ferarũ, piſcium, auium aliarumque rerum ſumma arte elaboratas, nec quicquã dubitabat, quin Rex hiſce theſauris incitatus comm eatum & populum miſſurus eſſet ſatis multum, præſertim cum hæc regio hactenus à nullo cognita vel direpta eſſet, aurum vero quod ex India occidentali in Hiſpaniam perfertur, ex aurifodinis multo labore & ſumptibus erui neceſſe eſſet. Præterea etiam ad filium ſuum in NVEVO REYNO ſcribens, iuſſit eum exercitum conſcribere quantũ maxime poſſet, & per fluuium ORENOQVEN in EMERIAM regionis CARAPANA ad ſe venire. Quin ẽt quoſdam ad S. IAGO de LEON, & ad littus CARACAS emiſerat, qui equos & mulos ad hanc rem neceſſarios ibi emerent.

Berreo Capitaneum in Hiſpaniam mittit.

Poſtquam iam ſatis ex BERREO audiuiſſem, qua ratione ipſe cœptam rem ad finem perducere conſtituiſſet, exponebam ego ipſi meam quoque mentem, nempe quod & ego mihi propoſuiſſem regnũ GVIANÆ videre, & quod eam ob cauſam præcipue in Inſulam TRINIDATIS veniſſem, quemadmodum ẽt aliud conſilium tum non habebam, nam in hunc finem ablegaueram præcedenti anno Capitaneum meum IACOBVM VVHIDDON, vt terram iſtam exploraret, cum quo tum temporis BERREVS etiam locutus fuerat. Hoc audiens, dici non poteſt, quam perterrefactus ſit & ſedulo laborauerit, mihi hoc propoſitum diſſuadere, perſuadebat etiam populo & maxime nobilib. meis, quod multum laboris & miſeriarum ipſis imminere t, ſi in ſuo propoſito perſeueraturi eſſent. Et principio quidem vere affirmabat, me nauibus quas habebam, aquas iſtas percurrere non poſſe, propter arenarum in eis copiam, ſiquidẽ ipſe ſuis CANOIS quæ tamen vix ad 12. digitos aquis inhærebant, ſemper arenas attigiſſet. Deinde ẽt incolas meo aduentu perterrefactos, fugã ſtatim daturos, & ſi eos perſequeremur, ciuitates ſuas igne deleturos, præterea longum nobis adhuc iter cõficiendum, inſtare vero iam hyemẽ, & in fluminib. per inundationem effuſis, impoſſibile eſſe verum iter tenere, cæterum ẽt victu & rebus aliis neceſſariis nõ eſſe nos ad dimidiũ ſaltem tempus ſatis inſtructos. Tandem vero, quod omnium maxime nos mouebat, addidit, reges & principes in vicinis regionibus initis fœderibus, decreuiſſe, nullo modo cũ Chriſtianis amplius cõuerſari, ſiquidem iſtæ conuerſationes extremum ipſis attrahere exitium poſſent, vt à Chriſtianis tandem auri deſiderio vel in ſeruitutem redigerentur, vel ex terra plane exturbarentur.

Berreus conatur propoſitum noſtrum diſſuadere.

Animaduertebam quidẽ ego, quæ à BERREO prolata erant, à veritate aliena nõ eſſe, ſed tamen, vt expertus ipſemet ẽt de his rebus loqui poſſem, mittebam primo Capitaneum GEORGIVM GIFFORD, VICEADMIRALIVM meum, cum naui quæ erat gubernatoris CALFILDES, verſus ortum, ad oſtiũ fluminis CAPVRI inquirendum, ad cuius ortum explorandum antea quoque Capitaneum VVHIDDON & IOHANNEM DOVVGLAS ablegaueram. Ipſi igitur inuenerunt profunditatẽ iſtius fluminis cum fluxu maris 6. pedum, cum refluxu vero tantum 5. pedum eſſe, præceperam ipſis quidem, vt in littore anchoram emitterent, & viderent quouſq; cum fluxu maris pertingere poſſent, ſed fruſtra laboratũ ab ipſis eſt. Nam aqua iam defluxerat, antequam tumulum arenarium ſuperare poſſent, quod ipſum quidem nobis ſemel atq; iterũ accidit, vt cogeremur conſiliũ mutare, & niſi à propoſito plane deſiſtere vellemus, relictis ibi nauibus noſtris cymba celoce, & nauiculis duab. aliis, populum cõmeatumq; noſtrum ad 400. Anglicana miliaria transportare, ſed hoc quidem non libenter faciebã, cum BERREI filius eo tempore cum vniuerſo ſuo exercitu eo venturus eſſet. Emiſi igitur adhuc vnum nomine KINGH, Gubernatorẽ nimirum nauis, quã iuniorẽ leænulam vocant, vt cymba ſua aliũ fluuium in portu GVANIPA (qui etiã AMANA dicitur) exploraret, & videret an poſſibile eſſet noſtris nauib. fluuium iſtum percurrere. Qui cum ad oſtium fluminis AMANA veniſſet,

Fluxus & refluxus maris eſt, cum mare omnibus 6. horis creſcit, & decreſcit.

veniſſet, reperit hunc fluuium reliquis omnibus ſimilem, nec vero audebat vlterius progredi, cum ipſi ab Indo itineris comite diceretur, CANIBALES ex GVANIPA cum multis CANOIS ipſum aggreſſuros, qui venenatis iaculari ſagittis ſolent, & periculum eſſe, ne omnes ibi opprimeremur.

Interea cum peſſima quæq; timerem, iuſſi ſtatim nauem GALLIASSAM ſiue triremem parari, humilem eam quidem quæ tantum quinque pedibus fluuium ingrederetur, iuxta profunditatem fluminis CAPVRI, tranſtris ab vtraque parte alligatis. Cumque dubitarem de iſtius KINGI reditu, miſi IOANNEM DOWGLAS cum cymba quadam, vt ipſi opem ferret, & profunditatem aquarum magis exploraret. Cõmunis n. erat opinio, nauem, quæ fluuium iſtum ſemel ingreſſa eſſet, non poſſe propter rapidiſſimum eius fluxum, ex eo rurſus emergere, præſertim cum Eurus etiam ſua vehementia curſum nõ parum promoueret. Et hoc quidem IOHANNES HAMPTON primus ante PLEYMOVTH animaduertit, qui plurimum inter Anglos expertus eſt, & in hac opinione multi ſunt, qui iſto itinere in Inſulam TRINIDATIS profecti fuerunt. Itaque ego IOHANNI DOWGLAS ſenem quendam, qui ex CASSIQVIS TRINIDATIS erat, adiunxi, qui nos etiam antea monuerat, ne reuerteremur per alueum iſtius fluuii, & nouerat riuum quendam alium, verſus ortum labentem, quo, vt arbitrabatur, redire rurſus in fluuium CAPVRI poſſemus. IOHANNES DOWGLAS, aquas iſtas explorans, inuenit quatuor aptiſſima oſtia, quorum minimum eius erat magnitudinis, qua TAMESIS eſt (fluuius nimirum qui Londini ſeſe in mare exonerat) in VVOLWICH, ſed tractus, qui ad initiũ eius ducit, ſex tantum pedes profundus erat, vt ita omnem fere ſpem abiiceremus, cum nauibus noſtris iſtum fluuiũ traiiciendi, & propterea conſtitueremus, cum noſtra GALLIASSE, qua vehebãtur 60. perſonæ, cymba nauis leænulæ, & expoſitoria quadã naui, quæ duæ 20. viros caperent, cymba itẽ Capitanei CALFIELDS, & mea cymba, quæ ſimiliter 20. caperent, flumini nos cõmittere, quod ẽt fecimus, quamuis omnino tantum 100. perſonæ eſſemus, & commeatum pro menſe ſaltem vno nobiſcum haberemus.

Et à BERREO quidem aliam cognoſcere viam non potuimus, quam quæ ducit per influentes aquas, quæ quidẽ tam procul à nobis aberant, vt impoſſibile eſſet eas aſſequi, tantus enim maris tractus nobis erat conficiendus, qualis eſt inter CALES & DOVER, inſuper & ventum & fluctus adeo nobis contrarios habebamus, vt noſtris nauiculis in ſinum maris ad GVANIPA pelleremur. Aderat nobis tum temporis Indus quidã Nauclerus, ex finibus BAREMIÆ, verſus auſtrũ à flumine ORENOQVE, inter ORENOQVE & AMAZONES, oriundus, cui paulo ante CANOAS eripueramus, quas panibus ex CASSAVI in BAROMA onuſtas, MARGARITAM perducere voluerant. Hic ARWACAN promittebat mihi, quod vellet me in magnum fluuium ORENOQVEN perducere, ſed, vt verum fatear, ipſemet ignorabat, quo in loco tunc verſaremur, abfuerat enim 12. annis ab iſtis finibus, & iuuenis adhuc imperitus erat. Itaque niſi Deus nobis alia ratione opem tuliſſet, vel totum annum in hoc labyrintho aquarum hærendum nobis fuiſſet, antequam vlla via nos inde explicare potuiſſemus, præſertim cum eo vſque progreſſi eſſemus, vt fluxus & refluxus maris nõ amplius ſentiremus. Et ego quidem mihi plane perſuadeo, in toto orbe terrarum nullum reperiri fluuium, quem tot aquarum riui & ductus ingrediantur, tot enim & tam varii nobis occurrebant riui, vt incerti eſſemus, quem potiſſimum eligere & ſequi deberemus.

Cum iter noſtrum ad curſum ſolis vel aſtrolabium dirigeremus, ad copioſas peruenimus Inſulas, quarum quælibet tam proceris erat arboribus cincta, vt eas viſu ſuperare non liceret. Huc delati eramus cum fluuium quendam eſſemus ingreſſi, cuius nomen inquirere non poteramus, itaq; eum nominauimus *the read Croſſe*, hoc eſt, Crux rubra, propterea, quod nulli hactenus Chriſtiani eo perueniſſent. Die 22. Maii, in itinere iſto animaduertimus è longinquo, exiguã CANOAM cum tribus Indis, quam celoce noſtra perſecuti, in qua octo remiges erant, ſtatim apprehendimus, antequam fluuium ſuperare poſſet. Omnis vero populus, qui in ripa fluminis ſub arboribus ſtabat, cupidus erat videndi, quid futurum eſſet, cumq; viderent, ipſis nullam fieri iniuriam, neminem etiam ex noſtris in CANOAM iſtam deſcendere, aut aliquid inde eripere, accurrebant omnes ad ripam, nobiſcum contrahere & conferre volentes, cumq; viderent nos magis magisque appropinquare, ſubſiſtebant. Nos vero per riuulum quendam, qui ex ciuitate eorum in fluuium iſtum labitur, ad terram appulimus.

Canoa cũ tribus Indianis.

Cumque ibi paululum moraremur, abiit noſter Indicus nauclerus FERDINANDVS in pagum quendam, vt poma afferret, & de vino ipſorum biberet, ſimul vero etiam, vt terram iſtam contemplaretur, & de Domino quæreret, habebat autem fratrem ſuum ſecum, ſed cum pagum ingreſſus eſſet, vo-

Pilotta Ferdinando pagum ingreditur

lebat Dominus iſtius loci eum cum fratre in carcerem coniicere, propterea, quod peregrinam nationem ſecum adduxiſſent in perniciem ſuæ terræ. Sed hic Nauclerus ſua dexteritate & agilitate ex manibus eorum euaſit, & ad nos perueniens, dixit fratrem ſuum ab Indis iſtis eſſe interfectum. Itaque nos quendam ſenem, qui nobis proximus erat, comprehendimus, mortem ei minantes, niſi noſter PILOTTA nobis reſtitueretur.

Frater Pilotta. Hic ſenex promptus erat damnum & amiſſionem prioris PILOTTÆ compenſare, cumque videret PILOTTAM ad naues noſtras properare, alta voce clamans ab incolis petiit, vt ei parcerent, ſed incolæ tamē nihilominus ipſum inſequentes, tantum ſtrepitum & clamorem canibus ſuis excitarunt, vt ſyluæ inde reſonarent, tandem tamen apprehenſis nauibus noſtris, ſemimortuus ad nos reuerſus eſt. Sed nos bono noſtro fato ſenem iſtum Indum acceperamus, quia enim ibi natus & educatus fuerat, melius nos de fluminum & itineris iſtius conditionibus edocere quam peregrinus aliquis poterat. Et ſane ſi ſine hoc fuiſſet, regnum GVIANÆ nunquam ingredi potuiſſemus, neque ad naues noſtras reuerti.

Nam poſt paucos dies, ignorabat FERDINANDVS quo in locō verſaremur, quin imo ipſe ēt ſenex ſæpe dubitabat quod flumen ingrediendum eſſet. Populum qui in hiſce fractis & quodammodo ſubmerſis Inſulis habitat, communiter TINITIVAS nominant, atque in duas partes diſtinguunt, quidam enim vocantur CIAWANI, quidam vero VVARAWITE.

Magnus fluuius ORENOQVE ſiue BARAQVAN, 9. habet riuos ſiue venas, ex oſtio fluminis verſus ſeptentrionem labentes, & 16. ſinus, multasq; Inſulas, quarum aliquæ eiuſdem ſunt magnitudinis cū Inſula VVIGHT ſiue VECTIS, quædam maioris, quædam minoris. Ab vno riuo ſiue ductu verſus ſeptentrionem, vſq; ad poſtremū, verſus auſtrum, ad minimum numerantur 100. LEGVÆ, & eo loco vbi in mare ſeſe exonerat latitudine eſt 300. anglicorum miliarium. Et meo quidem iudicio longe maior eſt fluuio AMAZONVM. Populos vero omnes qui iſtis riuis ſiue ductib. adiacent, vocant TINITIVAS, quibus duo gubernatores ſiue Domini imperāt, qui aſſidua inuicem bella gerunt. Inſulas ad dextrum ſitas vocant PALAMOS, ad ſiniſtrum vero HIROROTOMAKA. Fluuius per quem IOHANNES DOWGLAS ab AMANA CAPVRI reuerſus eſt, vocatur MACVRI.



Populi

Deſcriptio populorum Tinitiuas. Populi TINITIVAS, procero & pulchro ſunt corpore, apti ad bellum, & tantæ eloquentiæ, quantæ nullum hucuſq; populum audieram. In æſtate ædificia ſua in terra, quemadmodũ etiam aliæ nationes habent, hyberno autem tempore in arboribus habitant, in quibus ædificia ſua artificioſiſſime parare poſſunt, quemadmodum copioſius hac de re in Hiſpanica deſcriptione Indiæ occidentalis, legere quis poterit, vbi etiam alii populi humilis & depreſſæ regionis VRALIA, idem facere dicuntur. Nam fluuius ORENOQVE à Maio vſq; ad Septembrem, ad 30. pedes eleuatur, ita vt 20. pedibus ſupra terram aſcendat, exceptis aliquot montibus, in media regione ſitis. *Orenoque 20. pedibus ſupra terram eleuatur.* Et hac de cauſa cogũtur ædificia ſua tum temporis mutare. Non ſtudent agriculturæ, ſed contenti ſunt eo quod terra ipſis ſua ſponte producit, ad panem cõficiendum vſurpant PALMITES, ſed carnibus tamen & piſcibus veſcuntur. *Victus quotidianus.* Abundant iſtæ Inſulæ auibus, & arboribus frugiferis. *Aues.* Et quidẽ tam varias habẽt aues, vt ſimiles nullibi locorũ viderim. Populi CAPVRI & MACVRI, qui ad littus ORENOQVE habitant fere omnes ſunt fabri lignarii, qui CANOAS extruunt. *Opificia.* Item pulcherrima ædificia, quæ in regno GVIANÆ auro, & in Inſula TRINIDATIS, TABACCO vendunt. Et in hoc quidem opificio, quoad celeritatem, omnes populos ſuperant, breui enim tempore multa extruere ædificia poſſunt. Aerem habent humidum, & cibo vtuntur admodum duro. Pulcherrimus eſt & fortiſſimus populus, qualem vix vnquam in India & Europa vidi. *Bella cum vicinis.* Bella gerunt cum finitimis populis, maxime vero cum Anthropophagis CANIBALES, ita vt omnibus aliis populis formidabiles ſint, qui cum eis congredi non audent, iam autem facta cum vicinis populis pace, hoſtem præter Hiſpanos nullum agnoſcunt. *Luctus propter Duces defunctos.* Cum Duces & Gubernatores ipſorum moriuntur, admodum eos lugent, & poſt ſepulturam eorum cum exiſtimant carnem iam abſumptam eſſe, eos rurſus effodiunt, atq; in ædibus, quas viui inhabitauerant, ſuſpendunt, caput vel cranium plumulis varii coloris exornant, & oſſibus reliqui corporis, omnia quæ habuerunt vaſa aurea appendunt. *Arrvacas populi oſſa ſuorum dominorũ in potu abſumunt.* Alii populi quos ARWACAS vocant, & valde in iſta regione celebres ſunt, effoſſa & eruta dominorum, vxorum & cognatorum ſuorum oſſa, in puluerem redigunt, atque in omnem ſuum potum inſpergunt donec abſumantur.

Ex portu igitur CIAWANORVM ſoluentes, quamdiu fluxus maris, durabat progreſſi ſumus, mari autẽ defluente quieuimus. Tertio die poſtquam in fluuium veniſſemus, cõſedit triremis noſtra tanta vehementia, vt aliter exiſtimare non poſſemus, quam de ea & 60. iſtis armatis actũ iam eſſe, ſed ſequenti die dominica ſaburra qua onuſta erat, eam exonerauimus, quo facto poſtea Dei beneficio, ab aqua rurſus eleuata eſt. Poſt quatuor dies in fluuium admodum elegantem delati ſumus, qualem ego antea per omnem vitam non videram, quem vocant magnum AMANA, hic recto fluebat curſu, & ſinus anfractuſque nullos habebat, *Fluuius Amana elegans.* ſed cum nos fluxus maris dereliquiſſet, occurrit nobis alueus fluuii tanta copia & velocitate, vt omnes remigare cogeremur, niſi cum dedecore & re infecta reuerti mallemus. Rationem igitur aliam inuenire non potui, quam vt meos admonerẽ ad labores hoſce viriliter perferendos, ſiquidem hæc calamitas diuturna non futura, ſed propediem finem ſuum habitura eſſet, ad quam quidem admonitionem, tam nobiles quam alii inferioris conditionis homines ad remos ſeſe applicarunt. Quotidie elegantes præteruehebamur riuos & fluuios ab ortu partim, partim ab occaſu ſeſe in fluuium hunc AMANAM exonerantes, quos quidem ego vna cum ortu ſuo, in mea tabula ſiue mappa diligentiſſime annotaui.

Cum aliquot dies elapſi eſſent, cœpit populus meus animum fere abiicere, præſertim cum admodum ab æſtu ſolis vrgeretur, & fluuius iſte ab vtraque parte proceris conſitus eſſet arboribus, quæ omnẽ fere auram à nobis prohibebant. Præterea & aquas, quò longius progrederemur, eo maiores & vehementiores experiebamur. Itaque licet quotidie PILOTTA, meo iuſſu, populum ad conſtantiam hortaretur, tamen tandẽ cum omnes admodum ẽſſemus defatigati, & iam commeatu quoq; carere inciperemus, ego ipſemet dubitare ſæpenumero incepi, an pergere vellem necne. Nam & æſtum ſolis quo propius ad lineam, à qua 5. tantum gradibus aberamus, acceſſimus, eo vehemẽtiorem experti ſumus, ita vt quo magis viribus opus eſſet, eo languidiores fieremus. Sed nõ ceſſaui tamen populũ conſolari, & hortari, vt eſſent forti animo, nos enim tantum vnius diei itinere à quodam loco abeſſe, vbi reficere nos & rebus omnibus nobis rurſus proſpicere poſſemus, poſito ipſis ante oculos periculo mortis, quam cum dedecore ſubire cogeremur, ſi curſum noſtrum verteremus. In ripa iſtius fluminis magnus erat prouentus pomorum, boni ſaporis, & tanta copia arborum herbarumque, vt vel 10. herbarii libri non ſufficiant nominibus iſtis annotandis. Et ſane niſi pomis nos reficere & aues piſceſq; capere potuiſſemus, actum de nobis iam pridem fuiſſet.

Pilotta proditionē molitur.

Senex noſter Pilotta, quem ex Ciawani nobiſcum acceperamus, perſuadebat nobis, ſi ſe ſequi, & riuulum aliquem ad dextram ex hoc flumine ducentem, ingredi vellemus, relicta triremi in fluuio Amana, ſe nos in pagum quendam, qui ad Arvvacas pertineret, ducturum, vbi ſat panum, gallinarum, piſcium & vini eſſemus accepturi; & iſtum quidem locum non procul abeſſe, ita vt aliquot horis ad naues noſtras redire poſſemus. Hoc audientes ego & Capitaneus Gifford, nec non & Calfield, nauiculis noſtris oſtium iſtius fluminis ingreſſi ſumus, paucis ad nos armatis aſſumptis. Et quia ipſe dixerat non procul iſtum pagum abeſſe, nihil cibi nobiſcum ſumpſimus. Tribus autem horis progreſſi, mirati ſumus nullum nos veſtigium vel ſignum ædificiorum videre, & Pilottam interrogauimus, in qua fluminis parte pagus ille ſitus eſſet, qui reſpondebat, parum nos adhuc abeſſe. Porro ad tres rurſus horas progreſſi, ſole iam ad occaſum vergente, cum pagum nullibi videremus, cœpimus ſuſpicari, ipſum nos in perniciem abducere conſtituiſſe, neque etiam multum nos iſthæc fefellit ſuſpicio, nam vt poſtea ex ipſo percepimus, Hiſpani, qui ex Trinidate fugerant, & in Emereia apud Carapanam manſerant, in quodam pago ad hunc fluuium ſito, ſeſe congregarant. Nocte igitur iam ingruente, ſerio ipſum interrogauimus, vbinam locorum pagus iſte ſitus eſſet, ſed ipſe reſpondebat, paulo amplius adhuc progrediendum eſſe. Cum igitur pagum nullibi cerneremus, & tamen 40. iam fere miliaria Britannica ſine cibo confeciſſemus, conſtituimus non ſemel Pilottam ab arbore ſuſpendere. Quod etiam factum fuiſſet, ſi, qua via reuertendum nobis eſſet, noctu ſciuiſſemus, ſed noſtrum periculum ipſi tum vitam conſeruabat. Erant enim denſiſſimæ tenebræ, & amnis magis magiſque cœperat coarctari, ita vt etiam rami ab vtraque parte ſeſe contingerent, & curſum noſtrum multis modis impedirent. Magno ſane deſiderio pagi iſtius tenebamur, ſperabamus enim ibi cœnam bonam reperire, cum in noſtra triremi ientaculum tantum ſumpſiſſemus, & vero iam hora octaua inſtaret, qua adhuc de pago iſto nihil nobis polliceri poſſemus, quamuis Pilotta nos ſubinde erigeret & bonis verbis ſolaretur.

Pilotta in periculum mortis incidit.

Pagus tandem inuentus.

Tandem lumen aliquod è longinquo vidimus, hora fere prima poſt mediam noctē, itaq; curſum noſtrum eo ſtatim direximus, præſertim cum & canes ibi audiremus latrantes. Cum autem in locum iſtum veniſſemus, exiguum ibi populum offendimus. Dominus enim iſtius loci ad oſtium Orenoqve, quod 400. miliaribus Britannicis ab iſto loco aberat, profectus erat, vt aurum commutaret mulieres à Canibalibvs ſiue Anthropophagis redimendi gratia. In ædibus eius multos panes, gallinas & piſces, quin etiam vinum inuenimus, vt amiſſas vires recolligere facile poſſemus. Sequenti autem die accepto in naues commeatu neceſſario, ad ſocios & triremem rediimus, panes, gallinas & piſces eis afferentes.

Ab vtraque parte fluminis apparebat nobis iſta regio longe pulcherrima, & cum antea nihil niſi ſyluas & ſentes vidiſſemus, iam pulcherrimæ nobis valles apparebant, 20. fere miliaria Anglica longas, gramine & arboribus optimo ordine exornatas, non ſecus ac ſi ſumma diligentia & ſtudio conſitæ fuiſſent. Quin & feras ſylueſtres in littore obambulantes conſpeximus, & auium pulcherrimis pennis exornatarum maximam copiam. Aqua innumeris piſcibus erat referta, mixtis ſimul ſerpentibus, quos Lagartos nominant. Habebam ego mecum Negrvm aliquem elegantem iuuenem. Hic cum ex triremi proſiliens ad oſtium fluminis natare vellet, totus ab huiuſmodi ſerpente Lagarto, abſumptus eſt, nobis omnibus videntibus. In abſentia noſtra exiſtimarant noſtri ſocii, quos in triremi reliqueramus, nos omnes in flumine extinctos eſſe, miſeruntque Capitaneum Whiddon cum cymba nauis Leænvlæ, nobis in occurſum, vt nos inueſtigaret, promiſeramus enim circa veſperam eiuſdem diei ad eos reuerti.

In



In itinere hoc 80. miliaria Britannica confecimus donec ad naues noſtras & triremem reuerſi ſumus. Cum autem iam ad naues noſtras veniſſemus, & Capitaneus meus GIFFORD triremem iam aſcendiſſet, alii vero in littore ignem extruerent, vidimus magna cum lætitia quatuor CANOAS flumen iſtud deſcendere. Itaque Capitaneus meus GIFFORD populum ſuum eis in occurſum emiſit, ſed duæ ad littus declinabant, & homines in illis nobis viſis, omnes in ſyluas aufugerunt, dumq; nos in perſequendis iſtis duabus CANOIS & populo, qui fugam dederat, occupati eſſemus, effugerunt interea manus noſtras reliquæ duæ, ſed minores tamen CANOÆ, ignorabamus autem an panes quos vehebant MARGARITAM, quam Indi ARWACAM vocant, perducere voluerint nec ne. In duabus minoribus CANOIS erant tres Hiſpani, qui audierant, quid Gubernatori ſuo in Inſula TRINIDATIS accidiſſet, & quod conſtituiſſemus GVIANAM proficiſci, vnus erat CAVALLERO ſiue eques, alter gregarius miles, tertius excoctor ſiue auri explorator, quemadmodum poſtea ex relatione Capitanei, qui in ARWACA erat, cognouimus.

Interea nihil æque deſiderabamus, quam aurum, & panem, quem tamen in hiſce CANOIS ſatis copioſum inuenimus. Poſtquam autem Capitaneus meus GIFFORD duas iſtas CANOAS adduxiſſet, ſtatim ego celoce noſtra cum aliquibus ſclopetariis ad locum iſtum me contuli, vbi Hiſpani illi ex CANOIS effugerant, vt eos in ſylua inquireremus, cumque ab vna quidem parte Capitaneus GIFFORD, ab altera Capitaneus CALFIELD, ſyluam ingreſſus eſſet, atque ita ego cum meis eos diligenter inueſtigaremus, inuenimus tandem indicum corbem, quem meo quidem iudicio excoctor ille ſiue auri explorator, inter fugiendum abiecerat, erat enim in eo argentum viuum, nitrum, & res aliæ, quæ ad exploranda metalla adhibentur, quin & aurum pulueriſatum, quod ex auro fortaſſis illo remāſerat, quo reliquæ duæ CANOÆ, quæ effugerant, onuſtæ fuerunt. Aduocatis igitur pluribus ex triremi eos in ſyluam emiſi, propoſito ei, qui Hiſpanum aliquem adduceret, præmio, 500. li-

brarum STERLINGS, hoc eſt, noſtræ monetæ 2000. Ioachimicorum. Sed labor omnis fruſtraneus erat. Nam Hiſpani iſti duas illas CANOAS quæ effugerant aſſecuti erant. Inuenimus tamen quoſdam ARWACAS qui ſeſe in ſyluis occultarant, & PILOTTÆ remigeſque Hiſpanorum fuerant. Ex quibus ego optimum & qui maxime exercitatus erat, mihi in PILOTTAM aſſumpſi, & in regnum GVIANÆ perduxi, à quo poſtmodum etiam cognoui quibus in locis Hiſpani aurum maxime inquirerent; ſed hoc non omnibus aperui.

Cum vero aquæ inciperent admodum creſcere, & inundatione terram vndique implere, ita vt nobis impoſſibile eſſet canales & meatus auri aperire, quamuis quidem etiam inſtrumentis ad eam rem idoneis non eſſemus inſtructi, non exiſtimaui cōſultum, nos ibi diutius commorari, ne conſilium noſtrum aliis innoteſceret, atque ita ab ipſis impediretur, præſertim cum & PILOTTA noſter aufugiſſet, qui Indorum nobis fauentium animos ſtatim commouere & in nos concitare potuiſſet. Quod ſi quis nobis hic obiicere voluerit, quemadmodum etiam aliquando factum memini, quod tamdiu emanentes non plus auri nobiſcum attulerimus, optarem ego quidē eum ibi adfuiſſe, & coram vidiſſe iſtas aquarum repentinas inundationes, veruntamen totum iam etiam menſem à nauibus noſtris abfueramus, nec interea temporis quicquam de illis audieramus, quas quidem non admodum munitas, 400. miliaribus Britannicis à nobis reliqueramus. Et vt paucis dicam, tot nobis obiectæ ſunt incommoditates, vt non credam quenquam eſſe, qui etiamſi montes omnes auro & gemmis fuiſſent repleti, commorari ibi diutius potuiſſet. Omnia enim quæ in ORENOQVEN fluuium ſeſe exonerant flumina, vno die in tantum creuerant, vt cum mane vix calceos ſuperarent, circa veſperam ad brachia & humeros vſq; aſcenderent, vt ita aurum eruere magis fuiſſet opus laboris quam ingenii. Et vt verum etiam fatear, plus auri afferre potuiſſem, niſi aliud mihi tum, quam vt lucro inuigilarem, propoſitum fuiſſet.

Hiſpani Indianis perſuadent Anglos eſſe Anthropophagos.

ARWACA ille quo ego PILOTTA vtebar, verebatur, ſe à nobis deuoratum iri, Hiſpani enim Indianis perſuaſerant, nos Anglos Anthropophagos ſiue CANIBALES eſſe, vnde neminem ad nos inuitare potuimus qui nobiſcum loqueretur, neque in itinere, neque in ipſo GVIANÆ regno. Sed poſtquam nobiſcum aliquandiu conuerſati eſſent, nosq; ipſis de cibo noſtro cōmunicaſſemus, quin etiam aliquid, quod ipſis nunquam viſum erat, muneris loco daremus, cœperunt tandem nobis omnia humanitatis officia exhibere, & dolum Hiſpanorum animaduertere, qui, vt ipſi referebant, ad libidinem & turpitudinem ſuam explendam filias & vxores ipſorū, minis verberibusq; adigebant. Verū ego hic ſancte & in cōſpectu Dei affirmo, me ignorare nec etiam credere, aliquem ex noſtris vxores eorum vel per vim, vel per aliam rationem vnquam cognouiſſe, nihil omnino per libidinem cum ipſis commercii nobis fuit, quamuis eas magna ſæpe copia nudas viderimus non ſolum, ſed & in poteſtate noſtra habuerimus. Aſpeximus nobiſcum conuerſantes ſine omni malo & turpi affectu, licet iuuenculæ eſſent & formæ ſatis elegantis.

Nihil erat quod nobis fauorem & gratiam apud eos maiorem conciliarit, quam quod mei homines ne quidam PINAM ſiue POTATAM radicem aliquam ab ipſis ſine remuneratione & ſolutione precii, accipere, vxores vero & filias ipſorum ne attingere quidem auderent. Quo ſolo apud ipſos efficiebam, vt & nobis fauerent, & Reginam noſtram mirarentur admodum & venerarentur. Quia tamen gregariis militibus furto abſtinere impoſſibile erat; & ego non ſemper cauere ſatis poteram, quin vbi ad ædes Indorum ventum erat, furarentur, ſubinde per Indum meum interpretem incolas interrogaui, quidnam ipſis à militibus noſtris ereptum ablatumque eſſet, vt illud diligenter quæſitum atque apud noſtros repertum rurſus reciperent. Mirabantur, cum audirent, Hiſpanos in Inſula TRINIDATIS à nobis ſuperatos atque interfectos eſſe, fuerant enim in ea opinione, eos omnibus Chriſtianis ſuperiores eſſe, & multo magis mirabantur cum ex mea relatione audirent, nos claſſe noſtra in ipſam Hiſpaniam delatos, eos ſuperaſſe & viciſſe.

Cum igitur ſatis panum ex CANOIS ipſorum accepiſſemus, nec non & multis radicibus inſtructi eſſemus, tradidi ARVVACÆ alicui, vnam ex CANOIS quæ Hiſpani cuiuſdam fuerat, & donata omnibus libertate, excepto vnico Capitaneo, quem Hiſpani MARTINVM in baptiſmate nominauerant, remiſi cum iſta CANOA primum meum PILOTTAM FERDINANDVM, & ſenem iſtum CIAVVAN, tradito ipſis commeatu quantum opus erat, ſcripſi etiam literas ad populum meum, quem in nauibus reliqueram, quas promiſerunt ſe reddituros, quemadmodum etiam fideliter ab ipſis factum eſt. Poſtea progreſſi ſumus cum nouo noſtro nauclero, ARWACAN, ſed poſt diem vnum atque alterum, conſedit triremis noſtra in fundo,

fundo, & parum aberat, quin fracta illa, omnem commeatum amiſiſſemus, cumque totam noctem in arena hærentes, maris fluxum non animaduerteremus, quo alleuata triremi pergere potuiſſemus, eramus in maximo metu. Itaque ſequenti die anchoris noſtris in littore firmatis, ſumma vi triremem ab arena detraximus, atque ita rurſus progreſſi ſumus.

Poſt 15. dies vidimus magna cum exultatione & lætitia mõtes regni GVIANÆ è longinquo, & accepimus circa veſperam ventũ bonum, qui ab occaſu vehementer prorumpens, nos ita impulit, vt eadem adhuc veſpera, fluuium ORENOQVEN aſpiceremus, ex quo fluuius iſte prouenerat, in quo tum temporis hærebamus. Rurſum autẽ ibi tres CANOÆ oculis noſtris obiectæ ſunt, ſed cum tanto interuallo à nobis abeſſent, quanto oculis pertingere potuimus, quamuis eas celoce noſtra inſequeremur, duas tamen ſtatim ex conſpectu amiſimus, tertia verſus occaſum in magnum fluuium delata eſt, atque ita oculis noſtris etiam ſubtracta, putabant enim nos verſus ortum ad prouinciam ſiue regionem CARAPANÆ profecturos, vbi Hiſpani quidem ſubſiſtebant, non audentes regnum GVIANÆ contingere, propterea quod omnibus vicinis populis odio eſſent, qui quidem etiam arbitrabantur, nos Hiſpanos illos eſſe, qui ex Inſula TRINIDATIS effugerant. Cum autem ad angulos iſtius fluminis veniremus, in quibus ipſi ſeſe occultarant, ſtrenue nauem noſtram propellentes, per interpretem noſtrum ipſis denunciauimus, qui & quales eſſemus. Itaque cum id audiuiſſent, ſtatim ad nos venerunt, communicantes nobis quicquid habebant, & inter alia etiam TORTVGAS, hoc eſt, oua teſtudinum, quæ collegerant. Quin & ad Dominum iſtius loci nos ſequenti die ſe perducturos, & in omnibus nobis gratificaturos pollicebantur.

Tres Canoæ conſpiciuntur & vna capitur.

Hac nocte paululum progreſſi, anchoras poſtea firmauimus in loco quodam vbi contingit diuortium trium pulcherrimorum fluminum, quorum vnum erat AMANA, in cuius littore nos à ſeptentrione veneramus, eo verſus meridiem fluente, reliqua duo ex ORENOQVE ab occaſu venerant, & per AMANAM verſus ortum in mare ſeſe exonerabant. In arena vbi quieuimus, inuenimus vltra 1000. TORTVGAS ſiue teſtudinum oua, quæ ad comedendum aptiſſima non minus quam ſalutaria erant. Itaq; miles meus iam pulchre acquieſcebat, cum ſatis ciborũ haberemus, & regnum etiam GVIANÆ tam prope adeſſet, vt contemplari & intueri illud rectiſſime poſſemus.

Altero die venit ad nos iuxta promiſſionẽ eorum qui in CANOA fuerant, Dominus iſtius terræ TOPARIMACA, cum 40. fere miniſtris, afferens nobis poma, panes, vinũ, carnes & piſces, hunc nos pro tempore etiã liberaliter tractauimus, propinato & donato ei vino Hiſpanico, quantum adhuc in lagenis noſtris erat, quod quidem ipſi cupidiſſime biberunt. Ex hoc TOPARIMACA quæſiui de proxima via, quæ in regionem GVIANÆ nos perduceret. Ipſe vero triremem & nauiculas noſtras in portum ſuum deduci curabat, & inde nos ſecum ſumpſit ad pagum ſuum qui miliare vnum cum dimidio ab iſto loco aberat; vbi quoſdam ex Capitaneis noſtris vino ſuo ita tractauit, vt inebriati ad nos reuerterentur. Erat enim iſtud vinum ex aromatibus & herbarum quarundam ſucco præparatum atque confectum. Aſſeruant illud in vaſis teſtaceis quorum ſingula 12. fere congios capiunt, & largiſſime in conuiuiis ſuis abſumunt, ſunt enim potatores, quales in vicinia non facile reperiuntur.

Cum ad ciuitatem hanc veniſſemus, inuenimus ibi duos CASSIQVOS, quorum vnus peregrinus erat, qui propter mercaturam quam exercebat, fluuium aſcenderat, & CANOAS ſuas cum vxore atq; familia domeſtica, in portu habebat, in quem noſtræ quoq; nauiculæ erant tranſmiſſæ: Alter erat huic TOPARIMACÆ ſubiectus. Noctu dormiebant in HAMACA goſſypina, nos lectulos BRASILIENSES vocamus. Duæ mulieres menſæ miniſtrabant cum 6. poculis, & vaſe quodam alio, quo vinum haurientes, poculis infundebant, & quilibet ſimul tria exhaurire pocula cogebatur, quæ cauſa erat ebrietatis ipſorum.

Pagus iſtius TOPARIMACÆ, in monte quodam ſitus erat & proſpectum bonum habebat, hortis ad miliare Britannicum circumdatus erat, intermixtis multis aquis piſcium multitudine abundantibus. Et pago quidem nomen erat ARWACAI, incolas autem vocabant HEPEIOS, parent vero dominio CARAPANÆ. Offendimus ibi multos decrepitos ſenes, tantæ ætatis, vt venas in toto corpore numerare poſſemus, carne enim exiccata, oſſa tantum cute ſiue pelle obducta apparebant. Dominus huius loci adiungebat mihi ſenem quendam Naucierum, qui omnium viarum peritiſſimus erat, & ductus aquarum nocte dieq; diſcernere rectiſſime poterat. Et profecto qui peregrinari iſtis in locis voluerit, PILOTTA peritiſſimo admodum opus habet, tot enim ex arena tumuli, tot ſaxa & Inſulæ ibi paſſim, vt aquarum velocitatem taceam, reperiuntur,

tur, vt in extremum ſæpenumero periculum inciderimus, nauiculis certe noſtris, excepta triremi, à littore recedere parum tutum erat, niſi cœlo admodum ſereno & quieto.

Sequenti die iter rurſus ingreſſi ſumus, & quia ventum ab ortu ſatis fortem commodumque habebamus, remos impellere neceſſe non erat. Orenoqve enim fluuius ab ortu ad occaſum labitur, vſque ad Qvito in Perv. In hoc fluuio vel 1000. miliaria Britannica aſcendendo conficere poſſumus, & ab iſto loco, quo eum ſumus ingreſſi, poteſt aliquis cum Pinasse ad præcipuas vſque ciuitates Nvevo Reyno de Granada & Popaiano peruenire, ita vt nulla commodiori via, quam hoc ipſo fluuio quis vti poſſit, ad occupandas & expugnandas Indorum ciuitates. Die iſto riuulum quendam nauigando confecimus, ad cuius ſiniſtram Inſula Assapana ſita eſt quæ 25. miliaria Britannica in longitudine, & 6. in latitudine habet, ad dextram vero fluuius Orenoqve labitur.

Hoc fluuio ſuperato alia rurſus inſula occurrit, nomine Ivvana, quæ magnitudine ſua, bis ſuperat Inſulam Wight ſiue Vectin in Anglia. Inter hanc Inſulam & Gvianam, alius adhuc fluuius labitur, qui ex Orenoqve promanans, Arraroapana vocatur. Qui fluuii omnes tanta ſunt magnitudine & profunditate, vt magnas etiam naues capiant. Hunc locum vna cum Inſulis, quibus varie diuiditur, iudico in latitudine tria miliaria Britannica habere. Cum ad arcem Inſulæ Assapanæ veniſſemus, aperuit ſeſe verſus occaſum, ex altero latere alius quidam fluuius, cui nomen erat Eropa. Hic ex ſeptentrione in fluuium Orenoqve ſeſe exonerabat. Quo ſuperato, anchoras noſtras firmauimus ad Inſulam Ocayvvyta, 6. miliaribus Britannicis longam, & duobus latam, vbi duos Gvianos emiſimus, quos ex ciuitate Toparimacæ nobiſcum adduxeramus, vt de aduentu noſtro Dominum regionis Pvtyma certiorem facerent. Hic ſubiectus eſt Topiawari regi Arromaia, qui in locum Moreqvito ſucceſſit, quem Berrevs, vt ſupra dixi, capitis ſupplicio affecerat. Sed cum ciuitas eius procul à littore abeſſet, non poterat iſto die nos conuenire. Itaque progreſſi ad aliam Inſulam, ſequenti die anchoram noſtram in ea firmauimus, quæ eiuſdem fere magnitudinis erat cum priori, & Pvta[illegible]ayna dicebatur, eratque [illegible] regione eius in terra continua excelſus mons ſitus, quem Occapa nominant. Et libentius quidem ad Inſulas iſtas quam ad littus terræ continuæ appellere ſolebamus, propter Tortvgas ſeu oua teſtudinum, quorum multa copia in Inſulis reperitur, deinde etiam propter cõmoditatem piſcandi, quæ maior erat in Inſulis quam in altero littore. In littoribus multa ſaxa cæruleo & metallico colore cernuntur, & ego quidem in ea ſententia ſum, ea non caruiſſe chalybe, colorem enim chalybis per omnia habebant, & ſcopuli iſti in aliquibus locis altiſſimos montes conſtituunt.

Sequenti die verſus occaſum progreſſi ad dextram planam & apertam Gvianæ terram conſpeximus, cuius littus plane rubrum apparebat. Ibi iuſſi quoſdam in littore ſcrutari & videre, qualis ab altero latere terra eſſet, qui reuerſi nunciarunt mihi, regionem eſſe planam & vndique patentem quouſque quidem ipſi è longinquo perſpicere, & ab arboribus quas conſcenderant videre potuiſſent. Pilotta meus, vir ætate & multo vſu clariſſimus, & frater Domini ſiue Casiqve Toparimacæ, referebat mihi, Hanc regionem eſſe vallem Sayma, quæ pertingeret in Indiam occidentalem vſque ad Cvmanam & Carcas, & à quatuor diuerſis populis habitari, quorum nomina eſſent, Sayma, Assawai, VVikiri qui populus potentiſſimus erat, & à quo Petrvs Hernandez de Serpa, vt ſupra dictum, cum ſuis occiſus eſt, vbi cum 300. equis à Cvmana ad fluuium Orenoqve profectus regionem Gvianam expugnare voluiſſet. Quartum populum Aroras vocabat. Hi nigri ſunt inſtar Negrorvm ſiue Æthiopum, populus prudens, fortis, & audax, ſagittis in bello vtuntur efficaciſſimo veneno infectis, quam ob cauſam ego de optimo mihi antidoto & remedio contra venenum proſpiciendum putaui. Nam ſagittæ iſtæ venenatæ, non tantum lethalia vulnera infligebant, ſed tantum etiam dolorem vulneratis afferebant, vt genus illud mortis merito peſſimum & miſerrimum haberetur. Icti enim & vulnerati iſtiuſmodi ſagittis, in furorem aguntur, & ita diſtenduntur, vt tandem rupto ventre, omnia inteſtina effundant: colorem nigrum & piceum contrahunt, & tam grauiter olent, vt nemo apud eos durare & permanere poſſit. *Nocentiſſimum venenum quo ſagittæ illinuntur.*

Equidem ſæpe miratus ſum, neminem vnquam Hiſpanum, quamuis multi illorum huiuſmodi ſagittis vulnerati & interfecti fuerint, verum antidotum & curationem iſtius veneni inuenire potuiſſe. Sed & nemo ex Indis, etiamſi vel mille eorum interroges, eam nouit, præter ſacerdotes & aruſpices, qui curationem iſtam tam ſtudioſe celant, vt etiam filiis non niſi iam morituri aperiant. Vulgaria & optima remedia *Curatio huius veneni.*

quibus

quibus hoc venenum pellitur, & vulnera rectiſſime ſanantur, præparantur ex liquore radicis TAPARA, nec aliud efficacius inuenitur. Nam idem etiam remedium febres arcet, & ruptas in corpore venas, aliaque intrinſeca vulnera ſanat. Cum igitur GVIANI hoc me remedium docuerint, agnoſco vtique me ipſis plus debere, quam omnes alii populi. BERREVS enim referebat, ſe ne audiuiſſe quidem iſtud venenum poſſe curari, & vero ego tum optima ab ipſis remedia didici, non tantum quibus venenum pelleretur, ſed etiam quibus vulnera rurſus ſanarentur. Quidam Hiſpani liquorem ex allio expreſſum ad hæc venenata vulnera adhibent, quæ quidem curatio vulgaris eſt, ſed ego vnumquemque, qui hiſce regionibus vtitur, fideliter monitum volo, vt ſi forte ſagitta aliqua petatur, omni potu abſtineat, & ſitim, quamdiu poſſit, toleret; ſi enim ſtatim poſt acceptum vulnus biberit, certiſſima morte in ipſo puncto ipſi moriendum erit.

Quomodo in Guianā aduenerint Iam ad iter noſtrum reuertemur; quod quidem tertio die abſoluimus, anchoras noſtras ad ſiniſtrum duorum montium firmantes, quorum vnus AROAMI, alter vero AIO nominatur. Sed ibi tamen tantum ad medium noctis commorati ſumus, metuebamus enim pluuiam, poſtquam progredi amplius non potuiſſemus, & præceperam quidem ego, ne quis ad explorandum terram GVIANAM ex nauibus deſcenderet, donec fluuium rurſus deſcendiſſemus. Sequenti die ingentem prætervecti ſumus Inſulam, quæ in medio fluminis, MANORIPANA; ſita erat, vbi cum reſpexiſſem, vidi nos inſequentem CANOAM, in qua octo GVIANI erant, qui nos rogabant, vt in portu ſuo anchoras noſtras firmaremus, ſed ego hoc ad reditum meum differebam. Aderat in CANOA iſta CASSIQVVS ſiue Dux ille, ad quem noſtri NOPOIOS, qui nobiſcum à TOPARIMACA venerant, meo inſtinctu & iuſſu profecti erant, vt de aduentu noſtro ipſum edocerent.

Quinto poſt die venimus in Prouinciam ſiue Regionem AROMAIA, in qua MOREQVITO regnauit, quem BERREVS interfici iuſſerat, & appulimus ad terram verſus occaſum, alicuius Inſulæ MVRRECOTIMO dictæ, quæ decem miliaria Britannica longa & 5. lata erat, eodem die CASSIQVVS de ARAMIARI nos prætervectus eſt, ad cuius ciuitatem ſiue pagum aliquando commeatum petentes appuleramus. Poſtero die peruenimus ad portum MOREQVITO, vbi firmatis anchoris, PILOTTAM ablegauimus qui Regem AROMAIÆ, Regis MOREQVITO cognatum quæreret. Qui ſequenti die ab arce ſua ante meridiem pedes ad nos venit, & eodem die domum rurſus iuit, conficiens ita vno die iter 28. miliarium Britannicorum, cum tamen iam annum ætatis 110. attigiſſet. Adducebat finitimos populos, & magnum fœminarum, liberorumque numerum; vt nos viderent, afferebat etiam commeatum omnis generis, feras nempe ſylueſtres, apros, gallinas, aues, piſces, poma & radices varias, quin etiam magnam copiam PINARVM; quæ omnia totius mundi poma longe exſuperant, nec vllibi meliora quam in GVIANA reperiuntur. Inſuper etiam multum panis & vini afferebant, & quidam ex illis animal mihi quoddam donabat, quod ipſi CASSACAIN, Hiſpani vero ARMADILLA nominant, ſquamis oppletum eſt inſtar Rhinocerotis, & in extrema corporis parte caudam habet magnitudine & forma cornu venatorii. MANARDVS ſcribit oſſa huius caudæ puluerizata, & auribus immiſſa ſurditati mederi.

Cum



Cum Rex iſte in tabernaculo, quod in eum finem paraueram, conſediſſet, incepi per interpretem meũ cum eo loqui de morte MOREQVITO & de Hiſpanis, exponens ipſi cauſam mei aduentus, & cuius imperio parerem, quodque hoc iter ingreſſus eſſem, vt eos à tyrannide Hiſpanorum liberarem atque defenderem. Cumque præmiſiſſem prolixam & bene longam orationẽ, (quemadmodum etiam in Inſula TRINIDATIS à me factum fuerat) de Reginæ noſtræ potentia, virtute, candore & ſingulari affectione erga omnes in genere afflictos, & oppreſſos, interrogabam poſtea eum de ſtatu GVIANÆ, qualis regio eſſet, quæ eius adminiſtratio, & conſtitutio, quæ iura & ſtatuta, quæ potentia & vires eſſent, quam late dominium eius ſeſe extenderet, ac tandem quos hoſtes, quoſque ſocios & amicos haberet. Ad hæc reſpondebat ipſe, vniuerſam ſuam terram, quemadmodum etiam regiones alias omnes, quæ verſus mare vſque ad fluuium EMERIA, & regionem CARAPANÆ ſitæ ſunt, GVIANIS ſubiectas eſſe, vocari tamen ORENOQVEPONOS, propterea quod flumini ORENOQVE adiacerent, quod quidem nominis omnes populi vſurparent, qui ab iſto flumine vſque ad montes VACARIMA habitant, cum ab altero montium latere, vallis eſſet, in qua veteres GVIANÆ coloni habitarent, quam quidem vallem in reditu luſtrauimus, nomen eius eſt AMAROCAPANA. Quærebam autem etiam ex eo, quis iſte populus eſſet, qui vltra iſtam vallem, in termino montium habitaret. Ad hoc cum gemitu reſpondens, dixit: cum ego iuuenis adhuc eſſem, parens vero meus ætate & ſenio confectus, aſcendit populus quidam ab occaſu ſolis, & conſedit in magnis iſtis vallibus GVIANÆ. Venerunt tanta frequentia, vt numerari non poſſent, multo vero minus à nobis ſuperari, induti erant veſtitu oblongo, & pileos rubros gerebant, dicebantque ſe vocari OREIONES & EPVREMEOS. Hi populi tantum ex veteribus colonis numerum ſuis partim ſedibus expulerunt, partim miſerrime trucidarunt, quantus in ſyluis foliorum numerus reperitur. Quo facto ſeipſos Dominos fecerunt totius regionis, vſque ad montes CVRAA, duabus tantum prouinciis exceptis, quæ vocãtur IVVARAWAQVERI & CASSIPAGOTOS. Et quidem in poſtrema pugna inter EPVREMEOS & IVVARA-

Regis de ſtatu regni Guianæ reſponſio.

Querela & commemoratio veteris hiſtoria.

Iwarawaqveros habita, filius eius maior natu, qui Ivvarawaqveris auxilio miſſus erat, cum vniuerſo ſuo populo cæſus erat.

Inter alia referebat etiam, quod Epvremei magnam ciuitatem, ad radices montis (vbi initium eſt vallis Gvianæ, quæ nullum fere finem habet) condiderint, & Marcvregvarai vocarint, & quod ædificia haberent multis contignationibus exornata & extructa, quod etiam potentiſſimus populorum Oreionvm & Epvremeorvm Rex, ad fines regni ſui, præſidium 3000. armorum cõſtituiſſet, à quorum iniuriis nunquam ipſi tuti hactenus fuiſſent, quamuis ab eo tempore, quo Chriſtiani inceperint vires ſuas in iſtis regionibus experiri, pace meliore vſi ſint, ipſis iam cum aliis vicinis gentibus (exceptis tamen Iwarawaqveris & Cassipagotis qui ad fluuium Caroli habitant, quos poſtmodo etiam vidimus) mercaturam exercentibus, & ad reſiſtendum Hiſpanis omnes vires & neruos conuertentibus.

Rex humaniſſime diſcedit. Cum igitur ad interrogata mea abunde reſpondiſſet, veniam rogabat, domum ſuam repetendi, dicens ſatis longum iter ſibi conficiendum reſtare, quod per ætatem & vires amiſſas non poſſet facile abſoluere, præſertim quia etiam cum morte iam quotidie luctaretur. Rogaui quidem eum vt mecum pernoctaret, ſed obtinere nihil potui, niſi quod polliceretur ſe ad nos rediturum, vbi reuerſi, ad portum iſtum rurſus appuliſſemus. Interea velle ſe comportare optimum quodque, quod in regione & terra ſua habere poſſet. Atque ita eadem die ad ciuitatem ſuam Orocotonam reuerſus eſt, conficiens nimirum ea die 28. miliaria Britannica, quamuis ad ætatis difficultatem etiam æſtus vehementia acceſſiſſet, quæ non exigua eſt in regione eius intra 4. & 5. gradum Æquinoctialis ſita. Hic Topiawari prudentiſſimus & ſapientiſſimus ex omnibus Orenoqveponis habebatur. Quemadmodum etiam ego, cum reuerſi eſſemus, maieſtatem, prudentiam & ſapientiam eius mirari ſatis non potui, tam erudite enim & ſapienter loquebatur, vt nunquam crediddiſſem, tantam eloquentiam in eum qui literis operam non dediſſet, cadere potuiſſe.

Sequenti die, relicto hoc portu, verſus occaſum progreſſi ſumus, vt celeberrimum fluuium Caroli viderem, cum audiuiſſem, quod ad omnes fere potentiſſimas nationes & populos extenderetur, qui Imperatori Ingæ ſubiecti ſunt, & cum Epvremeis inimicitias fouent. Circa noctem anchoras firmauimus ad Inſulam quandam Catvmam; cuius longitudo erat 5. vel 6. miliarium, & poſtero die ad oſtium fluminis Caroli peruenimus. Cum adhuc in portu Moreqvito eſſemus, audiebamus ſtrepitum quem fluctibus ſuis edebat, poſtquam autem alueum eius ingreſſi, ad 40. tantum miliaria aſcendere vellemus, vt Cassipagotos videremus, qui in finibus iſtis habitant, deprehendimus hoc impoſſibile eſſe. Celoce enim noſtra, quæ 8. remos habebat, non poteramus ad lapidis iactum progredi, in quacunque etiam parte periculum faceremus. Erat enim omnis noſter conatus irritus, quamuis fluuius iſte quoad latitudinem cum fluuio Themis, ſiue Thamesi in Wolwich, nec non cum fluuio Scheldt Antuerpiæ, comparari rectiſſime poſſet. Itaque ad ripam declinauimus, & Orenoqveponvm illum, qui nobiſcum à Moreqvito venerat, ablegauimus, vt incolis noſtrum aduentum annunciaret, & quod magno teneremur deſiderio videndi Dominum de Canvria, qui in ea regione circa fluuium regnabat, indicaret etiam ſimul ipſis, nos iuratos hoſtes Hiſpanorum eſſe. Nam in hac fluminis ripa, Moreqvito quondam, 10. illos Hiſpanos, qui ex Manoa regia ciuitate regni Gviana reuerſi, 40000. Pesos auri attulerant, interfici, & auro iſto ſpoliari iuſſerat.

VVannuretona Dominus regionis ad eos accedit. Altero die Cassiqve ſiue Dominus quidam VVannvretona dictus, cum multo populo ad nos venit, afferens ſimiliter, vt & alii fecerant, omnia ad victum neceſſaria, idque non parce ſed ſatis copioſe & largiter. Significaui etiam huic Cassiqvo per interpretem, cauſam mei itineris, eodẽ modo quo antea Topiawari, quod nimirum à Regia Maieſtate in eas terras miſſus eſſem, vt eos à ſeruitute liberarem. De regno Gvianæ tantum ab eo percepi, quantum ipſe exploratum habebat. Quin & hoc intellexi, quod qui circa flumen Caroli habitant, non tantum Hiſpanorum, ſed & Epvremeorvm acerrimi hoſtes eſſent, & auro valde abundarent. Referebat etiam mihi quod circa initium iſtius fluminis, ad lacum quendam ex quo flumen deriuatur, tres potentiſſimi populi habitarent, qui vocantur Cassipagotos, Eparagotos, Arowagotos, qui omnes nobiſcum pugnaturi eſſent contra Hiſpanos & Epvremeos, de auro nos non debere dubitare dicebat, reperturos n. eſſe magnam auri copiã, vbi ſuperatis montibus Cvraa, in terram iſtam perueniremus. De Iwarawacaris, quorum ſupra mentionem fecimus, dicebat, eos quotidie cum Epvremeis bella gerere, primã ciuitatem in Gviana, nempe

MACVREGVARAI, inhabitare, & Imperatori INGÆ ſubiectos eſſe.

Eo tempore referebat mihi Capitaneus quidam GEORGE, quem cum BERREO captiuum habebam, circa hoc flumen diuitem argentifodinam eſſe, ſed fluuius ORENOQVE, CAROLI, & alii omnes, iam ad 5. pedes creuerant, vt impoſſibile eſſet in iſtis progredi. Itaq; ego aliquos Capitaneos & milites terra, in ciuitatem quandam 20. miliaribus Britannicis ab iſto loco diſtantem ablegaui, ad quam cum per vallem AMNATOPOI veniſſent, inuenerunt ibi quoſdã qui ad aliam ciuitatem CAPVREPANA ad fluuium montis ſitam, ituri erant, quæ ciuitas dominum habet ſiue CASSIQVVM, HABARACON dictum, qui erat cognatus TOPIAWARI regis in ARROMAIA optimi noſtri amici, & CAPVREPANA quidem ciuitati MACVREQVARI adhæret, quæ ciuitas eſt finitima imperii. Interea ego quoq; cum aliquibus in terra ad videndam fluminis CAROLI declinationẽ ſiue cataractas iter feci, cuius ſtrepitũ nos magno interuallo audieramus, quin etiam inde ad contemplandam regionem CAVARI, progreſſi ſumus, & Capitaneum IOHANNEM VVHIDDON ablegaui, vt videret an in ripa fluminis iſtius lapides metallum habentes inuenire poſſet.

Aſcendimus etiam in montes circa iſtum fluuium ſitos, vnde totum fluuium CAROLI perluſtrare poteramus, quomodo nimirum in tres partes diuideretur, vidimus etiam declinationes ſiue prolapſus & cataractas eius, decem vel vndecim, quibus aqua quaſi ab altiſſima turri delabitur, tanto ſtrepitu & repercuſſione, vt maximam vim imbrium deſcendiſſe, & quibuſdam in locis fumum quaſi aſcendere putares. Itaque aliquãto propius ad valles acceſſimus, vt hanc rem rectiſſime perſpiceremus. Pulchriorem ego regionem vel proſpectum antea non vidi, montes enim non erant continui, ſed ab inuicem pulcherrimis vallibus ſeparati, tellus firma & arenoſa, herba viridi veſtita & ornata erat, tam ad equitandum quam ad ambulandum idonea. Feræ nobis vbique obuiæ fiebant, & auium in arboribus ſuauiſſime modulantium infinitus erat numerus. Lapides omnes aurei & argentei videbantur, ita vt non exiſtimem hiſce ſimiles alibi reperiri. Sed cum inſtrumentis idoneis careremus & tantum pugiones nobiſcum haberemus, nõ potuimus lapides digitis eruere, vel aurum ex venis ſuis quæ in duriſſimis ſaxis abſconditæ erant effodere. Ex lapidibus quos nobiſcum ſumpſimus ; quoſdam poſtea in Inſula TRINIDATIS probauimus, & Hiſpano etiam cuidam de CAROCAS

Deſcriptio pulcherrimæ regionis.

monſtrauimus, qui dicebat venas aliquanto profundius latere.

Quidam meorum militum conuaſarunt ſine diſcrimine quicquid colorem tantum auri referebat, ſed deprehenderunt poſtea, quod MARCASITAM loco auri plerique accepiſſent. Equidem ego hoc iter non tam facile ingreſſus fuiſſem, niſi certus fuiſſem hanc regionem auri ditiſſimam eſſe, neque enim volupe mihi fuit tot miſeriis, morbis, curis & calamitatibus me ſubiicere, cibo & potu lautiori abſtinere, fœtoribus item & vigiliis corpus meum macerare, & commodum inde vel vtilitatem nullam referre vel expectare. Capitaneus VVHIDDON & chirurgus noſter, afferebant mihi lapides quoſdam, qui colore ſaphiros repræſentabant, ignoro tamen adhuc quid de illis ſenire debeam. Monſtrabam quidem eos ORENOQVEPONIS, ſed illi valorem ignorabant, affirmabant autem quod me ad montem quendam perducere vellent, qui eiuſmodi lapidibus eſſet refertiſſimus. Neſcio quidem an pro cryſtallo, adamante, ſaphyro vel alio quodam precioſo lapide eos habere debeam, ſed hoc tamen ſcio, locum iſtum, vbi inueniuntur, tam procul à nobis abeſſe, quam ille, ex quo lapides precioſi alii ad nos aſportantur.

Ad ſiniſtram fluminis CAROLI, habitant IWARAWAKERI, quorum EPVREMEI hoſtes ſunt. Ab vna parte ſcaturiginis eius, circa ſtagnũ CASSIPA, habitant populi CASSIPAGOTOS, EPARAGOTOS & AROWACOTOS, qui EPVREMEIS vna cum Rege INGA ſemper aduerſantur. Hic lacus CASSIPA tam latus eſt, vt vix integro die eũ CANOA aliquis traiicere poſſit, nã fere 40. miliaria Britannica in latitudine habet. Multa etiã flumina eum ingrediuntur, & in æſtate multa auri grana in eo reperiuntur, quæ per flumina illa in lacum iſtum exuberant.

Vltra fluuium CAROLI, adhuc alius conſpicitur fluuius nomine ARVI, qui verſus occaſum per lacum CASSIPA in fluuium ORENOQVE labitur. Inter hoſce duos fluuios admodum pulchra & frugifera Inſula ſita eſt, iuxta autem fluuium ARVI adhuc duo flumina labuntur, quæ ATOICA & CAROA dicuntur. In horum ripa homines habitare dicuntur, qui capita in humeris non habent, quod tametſi fictũ & fabuloſum videatur, veriſſimũ tamen eſſe credo, cum in AROMAIA & CANVRI vel infantes & pueri ea de re loquantur. Nominantur iſti homines EWAIPANO, capita in pectore, & os paulo infra pectus, crines vero circa humeros à tergo dependentes habent. Filius TOPIAWARI quẽ mecũ in ANGLIAM adduxi,

dicebat

dicebat mihi, eos terra præſtantiſſimos eſſe milites & fortiſſimos. Arcus & ſagittæ, quibus vtuntur, triplo maiores ſunt quam GVIANORVM vel eorum qui vocantur ORENOQVEPONI.

Quidam IWARAWAKERI ante annum, aliquem ex eis captum in ſuam patriam AROMAIAM adduxerat, cumque videret me hac de re dubitare, & vix ad credendum adduci poſſe, affirmabat eos ibi raros non eſſe, quin & validiſſimũ potentiſſimumq; populũ eſſe, dicebat, qui ante aliquot annos, multos ex parentis ſui ſubditis & vicinis aliis, interfeciſſent. Sed neſcio quo fato factum, quod ante meũ diſceſſum nihil de ipſis audierim, ſi enim vel vnicum de ipſis verbulum dixiſſem, cum ibi adhuc adeſſem, adiunctus mihi procul dubio aliquis fuiſſet, vt ita veritatem reipſa potuiſſem confirmare.

De hiſce hominibus etiam MANDEVILLE aliquid ſcripſit, quod tamen fictũ & falſum ſemper habitũ eſt, antequam perluſtrata occidẽtali India, veritas manifeſtata fuit. Sed tamen, cum ego illos ipſemet non viderim, nihil attinet plura de eis ſcribere. Poſt reditum meum ex CVMANA in Indiam occidentalem, accidit, vt cum Hiſpano quodam, viro admodum exercitato & perito loquerer, qui cum audiuiſſet me in GVIANA fuiſſe, interrogabat, an ẽt quoſdã EWAIPANOMAS, qui nulla capita haberent, vidiſſẽ, dicebatq; ſe multos eorum vidiſſe. Vir iſte notæ erat fidei, ſed parco ipſius nomini, ne ei hæc mea commemoratio vergat in ignominiam. Intercedit ipſi familiaritas cum filio MONSIEVR MOVCHERON Londinenſi, & cum PETRO MOVCHERON Belgicarum nauium inſpectori, qui iſthic loci mecum hæc omnia audierunt.

Quartus fluminis Caroli riuus, verſus occidentem, nominatur CASNERO, exonerat ſe cis AMAPAIAM in fluuiũ ORENOQVEN, multo maior eſt Danubio, vel alio aliquo in Europa fluuio, oritur in ea parte Guianæ, quæ ad auſtrum ſita eſt, vbi montes GVIANOS ab AMAZONIBVS diſcernunt, & videtur aliquot centum miliaribus Britannicis conficiendis patere, nos tamen hyeme præuenti flumina iſta omnia inquirere & perluſtrare non potuimus. Quamuis enim nulla in iſtis regionibus inter hyemem & æſtatẽ, quoad æſtum & frigus ſit differentia, & arbores ſemper virides folia nõ modo non deponant, ſed & fructus ſuos ſemper ſiue maturos ſiue non maturos habeant: Imo vno ſæpe & eodem tempore folia, flores, fructusque maturos & immaturos in arboribus cernere poſſis, nihilominus tamen copioſa in hyeme pluuia deſcendit, & fluuiorum maximæ contingunt inundationes, quin ad tempeſtates, maxima etiam & frequentiſſima fulgura & tonitrua accedunt, cum quibus in reditu noſtro non parũ luctati ſumus.

Primus fluuius, qui verſus occaſum in fluuium ORENOQVENSE exonerat, nominatur CARRI, iuxta hunc & alius fluuius LIMO dictus labitur. Inter hoſce duos fluuios habitat copioſiſſimus potentiſſimusq; populus, qui CANIBALES ſiue Anthropophagi dicuntur, quorũ metropolis vocatur ACAWACARI. In hac ciuitate forum eſt, in quo ſingulis diebus mulieres venum exponuntur, quæ duabus vel tribus ſecuribus venduntur. Emuntur autem ab ARAWACIS, qui in India occidentali eas rurſus permutant atque diuendunt.

Ab hoc fluuio LIMO verſus occaſum, conſpicitur fluuius PAO, poſt hunc, CATVRI, poſt hunc VOEARI & CAPVRI, qui ex magno flumine META proſilit. Et in hoc flumine BERREVS ex NVEVO REYNO de GRANADA in Guianam peruenerat: In occidentali plaga iſtius CAPVRI, ſita eſt regio AMAPAIA, in qua BERREVS ante hæc tempora hybernauerat, populo ſuo ab ANABIS aqua pluuiali extincto. Vltra AMAPAIAM verſus NVEVO REYNO, exonerant ſeſe in fluuium MEVAM duo flumina, PATO & CASSANA. Verſus occaſum circa prouinciam ASHAQVAS & CATEITOS, conſpiciũtur flumina BETA, DAWAII, & VBARO, & in finib. iſtis, verſus PERV, ſitæ ſunt regiones THOMOBAMBA & CAXIAMALCA. Ad QVITO verſus occaſum à PERV, cõſpiciuntur flumina GVIACVR & GOAVAR. In altero montiũ latere, de quibus ſupra diximus, labitur fluuius PAPAMENE, qui ſeſe exonerat in MARAGNONEM ſiue AMAZONVM fluuiũ, & fluit iuxta regionẽ MVTILONVM, vbi DON PEDRO de OSVA, à ſuo ALFERREZ ſiue ſignifero nefarie & perfide occiſus eſt, cuius rei ſupra mẽtionem fecimus. Inter DAVVNAII & BETA, celebris Inſula ſita eſt, quæ hodie BARAQVAN vocatur. Nã vltra fluuium METAM, nomẽ ORENOQVE ignotum eſt, & fluuius iſte vocatur ATHVLE. Sed eouſque nauibus onuſtis perueniri non poteſt, propter amnis velocitatem. Et hæc quidem de aquis fluminibusque his dixiſſe ſufficiat.

In fluuio ORENOQVE fere 1000. miliaria nauibus onuſtis abſoluere poſſumus, paruis vero & non onuſtis nauiculis 2000. Hoc flumine poſſumus in PERV, NVEVO REYNO & POPAIAN peruenire, protenditur ẽt ad regnum INGÆ, regiones AMAPAIAM & ANEBAS, quæ & ipſæ auro abundant. Amnes & riui eum ingrediẽtes, ex vallib. proueniunt,

quæ inter PERVVIAM & GVIANAM cõſpiciuntur, & tandem hic fluuius inter MARAGNONEM & TRINIDATIS ad duos gradus cum dimidio, in mare ſe exonerat. Eo tẽpore quo in ripa CANVRI cõmorati ſumus, omnẽ operam noſtram poſuimus, in populis qui in iſtis finibus habitant cognoſcendis, cumque populos iſtos diſcernere mediocriter poſſem, ſciremq; qui EPVREMEIORVM hoſtes eſſent, qui hoc tempore regionẽ GVIANAM poſſiderent, non videbatur mihi conſultum, plus ibi temporis perdere, præſertim cum ẽt fluuius ORENOQVE magno cum ſono & ſtrepitu indies magis augeretur, & ab imbribus aſſiduis magnæ inundationes fierent. Et ſane neceſſe etiam erat, vt miles meus veſtes mutaret, nemo n. præter eas, quibus indutus erat, alias ſecum portare veſtes potuerat, quæ quidem vel decies vno die aqua perfundebantur, ita vt eas mutare perquam neceſſarium eſſet, taceo, quod à nauibus etiam noſtris vltra definitum tempus menſtruum iam abfueramus.

Itaq; cum hactenus ſemper verſus occaſũ progreſſi eſſemus, iam mutato curſu verſus ortum nos conuertimus, vt fluuiũ iſtum, qui in mare ſeſe exonerat, rectius perluſtraremus, nam neceſſarium id omnino putaui, & ante hæc tẽpora eum nõ videramus. Poſtero die relicto flumine CAROLI reuerſi ſumus ad portum MOREQVITO, in quo ante etiam fueramus. Et quia ſecundo fluxu progrediebamur, vno die, etiamſi ventos cõtrarios haberemus, 100. miliaria Britannica abſoluere potuimus. Quamprimũ anchoras ibi noſtras firmaſſemus, miſi aliquos qui ſeni iſti TOPIAWARI id nunciarent, cum eo n. colloqui & conuerſari amplius decreueram, iuſſi ẽt eum rogari, vt aliquem ex ſuis nobiſcum in Angliã proficiſci permitteret, qui linguã & mores noſtros diſceret. Poſtquam hæc ipſi nuncius ſignificaſſet, & ad nos reuerſus eſſet, ipſe TOPIAWARI, eum poſt tres horas inſecutus eſt, & multi ex populis, qui in vicinia iſta habitant, cum eo, ſinguli aliquid ſecum afferentes, vt quaſi ex nundinis venire viderentur: quod quidem famelicis meis militibus gratiſſimum fuit ſpectaculum, quorum quilibet, quod ſibi conuenire maxime videbatur, apprehendit.

Poſtquam autẽ Rex in tabernaculo paululum quieuiſſet, iuſſi omnes ſecedere, ita vt ego ſolus cum interprete meo apud ipſum manerem. Quo facto, iuſſi ei ſignificari, me non ignorare, quod tam EPVREMEOS quam Hiſpanos, iuratos hoſtes haberet, quorum illi quidem GVIANAM in poteſtatem ſuam redegiſſent, hi vero iam terram iſtam vtrique parti eripere conarentur. Itaque me ſumma animi contentione petere atque rogare, vt quantum ſciret cognitumque haberet, non tantum de commodiſſimo tranſitu & via in terram GVIANÆ, ſed etiam de ciuitate & veſtito iſto populo Imperatoris INGÆ mihi exponeret.

Ad hæc interrogata reſpondebat ipſe, primo ſibi non videri conſultum, vt ad ciuitatem MANOA pergerem, propterea quod præſens tempus id non permitteret, neq; ẽt ego populo ſatis inſtructus eſſem ad propoſitum iſtud exequendum, certiſſimum enim eſſe, ſi cum exiguo iſto numero militum eo venirẽ, me cum omnibus meis interfectum iri, tantam n. eſſe Imperatoris iſtius potentiam, vt nihil proficere poſſemus, etiãſi plures nobiſcum eſſent. Porro id mihi conſilii dedit, vt ſemper in id incumberem, (nam quod ſuam quidem perſonam attineret, certiſſimum eſſe, ſe tamdiu non victurũ, donec nos reuerteremur) vt vicinorum populorum fauorem & beneuolentiam retinerem, & nihil tentarem niſi prius populos iſtos omnes quibus cum GVIANIS inimicitiæ intercedunt à meis partibus haberem. Sine n. ipſorum auxilio impoſſibile eſſe potentiam GVIANÆ infringere, propterea quod cõmeatũ nullũ habituri eſſemus, populo meo propter diuturnitatẽ itineris, & æſtus vehemẽtiã deficiente, niſi cõmeatũ & res alias neceſſarias à vicinis gentibus acciperemus. Se n. adhuc memoria tenere 300. aliquando Hiſpanos in valle ad MARCVREQVARAI cæſos & trucidatos eſſe, cum confecti itinere, nullos ex vicinis populis amicos haberent, & hoſtes, à quibus ex omni parte cincti erant, gramina & herbas in agris accenderent, & fumo eos maxima ex parte ſuffocarent. Referebat præterea, ciuitatem MARCVREQVARAI tãtũ quatuor dierũ itinere à ſuo regno abeſſe, quæ proxima ciuitas veſtitorũ & Imperatoris INGÆ ſubditorum eſſet, ex qua ciuitate omnia vaſa aurea, quæ paſſim haberentur, prouenirent, cum quæ in aliis ciuitatibus pararentur, longe meliora & variis imaginibus hominum, ferarum & piſcium exornata eſſent.

Poſtea interrogabam eum, an ẽt exiſtimaret, me cum populo iſto, qui tum mecũ erat, ciuitatem iſtam expugnare poſſe, cumque annuiſſet, quærebam, an etiam cũ ſuis ſubditis mihi adeſſe & ſuppetias ferre vellet, ad quod reſpondit, ſe cum vniuerſis vicinis populis mecum iturum, & mecũ fœdus facturum, modo aquæ iter iſtud non prohiberent, ſed ea tamẽ lege, vt poſt meum diſceſſum, 50. armatos ipſi in ſuo regno relinquerem. Verum ego affirmabam ipſi, me vltra 50. probatos milites mecum non habere,

reliquos

reliquos remiges tantum ſiue nautas & gregarios milites eſſe, præterea me non eſſe pro neceſſitate ſatis inſtructum puluere tormẽtorio, glandibus ſiue globis, veſtibus & aliis rebus neceſſariis, quas ipſis poſt meum diſceſſum relinquerem, quibus rebus deficientibus, ipſi ſeſe ab Hiſpanis & aliis tueri & defendere non diu poſſent, qui vindicaturi eſſent cladem quam in Inſula TRINIDATIS à me acceperant. Et quamuis Capitaneus CALFIELD & GREENVILLE cognatus meus, itemq; IOHANNES GILBERT, & alii, non recuſarent ibi reditum meum expectare, ego tamen certus eram, quod mortem euitare nõ potuiſſent. BERREVS enim quotidie nouum ex Hiſpania exercitum expectabat, & filius eius multis cum equitum peditumq; copiis, ex NOVO REYNO de GRANADA iamiam aduenturus erat, qui 200. iam equites in VALENTIA & CARACAS habebat. Ego vero etiam vix 40. militibus carere poteram, neque, vt antea dictum, inſtrumentis bellicis, ligonibus, aliisque neceſſariis rebus inſtructus eram.

Cum ego ipſi cauſas haſce, cur tot armatos ipſi relinquere nõ poſſem, propoſuiſſem, rogabat, vt ſeſe hac quidem vice excuſatum haberem, certum enim eſſe, EPVREMEOS, quamprimum ego ex portu ſuo diſcederem, ſe cum vniuerſo ſuo populo interfecturos, ſi nobis aduerſus eos auxilio veniret. Affirmabat etiam Hiſpanos mortem ſibi paraſſe, & iam pridem inſidias ſtruxiſſe, à quibus poſt interfectum ſuum cognatum MOREQVITVM, qui Dominus & Rex iſtius Regionis fuerat, in vincula coniectus, tredecim diebus inſtar canis per plateas tractus fuiſſet, donec 100. patinas auri, & aliquot catenulas precioſorum lapidum, lytron pro liberatione ſua ipſis dediſſet. Quin & interea temporis quo ipſe regno potitus eſſet, ſibi ab ipſis multas inſidias ſtructas dicebat, quas quidem maiores metuere neceſſum eſſet, ſi audirent, ſibi cum Anglis fœdus & amicitiam intercedere. Commemorabat præterea, quod in omnes occaſiones eſſent intenti, vt eum ex imperio & regno remouerent, captiuum enim (dicebat) meum cognatum APARACANO ſecum abduxerunt, eumque baptizatũ DON IVAN, filium vero ipſius DON PEDRO nominarunt, hos ad veſtes & arma aſſuefactos, in hoc regnum introducere vnice moliuntur. Præterea duxiſſe ſe vxorem dicebat magni nominis & familiæ ex vicinia LAVIANA, ſenio vero iam confectum, & morti vicinum non poſſe itinera & peregrinationes eas ſuſtinere, quas in iuuentute ſua ſuſtinuiſſet.

His de cauſis omnib. rogabat nos, vt hanc rem in annum ſequentem differremus, interea operam ſe daturum, vt omnium vicinorum populorũ animos nobis conciliaret, quo ẽt nauigatio & itinera melius commodiusque perfici poſſent, quam eo tempore, quo aquæ & flumina adeo creuiſſent, & etiamnum creſcerent, vt ea traiicere & ſuperare impoſſibile eſſet. Porro admonebat me etiam, ne ciuitatẽ MACVREQVARAI ſubito expugnarem, alias futurũ, vt omnium prouinciarum GVIANÆ odium in me concitarem. Olim, inquit, cum ego bellum cum EPVREMEIS gererem, ipſi omnes vxores noſtras cõſtuprabant, filiabus plane ſecum abductis, ita vt poſtmodum pro vxoribus liberisque magis nobis, quam vt auro & opibus ipſorum potiremur, pugnandũ eſſet. Quod cum dixiſſet, addidit grauẽ querelam, quaſi de re admodum ardua, quod cum antea 10. vel 12. vxores ipſis habere licitum fuiſſet, coacti nunc eſſent vltra tres vel quatuor non ducere, cum tamen Rex EPVREMEORVM 50. vel 100. ſemper haberet. Et vt verum fatear, magis ipſi inuicẽ propter vxores, quam propter regiones & imperia dimicabant. Reguli enim & principes iſtarum regionum in id vnice incumbebant, vt poſteritatem ſuam augerent, & multos ex ſeſe liberos procrearent, in quibus omnis ipſorum ſpes & fiducia poſita erat. Multi etiam ex miniſtris ipſius petebant, vt quam primum redirem, quo EPVREMEOS ſuperare & ſpoliare poſſent. Cumq; interrogarem, cur hoc exoptarent, reſpõdebant, vt nos ipſorum vxoribus, vos auro & argento potiamini. Magis enim propter vxores bellum gerunt, quam vt vel opes colligant, vel ereptas ſibi prouincias ab hoſtibus rurſus vendicent, & omnes populi, qui inter Regem INGAM & Hiſpanos habitant, admodum debilitati ſunt, ita vt ſubinde motu Hiſpanorum, loca magis remota petere cogantur.

Qua de re conqueſtus Rex iſte maxime fuerit.

Cur miniſtri Regis Epuremeos ſpoliare cupiant.

His omnibus auditis & perceptis, deliberauimus an cõſultum eſſet, MACVREQVARAI expugnata, belli aduerſus Imperatorẽ INGAM initium facere: Sed diſſuadebat id nobis incõmoditas temporis, & quod rebus ad hanc rem neceſſariis inſtructi non eſſemus. Impoſſibile enim erat flumina iſta traiicere, neque etiam ſatis virium habebamus, & præterea hyemem expectare amplius neceſſe non erat, quam præ foribus habebamus, nec diutius à nauibus noſtris abeſſe poteramus. His de cauſis non videbatur mihi conſultum eo quidem anno expeditionem iſtam ſuſcipere, quantumuis auri cupiditas eam ſuadere maxime videretur, id enim nobis magis impedimento fuiſſet, quam adiumento, ſi forte alio tempore Regia Ma-

ieſtas in iſtis regionibus aliquid tentare voluiſſet: ſi enim nos, qui Hiſpanorum hoſtes nos profitebamur, & à Maieſtate Regia in iſta loca miſſos eſſe dicebamus, vt ea ab Hiſpanis tuta redderemus, animaduertiſſent, regioni & opibus ipſorum æque ae Hiſpanos inhiare, ipſi proculdubio poſtmodò cum Hiſpanis vires ſuas aduerſus nos coniuncturi fuiſſent. Iam autem ipſis de conſilio & mente noſtra cognitum nihil eſt, neque etiam de auri cupiditate, quæ ſola nos eo perduxerat. Et dubium mihi nullum eſt, eos, ſi Maieſtas Regia periculum facere aliquod voluerit, multo promptiores futuros ad imperium Regiæ Maieſtatis, quam Hiſpanorum admittendum, cum crudelitatem Hiſpanorum vicini iſti populi fere omnes iam experti ſint.

Antequam igitur de voluntate Regiæ Maieſtatis mihi conſtaret, intermittere potius volui direptionem vnius atque alterius ciuitatis, licet magnas nobis opes & diuitias afferre potuiſſent, quam futuram ſpem omnem conuellere & turbare; quæ multorum millium eſſe, & opulentiſſima Anglorum mercimonia augere mirum in modum poterit. Neque vero etiam dubito, quin incolæ eius regionis nobis fideliſſime adfuturi ſint contra Hiſpanos, ſpe futuræ ab ipſorum iugo liberationis. Quod ſi autem vicinis locis deuaſtatis, dynaſtas & populum iſtum extirpaſſem, omnem ſimul ſpem vanam & irritam reddidiſſem. Et vt in præſentia TOPIAWARVM iſtum, Toparcham ARROMAIÆ liberum dimitterem, in cauſa erat, quod non poteram ei præſtare quod tum quidem temporis à me petierat. Itaque concluſi propoſitum meum in ſequentem annum differre. Ipſe quidem filium ſuum mihi adiunxit, qui mecum in Angliam iret, ſperans fore, vt ſiquidem morti vicinus eſſet, ipſe filius noſtra ope in regno ſibi ſuccederet & confirmaretur. Ego contra FRANCISCVM SPERRON, famulum CAPITANEI GIFFORDI, qui calamo regionem eleganter depingere poterat, vna cum meo puero HVGONE GOODWIN, apud eum reliqui, vt linguam interea addiſcerent.

Poſtea interrogabam eum quis vaſa iſta aurea pararet, & quomodo aurum iſtud ex duriſſimis ſaxis eruere poſſent. Ad hoc reſpondebat, aureas iſtas imagines non ex auro iſto factas, quod in ſaxis hæreret, ſed ex illo quod iam ſeparatum ex ſtagno & aliis in ciuitate MANOA fluminibus colligerent, vbi inſtar arenæ reperiretur, eſſe tamen iſtud aurum intractabile, niſi cum ære permiſceretur. Habere autem eos vas quoddam fictile multis foraminibus pertuſum, in hoc aurum iſtud ære admixtum ponere, & poſtea admoto ad foramina iſta calamo, ignem ore inflare, donec metalla iſta ſoluantur & liquefiant: Quo facto, fundere eos aurum iſtud liquefactum in omnis generis typos, quos ex lapidibus & ſaxis ad hanc rem paratos haberet. Ita fiunt pulcherrimæ iſtæ imagines, quarum ego duas ad Maieſtatem Regiam tranſmiſi, vt artificium conſpiceretur, non quod eſſent quantiuis precii. Summo autem ſtudio eos celaui, iſtum nobis finem propoſitum eſſe, vt auro potiremur, propterea quod tempus nos deficeret, & milite non eſſemus ſufficienter inſtructi. Quin & ipſis fere plus auri à me donatum eſt, quam ego ab ipſis acceperam, ſuſpendi enim à collo ipſorum imaginem Reginæ noſtræ, cui perpetuam ſubiectionem promittebant.

Tranſ-



Tranſmiſi etiam ad Maieſtatem Regiam aurea quædam mineralia, quæ ſcio tantæ eſſe præſtantiæ, quantæ vllibi inueniri poſſint; multa autem eorum copia hic reperitur. Verumnos, præterquam quòd ibi commorari diutius non poſſemus, nullis idoneis inſtrumentis inſtructi eramus, vt perfoſſa terra, ea inquirere potuiſſemus. Vbique tamen aurum & argentum cernebatur, & nos deprehendimus non MARCASITAM eſſe, ſed illud quod Hiſpani *la madre del oro*, id eſt, matrem auri nominant.

Diſcedunt à ſene iſto Rege.

Poſtquam igitur in CANVRI & AROMAIA de omnibus probe inſtructus fuiſſem; & à præcipuis regionis gubernatoribus iuramento mihi confirmatum eſſet; quòd vellent Regiæ Maieſtati ſubiecti eſſe, & Hiſpanis omnibus modis reſiſtere; ſi in noſtra abſentia ad loca iſta reuerterentur; quod præterea etiam ſibi coniungere vellent omnes vicinos populos; vtpote IWARAWAQVEROS, CASSIPAGOTOS & alios; diſceſſi à ſene iſto TOPIAWARO aſſumpto mecum in Angliam filio eius in confirmationem fœderis inter nos initi. Mandaui autem prius ſupra dicto SPARROWE vt cum iſtis mercibus, quas ei reliquerã, in MACVREQVARI proficiſceretur, vt omnem iſtius loci cõmoditatem & ſtatum inquireret, & ſi fieri poſſet, in magnam ciuitatem MANOAM ſeſe conferret. His ita confectis ſoluimus paulatim in ripa GVIANÆ progredientes, donec ad fines SAYMA & VVIKIRI veniſſemus.

Caßiqui quidam promittit ei, ſe monſtraturum montem aureum.

Profectus eſt autem nobiſcum ex AROMAIA, CASSIQVVS PATYMA, qui nouem illos Hiſpanos vna cum Monacho ad fluuium CAROLI de voluntate & iuſſu MOREQVITO interfecerat. Hic rogabat nos, vt in portu regionis ſuæ pauliſper moraremur, velle ſe nos in montem quendam non procul à ciuitate ſua ſitum, ſecum ducere, cuius lapides aurei coloris eſſent, quemadmodum etiam poſtea ab eo factum. Nam cum per noctem ibi quieuiſſemus, progreſſi ſumus ſequenti die ad montem iſtum ingredientes circa ripam fluminis MANA, relicta ad dextram ciuitate TVTERITONA in regione TARRACONIS ſita. Non procul ab iſta ciuitate verſus auſtrũ in valle AMAROCAPANA alia ciuitas conſpicitur, eiuſdem cum valle nominis, quæ vallis ad 60. miliaria verſus ortum ſeſe extendit; & pulcherrima eſt regio, labitur & fluuius per eam, qui omnis generis piſcibus abundat; quin etiam ſyluis & arboribus exornata eſt, in quibus multæ feræ reperiuntur. Huic regioni præeſt quidam CASSIQVVS qui IRROPAROGATA vocatur.

A flumine MANA peruenimus ad fluuiũ

OCAIA, qui etiam per vallem iſtam deriuatur, & quieuimus pauliſper ad lacum quendam, qui in medio vallis erat, ibi quidam ex illis, qui nobiſcum ierant, ignem extruxit, ad quem induſia noſtra ab æſtu & ſudore humida facta, rurſus ſiccaremus, poſtea ad mõtem ICONVRI perreximus, de cuius lapidibus PATYMA nobis dixerat. In lacu iſto cõſpeximus piſcem magnitudine ingentis dolii, quem MANATVM nominant, boni & ſalutaris cibi, cum autem audirem, fere dimidium diem iſto itinere adhuc conſumendũ, & ego deprehenderem, vires meas abſumptas & debilitatas, ita vt æſtum iſtum ferre diutius non poſſem, miſi Capitaneum KEYMIS & 6. milites, qui ad montem iſtum progrederentur, addito ipſis mandato, vt non reuerterentur ad portum iſtius PVTYMÆ, cuius nomen erat CHIPAREPARE, ſed ad fluuium quendam CVMACAM, apud quem eos expectare vellem, PVTYMA autem promiſit, ſe eos eo comitaturum.

Ipſi igitur progreſſi iter fecerunt in latere EMPAREPANA & CAPEREPANA, ab ædibus vero PVTYMÆ per vallẽ AMARIOCAPANAM profecti ſunt. Nos autem eo die adhuc ad portũ peruenimus, & multa ſaxa ſcopulosq; conſpeximus, tantæ pulchritudinis, ac ſi merum aurum argentumq; fuiſſent, ad ſiniſtram etiam ex eiuſmodi ſaxo totum mõtem vidimus. Soluentes igitur ſecundo flumine, in ripa PARINO nauigauimus vſq; ad regionem ARIACOÆ, vbi ORENOQVE in tria pulcherrima flumina diuiditur, ibi Capitaneum HENRICVM THYN & Capitaneum GREENVILL, cum triremi via proxima pergere iuſſi. Ego autem aſſumpto Capitaneo CALFIELD, EDOWARD PORTER, & Capitaneo EINOS, cum nauiculis noſtris & celoce, brachiũ ORENOQVES, CARAROOPANA dictum ingreſſi ſumus, cuius ductus pertingit in regionem EMEREIAM, vbi CARAPANA dominatur, & in mare verſus ortum ſeſe exonerat, partim vt Capitaneum KEYMIS ibi reciperem, quem terra eo proficiſci iuſſeram, partim etiam vt amicitiam cõtraherem cum CARAPANA, qui ex præcipuis dominis inter ORENOQVEPONOS vnus eſt, cumq; ad fluuium CVMACAM veniſſemus, ad quẽ PVTYMA promiſerat Capitaneum KEYMIS deducere, relictis ibi Capitaneo EINOS & EDOWARD PORTER, vt eum expectarent, nos cæteri, fluuio ad EMEREIAM progreſſi ſumus.

In hoc fluuio CARAROOPANA multas pulcherrimas Inſulas conſpeximus, quarum quædam 6. quædam 10. quædã 20. miliaria Britannica longæ erant. Circa veſperã autẽ iſtius diei, ingreſſi ſumus alium fluuium, qui in ORENOQVEN ſe exonerat, & VVINECAPARA vocatur, vbi nobis dicebatur de monte cryſtallino, ad quem tamen nobis propter longitudinem itineris, & aſſiduas pluuias, ire impoſſibile erat, conſpeximus tamẽ eum ẽ longinquo, inſtar altiſſimæ turris dealbatæ. In vertice ſiue cacumine montis iſtius maximus fluuius exiſtit, qui ad nullum latus pertingit, ſed poſtea tanto impetu montem iſtum deſcendit, vt ſonum tam magnum, ac ſi 1000. campanæ pulſarẽtur, edat. Non credo in toto mundo eius ſimilem reperiri. BERREVS dicebat mihi, montem iſtum etiam adamantinos, & alios precioſos lapides generare, qui à magno interuallo cernerentur. Sed tamen neque ipſe, neque populus ſuus montem iſtum conſcendere audebant, propter odium omnium vicinorum populorum erga eum.

In hoc flumine VVINECAPARA quieuimus paululum, & in terram deſcendimus, ingredientes ciuitatem à flumine iſto denominatã, quam gubernabat TIMITVVARA, qui etiam ſtudiũ mihi ſuum deferebat, quod vellet me in montem VVACARIMA perducere. Cum ædes huius TIMITVVARÆ ingrederemur, celebrabant ipſi ſolenne aliquod feſtũ, & omnes probe inebriati erant, quin & nos multis poculis exceperunt, quod quidem nobis itinere defatigatis gratiſſimũ erat, ſed tamen paululo contenti eramus, propterea quod potus ipſorum admodum eſſet inebrians, qui ſtatim capitibus noſtris nocebat. Cum igitur ſatis potu iſto nos recreaſſemus, reuerſi ſumus ad nauiculas noſtras, quas in flumine reliqueramus.

Paulo poſt autẽ, antequam adhuc ſolueremus, veniebant ad nos omnes iſtorum populorum Toparchæ, afferentes ſecum cibos, quos terra iſta produceret, omnis generis, nempe vinum ex PINIS factum, gallinas, & alia, itemq; PIEDRAS HVADAS, hoc eſt, Epaticos lapides precioſos. Ex hoc Domino de VVINECAPARA audiebamus, Dominũ CARAPANAM de EMEREIA, quæ iam nobis in conſpectu erat, in CAIRAMO fugiſſe, quæ ſita eſt in montibus GVIANÆ, vltra vallem AMAROCAPANA, decem enim Hiſpani, qui in ædibus ipſius erant, ipſi perſuaſerant, nos veniſſe, vt eum cum vniuerſo ſuo populo perderemus.

Sed cum CASSIQVI ex VVINECAPARA & SAPOCATANA, dominio nimirum & poteſtati ipſius ſubiecti, viderent, nos in iſta loca tanquam hoſtes Hiſpanorum veniſſe, & nemini ex omnibus populis vllam iniuriam, imo ne illis quidem, qui Hiſpanis erant addicti, intuliſſe, pro certo promittebãt, CARAPANAM tam promptum & paratũ futurum

ad omnia

ad omnia humanitatis & beneuolentiæ officia nobis exhibenda, quam alii fuiſſent, per quorum regiones eſſemus profecti. Dicebant autē, hunc CARAPANAM in hodiernū vſq; diem non audere cum aliis populis amicitiam & ſocietatem facere, quam cum Hiſpanis, quibus regio iſta omnium proxima eſſet, per quam etiam ipſi iter in GVIANAM facere ſolent, tanquam per regionem vndiquaq; apertam. Quin & hoc dicebant, eum non propterea fugiſſe, quaſi noſtrū aduentum timeret, ſed vt ab Hiſpanis liber eſſe poſſet. Regio enim CAIROMA ſita eſt ad radices montium, quibus valles GVIANÆ ab ORENOQVEPONIS ſeparantur, vnde ipſe ſeſe, ſi quis ciuitatē ſuam expugnaret, ſtatim trans montes in GVIANAM ad EPVREMEOS poterat conferre, quo ipſum Hiſpani ſine maxima potentia ſequi non poſſent.

Carapani Aſtutia. Sed ego exiſtimo hunc CARAPANAM tanquam prudentiſſimū, & per ætatem (erat n. fere 100. annorum) exercitatiſſimum virum, hanc potiſſimum ob cauſam ex ſuo regno ſeceſſiſſe, vt abſens eo melius videret, qualis noſtrarū rerum exitus futurus eſſet, & ſi viribus & robore pollentes reuerteremur, ipſe quoq; nobis ſeſe dederet, ſin vero minus, haberet tamen quod coram Hiſpanis prætenderet, & quo ſeſe excuſaret, quaſi metu noſtri aduentus fugiſſet.

Enumeratio aliquot fluminum ex Orenoque profluentium. Itaq; ſuperuacaneum arbitrabamur, fluuium iſtum rurſus remeare, & vulpeculam hanc annoſam quærere, ſed receſſimus à fluuio VVINECAPARA, qui in EMEREIAM ducit, quatuor iſtis fluminibus quæ ex ORENOQVE promanant, & VVARACAPARI, COIRAMA, AKANIRI & IPARONIA vocātur, verſus ortū relictis. Præter hæc quatuor flumina, ēt alia ex ORENOQVE in mare verſus ortum ſeſe exonerant, quæ vocantur, ARATVRI, AMACVRA, BARIMA, VVANA, MAROACA, PAROMA & VVINNI. Quin adhuc 14. flumina inter ORENOQVEN & AMAZONES conſpiciūtur, quæ omnia etiam per iſtam terram in mare labuntur, & ab ARWACIS atque CANIBALIBVS, qui anthropophagitæ ſunt, habitantur.

Quomodo ex portu Emereiæ ſoluerint. Cum poſtea nauigaremus verſus ſeptentrionem, arduum nobis obiiciebatur iter, quo rurſus ex portu EMEREIÆ ad caput fluminis CARARVPANÆ eundum erat, vbi nos à triremi prius ſeparaueramus, quam proxima via ad portum TOPARIMACÆ dimiſeram, in quo portu primum ingreſſum in regnum GVIANÆ didiceramus.

Nox ea illunis & tenebricoſa erat, præterea etiam magna tempeſtas extitit, vt cogeremur in ripa fluminis ceſſare, vbi nō parum turbati ſumus nimia velocitate fluminis.

Verſus ortum aſſequebamur tandē oſtiū fluminis CVMACÆ, vbi Capitaneū EINOS & EDOWARD PORTER reliqueramus, vt Capitaneum KEYMIS ibi expectarent, qui terra eo venturus erat, cumque eo veniſſemus, nullum adhuc de eo nuncium acceperant, vt dubitaremus de ipſius fortuna, progreſſi autem ſumus in flumine LEGVAM vnam atq; alteram, & ſubinde ſclopetis eiaculabamur, vt audiret nos ibi adeſſe. Sequēti igitur die ipſum eiaculantem rurſus audiuimus, cumq; aduenitſſet, recepto eo, valediximus eius comiti POTYMÆ, atq; ita diſceſſimus, qui quidem noſtrum diſceſſum ægre admodum ferebat, & promittebat ſe mihi filium ſuum adiuncturum, ſi modo ibi expectare vellemus, donec ipſe ex ciuitate adduceretur. Sed nobis propter ſubinde creſcentem ORENOQVES ſtrepitum, expectare ibi diutius integrum non erat. Itaq; verſus occaſū rurſus perreximus, donec ad ſupradictā diuiſionē ORENOQ; veniremus, vbi ſecundo flumine noſtram triremem petiimus.

Poſtero die ad Inſulam ASSIPANAM appulimus, quæ fluuiū ab alueo iſto, quo EMEREIAM antea petiimus, ſeparat, ibi comedimus de ARMADILLO animali, quod in VVINECAPARA primo videramus. Et ſequenti die inuenimus triremē noſtrā in portu TOPARIMACÆ. Eodē die inter tonitrua & fulgura nobis erat nauigandum, ſiquidē hyems iam aderat, quamuis autē vno die, 100. Britannica miliaria conficere poſſemus, impoſſibile tamen erat iſto itinere rurſus reuerti, quod prius ingreſſi fueramus, fluuio enim AMANA, qui circa GVIANAM in lacum ſeſe exonerat, remeare omnino non poteramus, propterea quod fluxus maris eo in loco fortiſſimus erat & rapidiſſimus, quo verſus ortū à nauibus noſtris abducti ſumus. Quin & ventum ſecundum habebamus quo tum etiam nobis opus erat, tanto namque interuallo in mari nauigandum nobis erat, quantum eſt inter GREVELINGAM & DOVERAM, idque cymbis vel nauiculis noſtris, vt antea dictum.

Cum ad littus maris veniſſemus, in maximo eramus periculo, periculoſiſſimum enim iter adhuc reſtabat, vt ita in triſtiſſimo & deſperato quaſi ſtatu tum verſatos nos eſſe, vere affirmare poſſim. Ea enim nocte, quā circa oſtium, quo flumen CAPVRI in mare ſeſe exonerat, quieuimus, aquæ tam ſubito creuerunt, vt cogeremur cum nauiculis noſtris ad terram appellere, & triremem quoque ad littus adducere, multo eam labore retinentes & conſeruantes, ne mergeretur.

Quod ad me attinet, dubitabam profecto quid

quid facerem, an triremem ingredi, quæ admodum onuſta ad duas LEGVAS arenam cogebatur prætern auigare; vbi aquæ profunditas non niſi ſex pedũ eſſet, an verò cum celoce mea in tanta tẽpeſtate, mari me credere deberem; & quo diutius iter differebamus, eo tempeſtates & procellæ maiores fiebant; itaque aſſumpto ad me Capitaneo CALFIELD, Gifford, & cognato meo GRENVILL, cùm celoce circa noctis medium, quo tempeſtates paululum ceſſarant, mare ingreſſus ſum, relicta poſt nos triremi, quæ propter aduenientem auroram nõ audebat nos ſtatim ſequi, atque ita non ſine mœrore in mari progreſſi ſumus, donec circa horam nonam ante meridiem Inſula TRINIDATIS nobis appareret. Qua viſa, vt proxima via proficiſceremur, progreſſi ſumus in littore, & diligenter cauimus, ne à flumine abriperemur; tandem igitur in CVRIAPAN peruenimus, vbi nauem noſtram, magna cum lætitia in portu conſpeximus, & adhuc ſaluam Dei beneficio inuenimus.

Poſtquam nos igitur Deus ſaluos & incolumes ad naues noſtras reduxit, neceſſarium iam fuerit, vt GVIANA, verſus ſolem, quem adorant, relicta, nauigationem noſtram verſus ſeptentrionem dirigamus. Quod antequam fiat, breuibus deſcriptionem GVIANÆ hic concludam, facta enumeratione præcipuarum, quas in itinere iſto vidimus perluſtrauimusque regionum & prouinciarum.

Sũmaria enumeratio omniũ regionum, quas in itinere viderunt.

Cum primum AMANAM fluuium eſſemus ingreſſi, qui ab ORENOQVE in mare labitur, reliquimus CANIBALES, homines immanes, ad dextram, circa oſtium maris, ex oppoſito Inſulæ TRINIDATIS ſitum, quod habitatur à quibuſdã ex GVANIPA & BERRESE. In hoc oſtium alius adhuc fluuius labitur AROE dictus, qui ex PARIA verſus CVMANAM fluit, & habitatur à VVIKIRIS, quorum præcipua ciuitas fluuium SAYMA adiacet.

In hoc igitur oſtio concurrunt tantũ tres iſti fluuii quos dixi, qui tamen tempore hyemis tanto cum impetu & copia, in mare prolabuntur, vt ad 3. LEGVAS in mari aquam dulcem haurire poſſis. In itinere verſus GVIANAM, omnes Inſulæ, quæ paſſim in fluuio ORENOQVE diſperſæ conſpiciuntur, habitantur populis, quos TINITIVAS nominant; qui tamẽ in duas nationes diuiſi ſunt, quarum vna CIAWARI, altera VVARAWETI nominantur, & perpetua inuicem bella gerunt.

In ſuperiori parte ORENOQVES, ſita eſt TOPARIMACA, & VVANICAPORA, vbi habitant NAPOIOS populi, ſubditi nimirũ CARAPANÆ, Domini in EMEREIA. Inter VVANICAPORA & portum MOREQVITO, in regione AROMAIA, qui habitant, quemadmodũ & illi qui in vallib. AMAROCAPANA habitãt, omnes ſunt ORENOQVEPONI, qui ante hæc tẽpora MOREQVITO ſubiecti fuerunt, iam autẽ ſubiecti ſunt TOPIAWARO. Ad fluuium CAROLI habitant CANVRI, quibus fœmina imperat, quæ hæres eſt iſtius regionis. Hæc fœmina ex longè diſſito loco ad me venit, vt populum meum videret, & multa me de Regia Maieſtate interrogans, admodum mirata eſt potentiam, dignitatem & virtutes eius, quas ipſi enumerauimus.

Ad lacum CASSIPA, vbi fluuius CAROLI ſuam originem habet, habitant tres potẽtiſſimi populi ex illis quos CASSIPAGOTOS vocant: verſus auſtrum habitant CAPVREPANI & EMPATEPANI, & poſt illos nõ procul à MACVREQVARAI qui Imperatoris INGÆ primi ſubditi ſunt, habitant IWARAWAKERI. Hi omnes iam pridem ſeſe hoſtes Hiſpanorum & EPVREMEORVM declararunt. Verſus occaſum à flumine CAROLI habitant varii populi CANIBALVM, item EWAIPANOMA, AMAPAIAS & ANOBAS, qui etiam auro abundant. Qui verſus regionem PERVANAM habitant, de illis in præſentia nihil dicemus.

In plaga ſeptentrionali fluuii ORENOQVES ſunt VVIKIRI & SARMI, qui omnes Hiſpanorum iurati hoſtes ſunt.

Verſus auſtrum, ad oſtium ORENOQVE, ſunt ARWACAS, & aliquanto vlterius habitant CANIBALES, & ab his auſtrum verſus AMAZONES.

De variis animalibus, auibus, piſcibus, frugibus, floribus, GVIAMI, & Glycirrhiza, quemadmodũ etiam de religionib. & ſtatutis eorum variis, ſi exactè ſcribere vellem, poſſem librum tantæ magnitudinis conficere, quantæ Geſneri opus eſt, & de reſiduo adhuc multas Decadas complere.

De religione horum populorũ.

EPVREMEI eandem habent religionem, quam habent populi quos INGÆ & Imperatores ſecum ex PERV attulerunt, qua de re legi poteſt copioſe in CRIECA & aliis ſcriptoribus Hiſpanis, credunt enim immortalitatem animarum, adorant ſolem, & vxores, quas chariſſimas habuerunt viuas, quẽadmodum etiam theſauros ſuos ſecum ſepeliri iubent. Quæ omnia etiam in PERVANA regione ita ſunt in vſu.

Sepultura horum populorum.

ORENOQVEPONI poſt mortem non ſepeliuntur cum vxoribus ſuis, ſed volunt, vt cum omnibus ſuis theſauris & clinodiis ſepeliantur, ſperant enim & credunt ſe poſt hæc tempora illis rurſus potituros. Contra ve-

tra vero ARVVACAS in vſu habent, vt ſi aliquis ex magiſtratu ſuo, vel vxor, vel aliquis amicus moriatur, poſt eorum ſepulturam, carne plane abſumpta, oſſa effodiant, eaque in puluerem contuſa, potui ſuo admiſceant atque conſumant.

In PERVVIANORVM ſepulchris omnes fere eorum theſauri reperti ſunt, idem etiam in hiſce regionib. tentari poterit, multas ducunt vxores, ita tamen vt principes ipſorum quintuplo plures habeant quam ciues alii. Vxores nunquam cum viris vel in virorum ſocietatibus cibum capiunt, ſed menſæ miniſtrant, & peracto prandio vel cœna cibum ſeorſim in loco quodam ſeparato capiunt. Quæ annos iuuentutis egreſſæ ſunt, pinſere panes, conficere potum, lectulos goſſypinos parare, & alia opera domeſticā peragere ſolent. Viri vero quando à bellis liberi ſunt, nihil aliud agunt, quam vt venationibus, piſcationibuſque operam dent, & poculis aliiſq; voluptatibus ſeſe oblectent, ſed ceſſo iam de religionibus ſtatutis & moribus eorum plura ſcribere.

De ciuitate autem MANOA nihil attinet ea ſcribere, quæ ex aliorū relatione accepi, cum ipſe ibi nō fuerim. Illud tamen tranſire non poſſum, quod Imperator INGA in ciuitate MANOA ſplendidiſſimam arcem extruxiſſe dicitur, ad eam formam, qualis in PERV olim à maiorib. ſuis extructa fuerat, qui quidem quoad opes & potentiam omnes in EVROPA principes longe ſuperarunt, ſolis CHINENSIBVS exceptis. Hoc mihi pro certiſſimo ab Hiſpanis, quos mecum habebam, affirmatum eſt, qui ēt dicebant, omnes incolas vicinarum regionum, qui reſpectū GVIANORVM meri SALVAIS, id eſt, barbari homines ſint, theſauros ſecum ēt ſepelire ſolere. Quemadmodum etiam ego poſtmodum in iſta terra audiui, quendam CASSIQVVM ſiue Dominum in valle AMARACAPANA paulo ante aduentum meum, in aurea ſella ſepultum fuiſſe, quæ pulcherrime & artificioſiſſime in ciuitate MACVREQVARAY, vel in ciuitate MANOA facta fuerat. Sed ego eos in religione turbare, vel aliquid ex terra eruere nolui, priuſquam cognoſcerem, ratumne conſilium & propoſitū meum, apud Maieſtatē Regiam haberetur nec ne, ne animos eorum à nobis aliquo modo alienarem. Quod ſi autem in regno PERVANO tanta vis auri fuit reperta, cuius INGÆ Domini fuerunt, dubium mihi nullum eſt, modernum Imperatorem in ciuitate MANOA auro æque abundare, quin certus plane ſum, plus auri in hac regione reperiri quam in PERV, & omni occidentali India.

Iam ad ea rurſus reuertor, quæ corā vidi, & vera eſſe noui. Qui cupiunt multas & varias regiones perluſtrare, eorū deſiderio hic fluuius abunde ſatisfacere poterit, ſiquidem multos adhuc riuos habet, qui aliquē in longe diſſita loca, vltra 2000. miliaria Britannica, ab ortu ad occaſū, & 800. miliaria, à meridie verſus ſeptentrionem perducere poſſunt, quin & auro aliiſq; precioſiſſimis mercibus repleti ſunt. In hiſce locis gregarii milites pro auro dimicaturi ſunt, & ſtipendia inter ſeſe maximis auri fruſtis diſtribui poſſunt, cū aliis in bellis pro ſolo cibo corpora ſua infinitis periculis exponere cogātur. Duces & gubernatores bellorū, qui honores & aurū ſitiunt, hiſce in regionibus plures ciuitates, ædificia & tēpla, precioſiſſimis pulcherrimiſq; ex auro ornata imaginibus, plura itē ſepulchra ampliſſimis theſauris referta, inuenient, quam CORTESIVS in MEXICO vel PIZARRVS in PERVVIA inuenerunt, vt ita expugnatio harum regionum, omnes Hiſpanorum hactenus inuentas prouincias & regiones facile obſcuratura ſit.

Laus regionis Guianæ.

Nulla eſt regio, quæ populos & habitatores ſuos oblectare magis poſſit, quā GVIANA: Tot habet valles & flumina, tot auibus & animalibus aliis abundat, vt enumerari omnia non poſſint. Reperiuntur etiam ibi animalia, quæ CAMA ſiue AMA ipſi nominant, magnitudine bouis Anglicani. Quod ſi de omnibus rebus in ſpecie & peculiariter ſcribere vellem, nimis id longum foret, itaq; illis omiſſis, hoc ſaltē dicam, nullam eſſe ditiorem, ſalubriorem & pulchriorem terram, quam hanc ipſam regionem GVIANAM, in qua homines centum annos viuere poſſunt. Nos profecto in ea regione ſub dio ſemper dormiuimus, & tamen toto eo tempore nihil inter meos morbi animaduerſum eſt. GVIANA non tantum auro ſed & aliis precioſiſſimis mercibus abundat, verſus auſtrū enim creſcunt Braſilienſes arbores, optimi & præſtantiſſimi coloris, ita vt etiam fœminæ ad fucandam faciem lignum iſtud adhibeant.

Goſſypium in omnibus locis reperitur, vt & ſericum & balſamum, quale in tota Europa non extat, gummi item, & piper Indicum, & aromata alia ibi inueniuntur, quorum nomina propter temporis anguſtiam inquirere omnia non potuimus. Terra paſſim riuulis & fontibus ſcatet, vt meo quidem iudicio ad ſaccarum, gingiber, & alia aromata producenda non minus idonea eſſe poſſit, quam terra, quæ in India occidentali reperitur.

Nauigatio hæc breuis eſt, poteſt enim cōmune & vulgari vento abſolui ſpacio ſex menſium, ita vt eo tempore domum quis

rurſus

rurſus reuertatur. Neque etiam tam multa ſaxa, ſcopuli, portus, hoſtes, regiones, tumuli arenarii ſiue puluini & alia id genus prænauiganda ſunt, quemadmodum in India occidentali & alibi, vbi eiuſmodi pericula non raro alicui obiiciuntur, quemadmodũ etiam in CANAL ſiue fluuio BAHAMA, qui ex India occidentali prouenit, in quo hyberno tempore omnino non nauigari, aliis vero temporibus non ſine ingenti periculo poteſt.

Præterea etiam omnis India hac terra excepta variis morbis eſt obnoxia, & BERMVDAS, plane infernalis locus propter tempeſtates, fulgura & tonitrua eſſe videtur. Hoc præſenti anno 17. Hiſpanorum naues in CANALI BAHAMA ſubmerſæ ſunt, vbi parum abfuit, quin Philippus Magnus extingueretur, qui etiam, cum ad BERMVDAS veniſſet, retroactus eſt vſque ad S. IVAN de PVERTO RICO. Et hoc quidem fere quotannis fieri ſolet, quod in hoc itinere extimeſcendum non eſt.

Optimum tempus ex Anglia in Guianam nauigandi

Optimum tempus ex Anglia ſoluendi, eſt menſis Iulius, ſic enim circa æſtatem in GVIANAM quis venire poteſt. Qui menſibus Octobri, Nouembri, Decembri, Ianuario, Februario & Martio, ibi commoratur, & menſe Aprili rurſus inde ſoluit, is in Angliã circa menſem Iunium reuertetur. Et profecto hæc ſatis magna eſſe poſſunt ad excitandos & confirmandos eorum animos, qui hoc iter ingredientur, & alterum quoque iter in Indiam occidentalem, ſicut ego, exploratum habet, quod maximis tempeſtatibus periculisque expoſitum eſt.

Sed vt paucis dicam, GVIANA adhuc puta & intemerata virgo eſt, nunquam enim adhuc ſpoliata, victa, ſuperata fuit, terra ipſius nunquam adhuc perfoſſa & aperta eſt, ſepulchra ipſorum nondum propter theſauros diruta ſunt, imagines & aureæ ſtatuæ in templis ipſorum nunquam adhuc viſæ, nedum ab aliquo Chriſtiano principe deturbatæ & diſiectæ ſunt. Quin imo potentia & vires huius regni nondum tentatæ & exploratæ ſunt. Et ſatis munita eſt aduerſus omnem impetum, ſi duo ſaltem propugnacula in quadã prouincia, quam ego vidi, extruerentur, tum enim nulla nauis fluuium iſtum percurrere poſſet, quin vnum ex iſtis propugnaculis tranſire cogeretur. Et ſufficere poſſent hæc duo propugnacula, non ſolum ad defendendum Regnum GVIANÆ, ſed etiam ad 100. alia, quæ paſſim circa iſtum fluuium reperiuntur.

Guiana tantũ vnũ habet acceſſum.

GVIANA etiam vnum tantum in mari ingreſſum habet, quo onuſtis nauibus ad eam venire poſſimus. Quare qui regionem iſtam aliquando occupabit, is deprehendet, non poſſe ad eam niſi paruis cymbis, CANOIS & nauiculis humilibus perueniri. Qui etiam impoſterum eam ſibi ſubiicere conabitur, is deprehendet, in fluminibus ſyluas eſſe 200. Britannica miliaria longas, tam denſas, atque opacas, vt ne mus quidem puſillus in naui ſeſe occultare poſſit, quin ramis arborum tangatur atque feriatur. Terra vero ad eam accedere prorſus eſt impoſſibile: Nulla eſt enim regio ſub cœlo, quam natura adeo munitam reddiderit.

Ex omni parte altiſſimos montes habet, & in itinere commeatum & victum accipere nemo poteſt, quod ipſum Hiſpani non ſemel ſunt experti. Ipſi enim ab eo tempore, quo regno PERVANO potiti ſunt, ſubinde conati ſunt hoc quoque regnum ſibi ſubiicere, atque in omnes quidem occaſiones hactenus fuerunt intenti, vt aditum ſibi ad illud pararent. Sed ex 23. ne vnum quidem noui, qui caſtra ſua ad regnum hoc admouere, multo minus introducere, & nauibus ex mari eo appellere potuerit. AVRELIANO qui AMAZONES flumini ſuum nomen impoſuit, primus, & DON ANTHONIVS de BERREO poſtremus fuit. Et ego valde dubito, an vel ipſe, vel aliquis ex ſuis commodum acceſſum & aditum ad iſtam terram hactenus inueſtigarit. Vnicus enim tantum locus eſt, per quem magnis nauibus ad iſtam regionem perueniri poſſit, quem locum ego aliquando ſolus ſumma cum feſtinatione exploraui & perſpexi, certusque ſum neminem eum facile exploraturum cogniturumque etiamſi ſummo eum ſtudio inquirat.

Cur India orientalis cõmodior quam occidentalis.

Totum regnum GVIANÆ vno firmo propugnaculo, ſiue probe munita ciuitate, tutum reddi poteſt, & populus, qui poſtmodum in iſtam terram introducendus eſt, etiamſi 20. regionibus diſiungatur, poteſt tamen facile congregari, ſiue mari ſiue terra, ita vt neque ſyluæ neque montes id impediant. Sed in India occidentali paucæ ſunt regiones & ciuitates, quæ inuicem ſuppetias ſibi ferre poſſent, ſiue mari ſiue terra eos hoſtis aggrediatur. Terra enim multis montibus, ſyluis, & hoſtibus infeſta eſt. Mari autem ſi quis eos verſus ortum habitantes adoriatur, ab illis, qui verſus occaſum habitant, aliquot menſibus ſubleuari non poſſunt.

Hiſpani etiam ibi hinc inde diſperſi habitant, & in nullo loco tam frequentes ſunt quam in NVEVA ESPANNA. Maxima propugnacula regni GVIANÆ ſunt altiſſimi montes, acutiſſima vepreta, & ſenticeta, arenoſæ in vallibus viæ, maximus æſtus, & aquæ penuria ſiue defectus: Vnde qui terra eam

eam aggredi voluerint, victus & commeatus defectu inde facile deſiſtere cogentur, quod ipſum eis muri ahenei loco eſſe poteſt.

Quis Indiam occidentalem Regi Hiſpaniæ primus obtulerit. India occidentalis principio Regis Hiſpaniæ auo, à CHRISTOPHORO COLVMBO GENVENSI oblata eſt, de quo tanquã peregrino non immerito ſiniſtri quid ſuſpicari aliquis tum potuiſſet, præterea etiam incredibile videbatur, tot & tam magnas regiones adhuc inueniri, de quibus ne iota quidem eſſet perſcriptum. Sed hoc regnum Regiæ Maieſtati, à ſubdito & vaſallo ſuo apertum offertur, à quo plura officia & ſeruitia Regiæ Maieſtati debentur, quam à quoquã alio, vt religioni mihi maximæ futurum ſit, Regiam Maieſtatem circumuenire & fraudulenter decipere, à qua tot mihi & tam magna ſæpenumero præſtita ſunt beneficia.

Aperta ſane regio eſt & manifeſtata, multæ etiam prouinciæ ad amorem & ſubiectionem Regiæ Maieſtatis inuitatæ, Hiſpani, qui huic Regno aliquoties iam ante aliquot annos inhiarant, fugati ſunt & eiecti, quin etiam, cum anteà inſuperabiles habiti ſint, iam omnium riſui exponuntur, & pro mulierosis atque euiratis habentur. Poterit autem Regia maieſtas ad hoc inſtitutum vti gregariis militibus, & nobilibus, qui ætate adhuc vegeta atque florente ſunt, ipſisque gubernatores & duces addere eos, qui in regno ſuo nullis ſunt muneribus atq; officiis aſtricti. Et ſane potiſſimus ſumptus prima nauigatione impendendus erit, ad naues & milites rebus neceſſariis inſtruendos. Nam poſt primum vel ſecundũ annum dubium mihi nullũ eſt, quin LONDINI tanta ex GVIANA futura ſint mercimonia, quãta SEVILLÆ ex occidentali India exercentur. Certus etiam ſum, ſi mediocris tantum exercitus in GVIANA eſſet, qui ad ciuitatem Manoa duci poſſet, Imperatorem Ingam ſtatim certis conditionibus ſeſe imperio & poteſtati Reginæ noſtræ ſubiecturum, & toties centena millia ſingulis annis ſoluturum, vt omnes ſumptus abunde recõpenſari poſſent. Quin & ipſe facile permoueretur, vt exercitum 3000. vel 4000. militum aleret, & de ſtipendiis ipſi proſpiceret, qui ſeſe & ſuos ab omnibus aliis populis defenderent atque tuerentur, præſertim cũ non ignoret, quomodo anteceſſores ſui GVASCAR & ATTABALIPA filii GVAYNACAPÆ ex regno PERV eiecti ſint & miſere trucidati, & quod hoſtes hactenus non ſemel tentarint regnum GVIANÆ expugnare; quemadmodum etiam non exigua crudelitate in vicinos populos ſæuierunt.

Quibus de cauſis ipſum facile nos admiſſurum iudico, vt ſubiectus nobis ſit, & tributum annuum ſoluat, præſertim cum nullis armis & tormentis inſtructus ſit, atque ita facile ſuperari poſſit. Et Deum ego teſtor, mihi à DON ANTHONIO de BERREO pro certo affirmatum, quemadmodum etiam ab aliis cognoui, quod in præcipuo ipſorum templo, inter alia vaticinia; quæ de amiſſione regni loquuntur, hoc etiam ſit, quo dicitur fore, vt INGÆ ſiue imperatores & Reges PERVVIÆ ab aliquo populo, qui ex regione quadam, quæ INCLATIERRA vocetur, in regnum ſuum rurſus introducantur, & à tyrannide atque ſeruitute omnium ſuorum hoſtium, qui eos ex ſua terra eiecerunt, liberentur.

Quemadmodum igitur ego exiguis copiis primum Hiſpanorum præſidium ſuperaui, & ex terra iſta profligaui: Sic bonam ſpem concepi, ſi regia Maieſtas aliquid tentare voluerit, breui me Deo volente effecturum, vt regnum iſtud nobis tributarium fiat. Quicunque ſane princeps hoc regnum primus debellauerit & ſibi ſubiecerit, is potentiſſimus euadet, & ſi Regem Hiſpaniæ hoc regno potiri contigerit, tanta ipſius futura potentia eſt, vt poſtmodum nemo cum ipſo certare audeat. Quod ſi Regia Maieſtas aliquid conabitur, futurum vtiq; eſt, vt ſplendidum eius nomen longe lateque apud exteros innoteſcat, & ipſa propter egregia ſua facta in toto mundo celebretur atque commendetur.

Quin & AMAZONES fœminæ, quibus verſus auſtrum GVIANA vicina eſt, virginem hanc ſupra modum mirabuntur atque prædicabunt, quæ ſua potentia non propriũ tantum regnum tueri, ſed etiam longe à ſe remotum hoc imperium ſuperare & retinere poſſit. Sed finem facio, ne plura loquendo, moleſtiam lectori creem, ſpero autem Regem regum & Dominum dominantium Regiam Maieſtatem ita gubernaturum & recturum, vt aliquid in hoc regno experiatur, ſin minus: ego non inique facturos alios Reges principesque exiſtimauero, qui annuente quaſi & tacente Maieſtate Regia, id facturi ſunt.

EXEMPLVM QVARVNDAM LITERARVM A NOBIS IN MARI INTERCEPTARVM, IN QVIBVS DE REGNO GVIANÆ & Inſulis in fluuio ORENOQVE ſitis agitur.

LECTORI BENEVOLO.

Literas has, ex quibus, quæ ſequuntur, deſumpta ſunt, Capitaneus GEORGE PAPHAM, *anno* 1594. *paulo ante, quam Dn.* GVALTHERVS RALEGH GVIANAM *aperuit, in mari, cum Hiſpaniam peteret, intercepit, & ſtatim poſt ſuum reditum, Regiæ Maieſtati ſecreto communicauit, itaque operæ precium facturum me putaui, ſi eas hic ſubijcerem. Sed tamen monendus eſt lector, ne exiſtimet Hiſpanos iſtas regiones poſſidere. Nam quamuis Hiſpani de poſſeſſione glorientur, (populus enim iſtius loci ante hæc tempora de mente & propoſito ipſorum cognitum nihil habuit) tamen quamprimum ipſi ex terra iſta rurſus migrarunt, animaduerterunt Indi ipſorum mentem, & audiuerunt, quam crudeliter in aliis locis ſæuierint. Cum itaque reuerterentur ita eos exceperunt, vt nemo euaſerit, qui relationem de iſto regno aliis facere potuiſſet, omnes enim interfectos ſepeliuerunt in humo, quam quærebant, atque ita in plenariam poſſeſſionem iſtius terræ eos introducebant, cuius antea vmbram tantum aſpexerant.*

Quin etiamnum hodie eadem hæc ipſis mens & conſtantiſſima voluntas eſt, omnes Hiſpanos, qui aliquid moliri impoſterum volent, eodem modo excipere atque tractare. Itaque Hiſpani ne pedem quidem in ea terra poſthac figere facile poterunt, nedum, vt eam plene poſſideant.

Vnum adhuc in hiſce literis notandum eſt, quod nimirum Hiſpani, GVIANAM *& omnes prouincias ad* ORENOQVEN *ſitas,* NVEVO DORADO *nominent, propter maximam auri copiam, qua regiones iſtæ abundant. Quo nomine digitum etiam intendunt ad nomen* EL DORADO, *quo nomine* MARTINES *monachus, ciuitatem* MANOA *primo ornauit, vt ſupra dictum, Hoc ne lateret lectorem beneuolum, præmittere hic volui, quemadmodum ex* CAYVVORACO *filio* TOPIAVVARI, *qui mecum in Anglia fuit, & iam Dominus in* AROMAIA *eſt, percepi. Jam ad lectionem literarum lectorem amice remitto.*

Gualtherus Ralegh.

LITE-

LITERÆ ALLONSI EX MAGNA CANARIA, AD FRATREM SVVM PRÆFECTVM AD S. LVCAM ſcriptæ, El Dorado concernentes.

Accepimus non ita pridem literas de nuper inuenta quadam regione, quam El Dorado vocant, à quibuſdam ciuium in hac ciuitate filiis, qui ipſi, cum terra iſta inueniretur, præſentes ibi fuerunt. Hi ſcribunt maximas diuitias, & ingentem auri copiam in ciuitate El Dorado eſſe, iter, quo ad iſtam terram peruenitur, fere 50. Legvas à Margarita diſtat.

ALLONSI LITERÆ, DE HOC IPSO LOCO AD QVOSDAM MERCATOres ad S. Lvcam ſcriptæ, quatenus ciuitatem El Dorado ſiue Manoa concernunt.

Domine, noua hoc in loco ſcriptione digna fere nulla habemus, præterquam de inuentione cuiuſdam ciuitatis El Dorado, quam nuperrime Hiſpani aperuerunt, & diſtat itinere duorum dierum à Margarita. Tanta eſt ibi auri abundantia, quantam ante hæc tempora nunquam audiuimus. Relationem habemus hac de re certiſſimam ab illis, qui ipſi præſentes ibi adfuerunt, & ad parentes ſuos ea de re ſcripſerunt. Ego quidem conſtitui, 10. vel 12. dies, itineri El Dorado verſus impendere, vbi iter Carthagenam ingreſſus fuero. Spero enim me magnum ibi fructum facere poſſe. Communicaui vobiſcum, quæ ad Regiam Maieſtatem ſcripta fuerunt, &c.

SVMMA LITERARVM AD REGEM HISPANVM DE INVENTIONE Gvianæ perſcriptarum.

In flumine Pato, quod alias Orenoqve nominant, & in præcipua eius parte, quæ vocatur VVarismero, conuocatis omnibus militibus, anno 1593. die 23. Aprilis, Domingo de Vera, conſtitutus dux exercitus loco Anthonii de Berreo, gubernatoris ſiue Viceregis inter fluuium Pato & Papameni alias Orenoqve ſiue Maramnos, quæ vna eſt ex Inſulis Trinidatis coram me Rodrigo de Carranca Regiſtratore, aciem inſtruxit. Cumque in medio exercitus conſtitiſſet, mi-

lites ita allocutus eſt: Optimi milites audiuiſtis iam pridem, quomodo Dux noſter Anthonivs *de* Berreo, *iam* II. *annos, nulli labori pepercerit, & maximos ſumptus vltra nimirum* 100000. Pesos *auri impenderit, vt nobis auriferam* Gvianam *aperiret & patefaceret, ſed cum & populo & rebus ad bellum neceſſariis tandem deſtitueretur, ex* Gviana *ad Inſulam* Margaritam, *& conſequenter ad Inſulam* Trinidatis *reuerſus eſt. Hic igitur me iam ablegauit, vt terram illam plenarie aperirem, & iter patefacerem, quo populus commodiſſime in eam traduci poſſit. Itaque decreui vocationi meæ ſatisfacere, idque nomine Regiæ Maieſtatis, & dicti* Anthonii *de* Berreo. *In teſtimonium veritatis, peto à te* Franc. Carillo, *vt me iuues hanc crucem erigere, quam in terra poſitam vides, vt collocetur verſus ortum. Quo facto, procidentes in genua Dux ipſe cum vniuerſo exercitu eam adorarunt. Poſtea Dux exercitus poculum aquæ ebibit, & hauſtam rurſus aquam in terram effudit, euaginato inſuper gladio herbam à terra & ramos ab arboribus abſcidit, dixitque. Hanc ego regionem expugnaturus ſum, nomine Regis* Don Philippi, *& præſidis ipſius* Anthonii *de* Berreo. *Quod ſi quis hanc poſſeſſionem in dubium vocare voluerit, huic reſpondeo: Quod non ita pridem nobis hac de re deliberantibus adfuerit ſupremus* Cassiqvvs, Don Anthonio, *alias* Moreqvito *dictus, in cuius terra congregati eramus, ipſe nobis poteſtatem huius rei fecit, & ſimul promiſit perpetuam obedientiam & ſubiectionem Regi noſtro, & eius præſidi* Anthonio *de* Berreo *præſtare, de cuius etiam nomine poſtmodum vocari voluit. Hæc cum dixiſſet procidens in genua cum vniuerſo exercitu, iurauit ſe vitam ſuam pro hac poſſeſſione daturum, & eam aduerſus omnes contradicentes defenſurum. Poſtea Dux ille exercitus, euaginatum gladium in manu habens, dixit ad me: Cupio eorum omnium, qui hic præſentes ſunt, fieri conſignationem, & mihi copiam teſtimoniumque communicari, vt notum fiat omnibus, me terram hanc pro Gubernatore* Don Anthonio *de* Berreo *occupaſſe, & ſi neceſſarium ſit, de nouo adhuc ſemel occupare velle. Cupio etiam ab vniuerſis & ſingulis qui hic præſentes ſunt, hoc ratum haberi, quod ita velim ſtrenue pergere, & poſſeſſionem mihi vſurpare omnium regionum, quas armata manu poſthac occupaturus ſum. Subſcriptum & ſignatum, &c.*

Peſo valet caſtilianũ coronatã.

Domingo de Vera coram me Rodrigo de Carranca Regiſtratore.

Cum igitur Dux ille ita pergeret in occupatione & manifeſtatione itinerum huius Regionis 27. *Aprilis, venit cum vniuerſo ſuo exercitu ad* 2. Legvas *in terram iſtam, ac tandem in ciuitatem alicuius Ducis, cui per interpretem dictus* Anthonivs Bisante *indicauit: Regiam Maieſtatem ex Hiſpania* Anthonivm *de* Berreo *in iſta loca miſiſſe, vt terram iſtam Regis nomine occuparet, & monachus* Franciscvs Carillvs *communicauit ei quædam ad fidem Catholicam pertinentia, aperta ei per interpretem ſignificatione, cui reſpondit: ſe rem iſtam intelligere, nec recuſare Chriſtianam fidem amplecti, quin imo libenter ſe etiam permiſſurum, vt crux Chriſti erigeretur eo in loco ciuitatis, quem ipſi aptiſsimum iudicarent, promiſitque obedientiam* Anthonio *de* Berreo. *Itaque Dux exercitus crucem non exiguæ magnitudinis verſus ortum collocari iuſsit, & teſtimonium ab exercitu ſuo rogauit,* Don *vero* Dominicvs *ſubſcripſit in hanc ſententiam.*

Ita & non aliter factum eſt coram me Rodrigo Carranca Regiſtratore.

Die

Die I. Maii in occupatione pergentes, venerunt in ciuitatem CARAPANAM & hinc in ciuitatem TORACAM admodum populoſam & 5. LEGVAS vlterius ſitam, cui TOPIAVVARVS dominatur. Huic TOPIAVVARO itidem ſignificari per interpretem ſuum iuſſit, accepiſſe ſe à Maieſtate Regia & Gubernatore BERREO, mandatum, de terra iſta occupanda, & in poteſtatem Regis redigenda, velle igitur ſe crucem in medio ipſius ciuitatis erigere. Cui CASSIQVVS reſpondit, integrum ipſis eſſe, crucem iſtam collocare in loco, quem maxime aptum iudicarent, ſe enim paratum eſſe imperium Maieſtatis Regiæ admittere, & BERREI tributarium fieri.

Quarto huius menſis die, peruenimus in regionem quandam vltra 5. LEGVAS à TORACA diſtantem, hominibus refertiſſimam, quorum Dux RENATVS dictus nobis cum vniuerſa ſua familia obuiam venit, nosque ſecum in ſplendidam domum abduxit, vbi nos liberaliter excepit, & magna auri copia donauit. Inter alia autem quæſiuit ex eo interpres meus, vnde aurum iſtud haberet, cui reſpondit; Illud ex regione quadam, quæ tantum vnius diei itinere abeſſet, transportari, in qua tot Indi eſſent, vt terram operirent, & tanta auri copia, quantam omnes capere valles poſſent. In hac terra qui à rege ſuo ad cœnam vel prandium inuitantur auro in puluerem tenuiſſimũ redacto, corpora ſua aſpergunt, vt pulchriores appareant, atque vt aurum illud eo facilius adhæreat, corpora prius liquore & ſucco quarundam herbarum inungunt, perpetuum etiam cum aliis populis bellum gerunt. Hæc cum dixiſſet promiſit ſe nobis quoſdam additurum qui nos eo comitarentur, ſi iter illud ingredi vellemus, ſed certum ſe eſſe, nos in præſentiſſimam mortem profecturos, cum maxima ipſorum multitudo ſit, cæterum cum interrogarentur, quomodo aurum illud ex terra acciperent, reſpondebant, eos in vallibus herbam cum radicibus eruere, & terram poſtmodum radicibus adhærentem, vaſi incluſam ſoli exponere ſolere, atque exſiccatam aqua eluere, quo facto granula illa quidem in puluerem redigant, fruſta vero maiora ad imagines faciendas reſeruent.

Octauo Maii progreſſi ſumus ad 5. LEGVAS, & circa radices montis cuiuſdam, offendimus Ducem quendam cum 3000. Indis, qui nobis pacifice de omnibus rebus ad commeatum neceſſariis, vt ſunt gallinæ, feræ ſylueſtres, vinum & alia proſpexerunt. Dux ille rogabat nos vt in ciuitatem ſuam in qua 500. ædificia eſſent, veniremus, & ibi paululum quieſceremus, interpres noſter interrogabat eum, vnde gallinas haberent, qui reſpondit, eas de monte quodam afferri, qui vix quadrante LEGVÆ abeſſet, & vero tot Indis habitaretur, quot flores & gramina in terris eſſent, quorum humeri ſupra cranium eleuati eſſent. Hos affirmabat tot gallinis abundare, vt pro vno crembulo duas nobis gallinas daturi eſſent. Hoc audito dedimus Indo cuidam 500. crembula, qui nobis pro iſtis ſtatim tot gallinas attulit, vt eas vix numerare poſſemus, poſtea diximus nos velle ad eos proficiſci, ſed ipſi contra reſpondebant, eos iam in quadam BORACHERA, hoc eſt conuiuio congregatos eſſe, & nos interfecturos ſi veniremus, interrogauimus igitur eum, qui gallinas illas attulerat, an res ita ſeſe haberet, cumque id confirmaſſet, interrogauimus eum quæ eſſet conuiuandi apud ipſos ratio, qui reſpondit, eos multas aquilas aureas & margaritas in auribus habere, ebrios vero corpora auro exornare & choreas ducere. Interrogabat autem an eos videre vellemus, & promittebat ſe nobis aliquot aureas aquilas allaturum, ſi aliquot ſecures ſibi donaremus. Itaque Dux noſter vnam ipſi ſecurim dari præcepit, neque enim plures ipſi dare voluit, ne animaduerterent nos aurum ſitire, ſtatim igitur aquilam nobis attulit ex puro auro 27. libras habentem. Quam Dux noſter cum militibus monſtraſſet, abiecit, ſimulans ſe aurum illud nihili facere. Ex ſeptentrione Indus quidam me acceſſit, dixitque ſe mihi dicturum, quid monſtri Indi cum elatis humeris alerent, ſi haſtam ſibi dare vellem. Hoc cum interpres Duci ſignificaſſet, mandauit

Dux noſter haſtam ei dari, qua accepta dicebat, Indos illos in itinere eſſe vt nos interficerent, mandauit igitur Dux noſter, vt inſtructa acie progrederemur.

Vndecimo Maii peruenimus in regionem ad 7. LEGVAS hinc diſtantem, in qua multos veſtitos Indianos inuenimus, qui nobis ſignificarunt, ſi pugnandi animo veniſſemus, velle ſeſe totam vallem Indis replere, qui nobiſcum eſſent pugnaturi: Sin vero pacifice veniremus, nos gratos & acceptos futuros, ſiquidem & ipſi iam pridem Chriſtianos videre admodum deſideraſſent. Enumerabant vero etiam nobis diuitias & opes ſuas, qua de re hic quidem verba facere nolo, præſertim cum omnia prolixe deſcripta ſint, in informatione ſiue relatione ad Maieſtatem Regiam tranſmiſſa, & ſi hic repetere omnia vellem, aliquot mihi volumina complenda eſſent.

EPISTOLA GEORGII BARIONIS, GALLI CVIVſdam ex BRETAIGNIA, ex Inſulis nimirum CANARIIS ad cognatum ſuum in S. LVCA habitantem de EL DORADO ſcripta.

DOmine cognate, non ita pridem literas accepimus, quibus de nuper inuenta quadam regione perſcriptum erat, non procul à TRINIDATE ſita, quæ (vt literæ habent) maxima auri copia abundat. Noua iſta veriſsima ſunt, & à principibus huius ciuitatis confirmantur. Copia ſiue commemoratio inuentionis literis incluſa & obſignata, ad Regiam Maieſtatem tranſmiſſa, eſt lectu dign'ſſima.

RELATIO DOMINICI MARTINES DE IAMAICA, QVAtenus ciuitatem EL DORADO concernit.

SCribit ipſe, quod, cum in CARTHAGENA eſſet, rumor quidem ſparſus ſit de NVEVO DORADO, & quod aliquot diebus ante ſuum aduentum FREGATA nauis aliqua de DORADO aduenerit, in qua magna ſtatua fuerit ex puriſsimo auro facta, cuius pondus fuerit 47. QVINTALIA. Hanc ſtatuam dicebant quondam ab Indis pro Deo habitam fuiſſe, iam vero cum ad fidem Chriſtianam & imperium Regis perducti eſſent, miſſam eſſe in teſtimonium fidei & ſubiectionis. Qui ex iſta FREGATA venerunt, omnes affirmabant, aurum ibi magna copia inueniri, vt & precioſos lapides & margaritas.

RELATIO CVIVSDAM GALLI BOVNTILLIER, ex SARBROVK, de ciuitate TRINIDATIS & EL DORADO.

HIc refert, ſe, cum anno 91. in TRINIDATIS inſula fuerit, à quodam Indo fruſtum auri pro cultro accepiſſe, cuius pondus quarta pars libræ fuerit, & Indum dixiſſe, ſe aurum illud accepiſſe in oſtio fluminis, quod circa TRINIDATEM in PARACOA labitur, in flumine vero ORENOQVE illud magna copia inueniri. Sequenti autem anno 1593. ciuitatem ad flumen iſtud ſitam, ab Hiſpanis expugnatam, & incolas captiuos verſus MADERAM abductos eſſe. Quo loci paulo poſt nauis ingentis capacitatis, ex nuper inuenta regione, 2. MILLION auri onuſta aduenit, quæ affirmabat, auri eo in loco magnam eſſe copiam, locum autem nominari NVEVO DORADO. Hic Gallus naui quadam ex Hiſpania aduenit, nobilem & ſplendidam vitam egit, multumque verſatus eſt cum alio quodam, qui in eadem naui erat. Hic in terra iſta fuerat & multum loquebatur de maxima auri copia in EL DORADO, quæ regio ſita eſt, vt ipſi dicebant, ad fluuium ORENOQVEN.

RELA-

RELATIO QVORVNDAM MERCATORVM EX Rio de la HACHA, de NVEVO DORADO.

INter alia, cum theſauros regios in India prædicarent, dicebant, NVEVO REYNO *de* GRANADA *multò auro abundare, ſed nuper, adhuc aliam regionem inuentam eſſe, quæ auro ita abundet, vt fidem fere omnem excedat. Nominatur regio iſta* NVEVO DORADO, *& inuenta eſt à* DON ANTHONIO *de* BERREO.

RELATIO CVIVSDAM CAPITANEI HISPANI, QVI cum BERREO in NVEVO DORADO fuit.

INformatio ſiue relatio, ad Maieſtatem regiam tranſmiſſa, in omnibus veriſſima eſt. Fluuius ORENOQVE *ſeptem locis in mare ſe exonerat, quæ omnia vno nomine* LAS SIETEBOCAS *de* DRAGO *vocantur. Fluuius iſte in medio regionis, maximæ latitudinis eſt.* ANTHONIVS BERREVS *in Inſula* TRINIDATIS *adhuc moratur, & de* EL DORADO *commodiſſime occupanda expugnandaque deliberat.*

FINIS.

Præfatio ad Lectorem ſecundi itineris in GVIANAM ſuſcepti.

IN rebus, quas vnice deſideramus, licet certiſſimæ ſint, dubitare tamen ſolemus, & rationi noſtræ tantùm fidere, vt authores & promotores iſtarum rerum infidelitatis & perfidiæ accuſare non vereamur, cum tamen interim vitam noſtram in otio & deſidia tranſigamus, & quicquid deliberato conſilio proponitur, iam pro effecto & abſoluto habeamus. Ego autem cum maxime flagrem hoc regnum GVIANÆ *occupare, non exiſtimo quidem iſtam occupationem inchoatam eſſe, ſiquidem abſoluta & ad finem perducta non ſit. Quod autem haſce pagellas tibi legendas exhibere volui; ideo factum eſt, vt aliquando abiecta incredulitate, veritatem penitus introſpiceres & admitteres, vel certe, ſi in incredulitate perſeuerare tibi libeat, ego aliquo modo excuſatus eſſem.*

Quod ſi autem quiſpiam hoc meum ſtudium ita calumniari & interpretari voluerit, quaſi ego Hiſpanos docere, monere, & inſtigare ſiue excitare vellem: Huic aperte reſpondeo, non opus eſſe vaniſſimis iſtis cogitationibus, cum Hiſpani naues noſtras ſubinde in iſta terra videant & intueantur, quæ eos de noſtro conſilio erudire & monere facile poſſunt, & poſſunt quidem melius quam vllus proditor, mercede ad mentem noſtram explorandam conductus. Præterea ſi res hæc Regiæ Maieſtatis ſumptibus ageretur, eſſet fortaßis, cur celaretur & quam optime occultaretur, donec vel de mandato Regiæ Maieſtatis manifeſtari eam neceſſe eſſet, vel ſuperata & expugnata regione, occultari non amplius poſſet.

Jam autem cum periculũ in hac terra faciendi libero quorumlibet arbitrio & voluntati relicta facultas ſit; quotus quisque reperietur, qui vitam & facultates ſuas non maioris faciat, quam vt inueſtigationi & inquiſitioni iſtarum rerum eas impendat, de quibus nihil ſibi hactenus auditum cognitumque fuit. Nemo igitur me iure reprehendet, ſi auxilium hac in re expetens, cauſas omnium oculis exponam, quibus ad amorem iſtius rei, de qua potiſſimum agitur, aliquo modo allici & excitari homines poßint. Rex Hiſpanus non adeo imprudens eſt, aut incertus in conſiliis ſuis, vt noſtra inſtructione indigeat, vel ad admonitionẽ noſtram exercitũ conſcribat, propoſitum n. & conſilium eius ſuo proprio populo ſatis eſt confirmatum, qui iam vltra 60. annos ſaltum de hac ſponſa inanem ſaltarunt. Quin imo ſtudiũ & cupiditatẽ ſuam hanc regionem occupandi vel præterito Februario ſatis manifeſtarunt, quo naues ſuas eo miſerunt, vt & Imperatorẽ cum ſubditis ſuis ex iſto regno extirparent, & nos ſimul ẽt profligarent. Taceo Hiſpanos auri cupidißimos, ſuo nos indefeſſo ſtudio & labore pigritiæ & negligentiæ in rebus maximis peragendis accuſare, & non obſcure inſimulare, totis n. iam 12. menſib. nihil à nobis memoratu dignũ factũ geſtumq; eſt, cum tamẽ maiores noſtri in eo toti fuerint, vt laudẽ & gloriã conſequerentur. Et hoc quidem nuper ẽt menſe Iunio conſiliũ ſuum Hiſpanus in actũ producere vnice conatus eſt, cum integras familias 600. perſonarum, huic itineri deſtinauit, nec fruſtra ẽt laboraſſet, niſi naues iſtæ in direptione CALIS *igne periiſſent. Quid quæſo ſibi hoc indefeſſum Hiſpanorũ ſtudium vult? Nihil certe inde aliud colligi poteſt, quam quod ſermones qui inter ipſos de opibus* EL DORADO *ſunt, verißimi & certißimi habeantur. Quod nos quidẽ arguere debebat atq; reprehendere, qui de ſtatu regni* GVIANAE *oblique inquirentes, quicquid de eo dicitur negligimus, ac ſi aliud nihil eſſet, quam vel iucundißimum de aureo freno ſomnium. Quod ſi nos ipſos inuicem interrogemus, quæ cauſa negligentiæ iſtius noſtræ ſit, ma-*

xime cum palmam iam obtinuerimus, BERREO *ſuperiori anno profligato, & captiuato, & terram iam explorauerimus, Regiæque Maieſtati aliquo modo ſubiecerimus, quin & promptos ad obedientiam Reginæ declarandam fecerimus. Quid quæſo cauſæ allegabimus?* PERVLERI *quando ex Hiſpania nullis rebus inſtructi in regnum* PERV *proficiſcuntur, tertio quolibet anno diuites admodum reuertuntur, quod ipſum de eorum mente & ſtudio abunde teſtatur. Sed dicemus ne Hiſpanos militibus magis abundare, & carere etiam iis melius hoc tempore poſſe, quam nos? Non equidem exiſtimo, cùm nemo ſit qui neſciat contrarium potius verum eſſe. At fortaßis inopia ipſi magis quam nos laborant? Vbi pecunia eſt, de inopia, & paupertate haberi querelæ non ſolent. Neque tamen dormiendum eſt ſemper etiamſi nobis nihil deſit, niſi tantum præſentia ſpectare & in diem viuere libeat, cùm is nobis blandiatur periculoſa & fraudulenta quiete, ſcilicet ſecuritas in quam præſens hoc ſeculum plane eſt immerſum, nobis plus iuſto arridet facitque vt mutationibus temporum nihil cogitemus. Quare niſi Deus opt. Max. ſua nobis gratia adſit, & corda noſtra regat moueatque ad perpendendum & apprehendendum, quod ad pacem noſtram facere poteſt, parum aberit, quin in miſerias & pericula, quæ ceruicibus quidem noſtris iam pridem imminere viſa ſunt, tandem incidamus atque prolabamur maxima.*

VERISSI-

VERISSIMA DESCRIPTIO SECVNDÆ NAVIGATIONIS BRITANNICÆ IN REGIONEM GVIANAM: IN QVA OMNIA MARIA, LITTORA, INSVLÆ, PROMONTORIA, OSTIA MARIS, PORtus, ſtationes nauium, freta, ſcopuli, &c. Cum conſtitutione ventorum, aeris, fluminum, partium anni, aliarumque ſcitu neceſſariarum rerum explicatione, perſpicue & manifeſte ante oculos ponuntur, per Dominum GVALTHERVM RALEGH, Equitem Anglum.

1596. Ianuar. 26. ANNO 1596. die 26. Ianuarii, ſoluimus ex portu PORTLANDIÆ, naui quæ vocatur *the luſtie mayd of Londen*, hoc eſt, hilaris & iucunda virgo Londinenſis, aſſumpta parua PINASSE, (hoc enim vocabulo impoſterum vtemur, quia notum ſatis eſt) ſiue celoce, quam poſtea in mari per tempeſtatem amiſimus. Die Veneris, 13.
Februar. 13. Februarii venimus ad Inſulas canarias, vbi 7. vel 8. diebus, iuxta promiſſionem, PINASSAM expectauimus. Hic cepimus duas nauiculas, & verſus auſtrum progreſſi ſumus, ad Inſulas PROMONTORII VIRIDIS vel CA-
Febr. 28. BO VERDE. Hinc ſoluentes 28. Februarii, verſus occaſum progreſſi ſumus, quo curſu ſemper mare placidum & tempeſtatem bonam habuimus, vento maxima ex parte ſubſolano ſpirante; poſtea ad 300. LEGVAS ab his Inſulis progreſſi, venimus in apertum & plenum mare, in quo tantum fluctus ſtrepitum excitabant, ac ſi duo flumina ſibi contraria ad ſcopulum alliſa fuiſſent.

Mart. 12. Duodecimo Martii fundum habuimus arenoſum ad 47. fila in aqua; verſus ſeptentrionem ad 12. fila in aqua & fundo iſto arenoſo anchoram noſtram firmauimus.

Decimoquarto circa veſperam, ad 6. LEGVAS à terra vidimus humilem aliquam regionem. A nono Martii, vſque ad 14. fere, ſemper curſum auſtralem tenuimus, aqua eo in loco plana & quieta erat, turbulenta item & nigricantis ſiue fuſci coloris. Littus PILOTTIS noſtris aliquo modo demiſſum & humile videbatur, aquam enim ad 7. tantum fila habebamus, & cum non ſemper alueus circa littus tam vehemens ſit, ſub noctem ſubinde quæſiuimus locum aliquem vbi ad 3. vel 4. fila anchoram firmare poſſemus. Et quid ego hic bonitatem Dei prædicem? Eſt vtique Deus mirabilis in operibus ſuis & miſericors in prouidentia ſua. Namque quo littus erat humilius, eo Euros habebamus ab ortu plures atque maiores, à quibus nauibus periculi minus imminet, & minus etiam flumina commouentur. Cum autem hic ventus deſiiſſet, diſceſſimus ex hoc tractu, & primus quidem locus vbi anchoram firmauimus, erat oſtium fluminis AROWARIA, flumen pulcherrimũ diſtans ad vnum gradum & 40. minuta. Namque ex imperio Regiæ Maieſtatis tam longe verſus auſtrum progreſſi eramus. Ac hiſce quidem in locis incolas nullos inuenimus. Cæterum quod ad regiones, ciuitates, atque Gubernatores quos in hac vicinia vidimus attinet, quemadmodum etiam fruges & alia, nolo ego lectori eorum commemoratione hoc in loco moleſtus eſſe, cum conſtituerim eorum nomina ad finem in tabella quaſi quadam conſignata lectori exhibere. Littus profecto ex conſpectu noſtro non dimiſimus donec iſto in loco verſaremur, & ſemper nocturno tempore ad 3. vel 4. fila profunditatis anchoram firmauimus.

Cumque ad terram nonnihil eleuatam alicuius proiecturæ, (quod CAPO CECILLI nominabamus) verſus ſeptentrionem progrederemur, vidimus duo cacumina inſtar Inſularum, ſed regioni tamen contermina. In hac regione circiter 60. LEGVAS verſus ſeptentrionem, ſequentia hæc in mare ſeſe exonerant flumina, AROWARI, IWARIPOCO, MAYPARI, CAANAWIM, & CAIPVROOGH, circa montes hoſce ad duo fila in mari anchoras noſtras firmauimus,

A Lord VVilhelm Cecill, ſupremo in Anglia theſaurario.

mauimus,& vaſa noſtra aqua dulci repleuimus,quam aliis quidem in locis ad 30.miliaria habere non potuimus,alterum orificium ſeu oſtium maris ad 30. LEGVAS verſus occaſum ſeſe extendit, & ingredientia hæc habet flumina; ARCOOA, VVIACOPO, VVANARI, CAPARVVACKA, CAVO, CAIANE, VVIA, MACVRIA, GAVVROON, CERRASSAIWIMI.

Hoc in loco relicta naui; aſſumpſi in cymbam meam IOHANNEM PROVOST, Indicũ meum interpretem, & IOHANNEM LYNSEY, cum 8. vel 9. perſonis aliis, vt fluuium iſtum exploraremus, & cum Indis ſi quos forte offenderemus, loqueremur. Circa fluuium VVIACOPO ad radices montis verſus ortum inuenimus 20. vel 40. ædificia, nullis inhabitata hominibus. Hoc autem in loco vnam tantũ nócte cõmorati ſumus, & poſtea VVANARI fluuio relicto, cuius ingreſſus ſaxis & ſcopulis erat admodum formidabilis, CAPERVVACKA fluuium ingreſſi ſumus, vbi circiter 40. miliaria Britannica cõfecimus, ſed toto itinere Indos non vidimus. In portu quodam huius fluuii, qui in angulo montis cuiuſdam ſitus erat, tantam Braſilienſis ligni copiam aſſumpſimus, quantam nauiculæ noſtræ capere poterant. Succidimus vero & arborem quandam quæ iter nobis alio tempore reuertentibus monſtraret, quam ego vere cinnamomi ſpeciem fuiſſe exiſtimo, quales in MAGELLONICO freto inueniuntur.

Duo Indiani. Ex CAPERVVAKA peruenimus in fluuium CAVVO, vbi nobis obuiam venit CANOA quædã in qua duo Indi erant. Hos neq; aſſequi ſtatim neq; notis & indiciis permouere potuimus, vt ad nos venirent, propterea quod nos Hiſpanos eſſe putarent. Sed cum eos interpres meus inclamaret, noſque non Hiſpanos, ſed Anglos eſſe affirmaret; qui nuperrime ex Anglia in ea loca veniſſemus, non tantum nos expectarunt, ſed etiam *Ducuntur ad Gubernatorem.* ad Ducem & Gubernatorẽ iſtius loci ad nos adduxerunt ſine vlla vlteriore deliberatione. Dux autem ipſorum, poſtquam nos amice excepiſſet, narrabat, ſe ab Hiſpanis nuper ex MORVGA eiectum eſſe, quod flumen eſt ad Orelianam ſiue ORENOQVEN ſitum; qui Hiſpani regionem ſuam igne partim vaſtaſſent, partim AWACIS habitandam dediſſent, quæ natio ſine certis fere ſedibus paſſim vagabatur, Hiſpanis tamen maxima ex parte ſubiecta erat. Addebat præterea *Iaos populi.* ſe IAOS eſſe, quæ potentiſſima natio fuerat, & in littore maris vſque ad TRINIDATIS; habitauerat, & populum iſtum, licet adhuc in iſta terra habitaret, communi tamen conſilio decreuiſſe locum mutare, & ad fluuium AMAZONVM commigrare, propter Hiſpanorum crudelitatem; qui vxoribus ſuis ſubinde inſidiarentur. *Cur Iaos populi ſedẽ mutarint.* Præcipua vero cauſa huius mutationis erat, quod ante 20. annos, 20. Hiſpani in ciuitatem ſuam veniſſent, & præſtantiſſimam chariſſimamque ſuam coniugem ſibi eripuiſſent, itaque licet eam ex manibus Hiſpanorum rurſus eripuiſſet, & pleroſque Hiſpanorum trucidaſſet, conſtituiſſe tamen ſeſe, vt impoſterum tutior ab eorum iniuriis eſſet, procul ab ipſis ſedem figere.

Indicus noſter PILOTTA, FERDINANDVS qui nos in fluuiũ AMANAM deduxerat, & iam ad oſtiũ fluminis DISSEKEBE habitat, eius erat ſubditus, ex quo hic Toparcha, meo quidem iudicio, ſatis de Regiæ Maieſtatis animo cognouerat, quærebat n. in ſpecie & expreſſe de potentia noſtra; quanta nimirum copia adueniſſemus, pro certo affirmans, Hiſpanos rurſus in Inſula TRINIDATIS eſſe; & Indos iam 5. vel ſex menſibus intra ſpem metumque fuiſſe; & noſtrum aduentum anxie expectaſſe. Cumque ipſi reſpondiſſem, nos quidem Hiſpanos, à quibus periculum ipſis eſſe poterat; nuper omnes exterminaſſe, iam vero hoc ſaltem fine adueniſſe; vt terram magis exploraremus, & cum Indis amicitiam contraheremus, propterea quod ſi à Maieſtate Regia copioſus in ea loca exercitus hoc tempore miſſus fuiſſet, in quibus hoſtes quidem nulli eſſent, metuendum fuiſſet ne Indi cogitent, nos veniſſe magis, vt regiones iſtas expugnaremus & in noſtram poteſtatem redigeremus, quam vt ab hoſtibus eas tueremur & defenderemus, dicebat ille; hunc meum ſermonem optime conuenire, cum rumore vulgi, quo potentia & beneficentia Reginæ noſtræ paſſim apud omnes prædicaretur, quod nimirum ea non potens ſaltem ad exterminandos Hiſpanos, ſed etiam tam benefica & miſericors eſſet, vt Indorum miſerta; eos ab hoſtium impreſſione liberare decreuerit. Et hunc quidem rumorem ad omnes vndique populos peruaſiſſe; qui iam nihil magis in votis haberent; quam fœdus nobiſcum facere, & Hiſpanos ſumma vi, ex omnib. locis quæ occuparant, extirpare. Errare vero nos etiam toto cœlo, ſi cogitaremus; terram & regionem iſtam non ſatis amplam eſſe, vt nos quoque in ea ſine detrimento Indorum habitare poſſemus. Non enim deeſſe Indis commoda ad habitandum loca, & totam nobis regionem patere, vt vbicunque liberet locum noſtris habitationibus conuenientem eligeremus, ſiquidem Indi noſtram præſentiam non ſolum vnice exoptarent, ſed etiam admodum noſtra opera ad

tuendam

tuendam libertatem ſuam, quæ ipſis omni hæreditate & terra ſua charior eſſet, indigerent.

Hæc cum dixiſſet, rogabat vt beneuolentiam & auxilium noſtrum contra ARWACAS ſibi non denegaremus, qui non contenti fuerant ſuis domibus & agris, ſed inſuper etiam vxores & liberos ſuos captiuos adduxerant, quamuis alias præter captiuitatem ab Hiſpanis nihil ſperare & expectare aliud potuiſſent. Hiſce auditis iuſſi ipſum eſſe bono animo, cumq; diſcedere vellemus, adiunxit nobis PILOTTAM, qui nos ad fluuium Orelianam comitaretur. Sub diſceſſum interrogabat nunquid VRAPO expeteremus, quod plerunque ab iſtis locis in Inſulam TRINIDATIS tranſuehitur, & à Gallis magna copia emitur. Quærebat ſimiliter etiam an naues in portum ſuum traducere vellemus, & VRAPO implere, ſed cum dolia & vaſa noſtra circulos ferreos non haberēt, atq; ita moueri ſine iactura potus noſtri non poſſent, reſpondebam me hoc quidem tempore nauiculas onerare amplius non poſſe, & ſane nauiculæ noſtræ adeo onuſtæ erant, vt aliquando ſub noctem exorta ſubito tempeſtate, totam ſupellectilem in mare proiicere neceſſe eſſet.

Totis 7. diebus donec ad naues noſtras reuerteremur, ad terram applicare non potuimus, ſed ſemper in nauiculis noſtris permanſimus; quæ ſane non raro in periculo erant maximo. Tot enim in hoc itinere tempeſtates, ventos & fluctus experti ſumus, vt Socii mei non parum debilitati, de reditu ad naues deſperarēt. Et referebat mihi PILOTTA meus, hanc tempeſtatē toto anno, circa Inſulam iſtam ONEARIO viſitatam eſſe, incolas etiam in ea opinione eſſe, à malo quodam genio iſtam Inſulam inhabitari, & hominem ſi ibi dormiat perire, niſi ebrius & bene potus ſit. Optimum tempus quo pauciſſimæ ibi pluuiæ conſpiciuntur, eſt circa ſolſtitium noſtrum hyemale, cum dies apud nos breuiſſimi exiſtunt. Venti hiſce in locis maxime ſunt ſeptentrionales, niſi ſol in altera parte æquinoctialis conſtitutus ſit, tum enim plerunque auſtrales eſſe ſolent, maxime tamen ſub noctem.

Hic PILOTTA erat etiam natione IAUS, hi enim vt ab aliis dignoſcerentur ſeſe ita ſignant, vt accepto dente animalis cuiuſdam, quod magnitudine glirem repræſentat, vel faciem, vel partes corporis alias ſecent lacerentque, vt cutis acu lacerata videatur, & cicatrices quidē renaſci nunquam poſſunt. Poſtquam autem cum quibuſdam Indis, qui nobiſcum ex Anglia venerant, locutus eſſet, expetebat ſua ſponte, regionem noſtram videre. Et quidem prudentiam fidem & experientiam eius tantam eſſe iudico, vt ſi iter GVIANAM verſus ingrediendum aliquando eſſet, Regia Maieſtas ipſum, meo quidem iudicio, ad omnia paratiſſimum habitura ſit. Præter n. exactam omnium riparum, ciuitatum & regionum Indiæ, cognitionem intelligere etiam & loqui omnium ſermonem poteſt, vtpote ex GVIANA oriundus, & frater PVTYMÆ, iſtius qui Hiſpanos ex MANOA reuerſos interfecerat. Taceo quod venas auri nouerit quamplurimas, vt non dubitandum ſit de eius conatu & fidelitate.

Circa hoc maris oſtium multi portus reperiuntur, præter Inſulas quāplurimas, quarum maxima GOWATERI nominatur, & à SCHEBAIOS habitatur, in hac Inſula omnis generis piſces, aues, poma & alia reperiuntur, apri etiam & feræ ſylueſtres plurimæ, eò potiſſimum in loco, vbi fluuius CAIANÆ in mare ſe exonerat, qui locus circa oſtiū WIA & CAIANE ſitus, ad 4. vel 5. fila aquam habet, ita vt ēt naues ſaburra onuſtæ ibi applicare poſſint. Et profecto meliorem portum nondum habueram, itaq; eum hoc nomine donaui, vt impoſterum portus HAWARTI diceretur. Tres ibi anguloſæ Inſulæ verſus occaſum poſt alias omnes ſitæ ſunt, quæ auibus, piſcibus, feris ſylueſtribus & IVVANAS abūdant, tanta copia, vt naues etiam à tempeſtate defendere poſſint. Montes hanc regionem ab aliis diſcernunt, nam verſus ortum ab hoc loco pagi nulli inueniuntur, quemadmodum etiam verſus occaſum, vltra montem HOBBEIGH. *A Lord Thomas Havvard. Anglico admirali.*

Superatis iſtis montibus ſyluæ inueniuntur lignum Breſilienſe ferentes, oleum itidē, piper, ſericum & balſamum magna copia. Herba VVIAPASSA quæ hiſce in locis abunde creſcit, radicē habet gingiberi quoad ſaporem non diſſimilem, vtilem etiam ad ſedandam Diarrhæam, & dolores capitis leniendos. Flumina iſta omnia, quorum hactenus mentio facta eſt, quemadmodum etiam ea, quæ Orelianæ fluuio viciniora ſunt, ex vallibus Imperii deriuantur, quemadmodum fluuius CAROLI in Orelianam ſeſe exonerat. Valles vero iſtæ plurimis in locis nullas habent arbores, ſed gramine tantum ornatæ ſunt veluti regio ARROMAIA. *Ita nominatus eſt à ſir Edovvard Habbeigh.* Cætera quæ ad fluuiū iſtum conſpiciuntur hæc ſunt flumina: CINIMIAMMA, VRACCO, NAVVARRI, MAVVARPARO, AMONNA, MARAVVINI, ONCOVVI, VVIAVVIAMI, ARANATAPPO, CAMAIVVINI, SCHVRINAMA, CVPANAMMA, INANA, CVRITINI, VVINITVVARI, BERBECE. VVAPARI, MAICAININI, MAHAWAICA, VVAPPARI, LEMERARE, DISSEKEBE, CAOPVI, *Nomina fluuiorum vſque ad Raleana.*

PVI,

PVI, PAVVROOMA, MONIGA, VVAMI, BARIMA, AMACVR, ARATOORI.

A CABO ſiue promontorio CECILLI, flumina iſta ad 200. miliaria Britannica verſus occaſum excurrunt, vſq; ad fluuium Orelianam. Inter ea autẽ, ſolus AMONNA, fluuius tanta profunditate & curſus velocitate ſeſe in mare exonerat, vt quaſcunq; maiores naues ſaburra onuſtas admittat, habet etiã portum BVRLEY à nobis dictũ nauibus recipiendis accõmodatiſſimum. Incolæ verſus ortũ habitantes, nõ verſantur vltra fluuium BERBECE. In ſuperiore parte fluminis CVRITINI multa mella colliguntur. Vltra fluuium DISSEKEBE verſus ortum, Hiſpanus nemo peruenit, cuius rei argumentum eſt, quod nullam adhuc tabulã viderim, in qua flumina iſta cũ ſuis ripis recte eſſent depicta, itaque placuit quædam loca quorundam ex Anglia nobilium nominibus inſignire, quod quidẽ nobis permiſſum eſſe merito debuit, qui in exploratione harum regionum, tantum operæ & laboris inſumpſimus, iuſtum enim eſt, vt ſuo afficiantur honore, qui hoc animo ſunt, vt nullis hac in re laboribus ſumptibuſque parcant.

Portus iſte à dicto the ſaurario ita dictus eſt qui fuit Baro à Burley.

Indi vt dignitatem fluuii DISSEKEBE aliquo modo exprimerent, nominabãt eum fratrem ORENOQVES, eſt enim non exiguæ magnitudinis, & multas etiam Inſulas complectitur. Ab oſtio vſque ad ſcaturiginem ſeu initium eius, 20. diebus Indi perueniunt, vbi acceptum commeatum & cibum neceſſarium, itinere vnius diei ſecum terra auehunt, poſtea reuerſi CANOAS ſuas ad lacum quendam deducunt, quem IAOS populi, EAPANOWINI, CHARIBES vero PARIME nominãt, & tãtæ eſt magnitudinis, vt neſciãt quid inter ipſum & mare ſit diſcriminis, & ſane meo iudicio, ipſe hic eſt fluuius ad quẽ ciuitas MANOA ſita eſt. In hoc fluuio quem nos DEVORITIA nominamus, decreuerunt Hiſpani ciuitatem condere. Non procul abeſt à fluuio MORVGA in quo Indi à BERREO ante dimidium annum fugati fuerant. ARROMAIARIE, iſto in loco magna cum laude TINITIVAS ab AMANA ſeparauit, & iter à latronibus tutum reddidit, ſed fauorẽ iam amiſit, poſtquam CHARIBES maximam ſuorum ſubditorum partem trucidarunt, & ciuitatibus igne ſubuerſis, filias & vxores quãplurimas abduxerunt. Et quidem ipſemet tum temporis ibi præſens fuit, vna cum alio quodam Indo ARRACVRRI nomine, qui ARWACANVS erat, ex illis qui BARREMAM inhabitant, & Hiſpanos ad omnes Indorum habitationes perduxerat, ipſi quidem non erant ex iſto populo, quem ANTHONIO de BERREO ſecum habuerat, ſed erant Hiſpani ex MARGARITA & CARACAAS, quibus SANTIAGO ſeſe adiungens Ducem ſuum BERREO deſeruerat, quam ob cauſam ipſe iam in Inſula TRINIDATIS catenis alligatus ſeruatur, iudicium mortis quotidie expectans. Res hæc ita ſeſe habet.

Poſtquam BERREVS cæſis omnibus ſuis militibus, ſolus cum FASSHARDO, in CVMANA manſiſſet, & iam omni auxilio deſtitutus propoſitum ſuum de regno GVIANÆ ſuperando, in actum producere non poſſet, Capitanei & gubernatores in MARGARITA & CARACAS communi conſilio decreuerunt ad Regem Hiſpaniæ ſequentem in modũ ſcribere; Quod BERREVS cum rebus hiſce gerendis & perficiendis longe ſeſe minorem eſſe, cognouiſſet, domi ſuæ in omnib. voluptatibus & deliciis ſe iam oblectaret. Quin & rem iſtam nimis arduam eſſe, propterea quod Nobilis quidã Anglus, magnæ authoritatis (ſic enim gratiam veſtram deſcripſerunt) in regno GVIANA fuiſſet, & exploratis rebus omnibus, amicitiam cum vicinis populis omnibus contraxiſſet, maxime autem cum TOPIAWARO, qui prudentia & ætate plurimum valeret, & in certiſſimum fœderis ſignum, vnicum ſuum filium in Angliam miſiſſet, qui poſt mortem patris, in regno ſuccederet. Itaque facili coniectura quemlibet aſſequi poſſe, eum qui tam difficile & periculoſum iter ingreſſus fuiſſet, ſaltem vt terram iſtam videret, & aliquid certi de ea cognoſceret, non quieturum poſtmodum, ſed diligenter aduigilaturum, & operam daturum, vt eam ſibi ſubiiceret.

Dubium ſane nullum eſſe, quin is breui affuturus ſit, qui vitæ TOPIAWARI pepercíſſet, vt ipſe interea conatibus Hiſpanorum reſiſteret, ſed tamen, perſonam eius nequaquam ſufficere, vt potentiæ Regis reſiſtat, cuius etiã intuitu & nudo aſpectu in fugam conuerti facile poſſet. Summe igitur neceſſarium eſſe, vt Regia Maieſtas, reiecto BERREO, eorum miniſterio & opera vtatur, qui ad omnem euentum promptiſſimi paratiſſimique futuri eſſent.

His ita ad Regem perſcriptis, venit paulo poſt DOMINICVS de VERA Dux exercitus à BERREO conſtitutus, (qui 5. menſibus ante noſtrum in Inſulam TRINIDAD aduentum, in Hiſpaniam miſſus fuerat, cum ingenti ſumma auri, quam ex GVIANA attulerat, vt 500. milites ibi conſcriberet.) Hic cum Capitaneorum & gubernatorum ſententiam cognouiſſet, tanta authoritate cauſam BERREI egit, vt ſtatim decerneretur, 10. naues probe inſtructas BERREO mittendas eſſe. Quin imo aurum iſtud tantum opera-

operabatur, vt Rex miſſis 18. nauibus præciperet, eas ex Inſula TRINIDATIS non debere diſcedere, donec omnes hoſtes vndique ſuperati & exterminati eſſent.

BERREVS hac legatione in Hiſpaniam aliquo modo offenſus, cœpit cogitare Capitaneus & Duces aliquid ſiniſtre alere, quamuis conſtantiam ſuam ab ipſis laudari audiret, quod fortunæ qua premeretur, cedere nollet, & tam ſtrenue rebus agendis inuigilaret, vt vix reſpirare poſſet. Itaque ad portum CARAPANÆ confugit cum 15. tantum viris, qui ipſum ſequebantur, & ex Inſula TRINIDATIS iam pridem fugati erant. Hunc igitur Capitanei & gubernatores perſecuti ſunt, certo ſibi perſuadentes fore vt BERREO mandato regio remoto, ipſi in eius locum ſurrogentur. Non expectabant autem donec legati ex Hiſpania redirent, ſed GVIANA ſtatim occupata, BERREVM cum omnibus ſuis interficere ſtatuebant, quemadmodum etiam duos vel tres ex ſociis BERREI iam trucidarant, ſed BERREVS tamen manus ipſorum effugiens ad fluuium CAROLI ſeſe recepit, expectans auxilium à filio ſuo ANTHONIO de CEMENES, ex NVEVO REYNO de GRANADA. Interim hi MARGARITANI admodum diligentes in opere erant, quidam enim regionem perluſtrabant, quidam in fluminibus commeatum adducebant, ex quibus etiam erant qui 20. CANOIS in fluuium MORVGA venerant.

SANTIAGO progreſſus eſt in terram TOPIAWARIES, & ibi FRANCISCVM SPARRAW, ſeruum Domini GEORGII GIFFORDS captiuum ſecum abduxit, qui tamen magna auri copia, quam collegerat, vitam ſuam liberauit, & hoc quidem tempore in CVMANA eſt. His ita peractis in Inſulam TRINIDATIS reuerſi ſunt, eo fine, vt ciuitatem ibi conderent, cumque in opere eſſent, aduenerunt 28. naues ex Hiſpania, magno ipſorum malo, ſtatim enim SANTIAGO in vincula cõiectus eſt, reliquis clam ſeſe ſubducentibus, qui cum ſuis CANOIS in MARGARITAM & CVMANAM ſunt reuerſi. Paulo poſt 18. naues ex Inſula TRINIDATIS rurſus ſoluerunt ad peragenda reliqua mandata, reliquæ 10. adhuc cõmorantur in CONQVERABIA, expectantes ibi noſtrum aduentum, vt nos excipiant opprimantque. Hæc particularia ex quodam Indo percepi, quem in fluuio MORVGA comprehendimus. Hic erat vnus ex IAOS populis, ſed à BERREO educatus, cuius etiam ſeruus fuerat, & linguam Hiſpanicam optime callebat. Ego cum hæc audiuiſſem, dedi ei pecuniam, vt CANOAM ſibi emeret, & domum reuerteretur, itaque ipſe nobis gratias agens beatum ſeſe prædicabat, quod nobis obuiam factus fuiſſet. Indi ad fluuium MORVGAM habitantes, & ſedibus ſuis eiecti, vicinos populos quibus poſſunt modis ſibi conciliare ſtudent, vt ARWACAS ex ſua terra & Inſula TRINIDATIS eiiciant, atque ita Hiſpanos cogant, vt propter inopiam, & panis defectum loca iſta deſerant, vel tandem confundantur & plane pereant.

Sexto Aprilis in oſtio fluminis Orelianæ anchoras firmauimus, poſtquam 23. dies inquirendis ripis conſumpſeramus. Canalis iſtius fluminis ad 6. vel 7. fila profundus eſt, vlterius autem procedendo, profunditas iſta magis decreſcit, ita vt alicubi vltra tria fila non reperiantur. Sequenti die venerunt ad nos duæ CANOÆ, ſiue nauiculæ commeatu & rebus ad bellum neceſſariis onuſtæ, quarum gubernatores ſiue Duces erant ANAVRA & APARVVA. Hi duo CASSIQVI occultarant ſeſe apud IWAREWAKEROS, qui vlterius in regione iſta habitant, cum Hiſpani poſtremam in eas regiones facerent impreſſionem, in qua etiam aliquot vxores amiſerant. (Nam inter Hiſpanos, quamuis omnes ſeſe Chriſtianos profiteantur, reperiuntur multi, qui 10. vel 12. vxores habent, & ſeſe ſatis pios eſſe exiſtimant, ſi ædes multis crucibus & imaginibus illuſtratas inhabitent, qualem qualem etiam vitam interim agant.) *Pietas & religio Hiſpanica.* Itaque 30. CANOAS præparauerant, ſperantes noſtro reditu, quem magno deſiderio expectabant, damnum acceptum compenſare, & ſeſe potiſſimum in ARWACIS vlciſci, à quibus in abſentia ſua irritati & læſi admodum fuerant.

Cum igitur ad nos veniſſent, aperuerunt nobis mẽtem ſuam & petierunt vt cum ipſis fœdus faceremus, aduerſus hoſtes ſuos, cumq; me de rebus omnibus quantum ipſis quidem cognitum erat, edocuiſſent, interrogabant, an nõ maioribus copiis inſtructus eſſem, & cur tantum vna naui hoc tempore veniſſem: Quibus ego idem quod cæteris reſponſum dedi, nempe nos hac quidem vice, tantum eam ob cauſam veniſſe, vt cum ipſis cõtraheremus, ignoraſſe enim nos, Hiſpanos rurſus in GVIANA eſſe, promiſi vero ipſis, nos vniuerſa claſſe noſtra, quamprimũ rediremus, ipſis ſubuenire, interea vero velle me amicos noſtros inuiſere, & quantum fieri poſſet, in periculis ſubleuare.

Tandem poſt multos ſermones (præcipuus enim Dux ipſorum per noctem mecum manebat) iuſſit me in manum meam dextrã ſpuere, & alias quaſdam adhibere ceremonias,

nias, quibus fœdera cum aliis facturi, vtuntur. Poſtea ad ripam progreſſus ablegauit vnam ex CANOIS ſuis, quæ reliquas 20. adduceret: Quæ cum aduenisſent, accenſo igne, conſederunt bini in vnam HAMMACCAM, commemorantes fortia facta maiorum ſuorum, quos variis elogiis titulisq; ornabant, addita hoſtium ſuorum deteſtatione & execratione maxima. Ita ſederunt ad duas ferme horas, cõfabulantes & TABACCVM bibentes, donec omnia ipſorum vaſa euacuata eſſent. Hoc enim ipſis ſurgendi tẽpus erat, cũ nihil haberent amplius quod biberent, interea de rebus ſeriis cum ipſis agere & loqui nemo audebat. Et hæc quidem ipſorum religio erat, exceptis feriis eſurialibus, ſeu peculiari quodã die, quo omni cibo & potu abſtinebãt in honorem magnæ principis verſus occaſum ſolis habitantis.

Peractis iſtis ſacris cum CANOAS ſuas rurſus adornaſſent, monſtrabant mihi profunditatem fluminis. Ego vero ab iſto CASSIQVO cognoui, regionẽ in qua prima GVIANÆ ciuitas, MACVREQVARAI ſita eſt, vocari MVCHIKERI: ciuitatẽ ipſam ſitã eſſe in pulcherrima valle ad montes altiſſimos, qui verſus ſeptentrionem excurrunt, & itinere trium dierum à portu CARAPANÆ abeſſe. Ciuitatem item MANOAM ab hac ciuitate itinere 6 dierũ abeſſe. Se in regionem IVVARAVVAKERORVM profecturos, vti ſolere fluuio AMACVR, quã viã (licet nõ eſſet proxima) optimam tamen & commodiſſimam eſſe dicebant, ad MACVREQVARAI quæ duceret, alterám enim per ciuitatẽ CARAPANAM, ſcopulis & montibus plane inuiam, aſperã horridamq; eſſe. Populũ præterea veſtitum & CASSANARI dictum, non procul ab iſto loco habitare, vbi fluuius ORENOQVE ſuũ nomen primo accipit, habitare autem longo tractu in iſta terra vſque ad lacũ aquæ ſalſæ PARIME dictum, magnũ item fluuium quem MACVRVVINI vocabant, per medi iſtam terram fluere & in ORENOQVE ſeſe exonerare. Ciuitatem MANOAM itinere 20 dierum ab oſtio fluminis WIAPOCO, 16 dierum à BARIMA, 13 dierum ab AMACVR, & 10. ab ARATOORI, abeſſe inter omnes populos, ſolos CHARIBES ad fluuium ORENOQVE habitantes, incolas iſtius regni, rectiſſime nouiſſe. Viam non eſſe ingrediendam, quæ ducit ad MACVREQVARAI propterea, quod ſcrupuloſa admodum ſit, & non niſi multo ſudore conficiatur. Incolas regni nulla alia lingua vti quam ea, quæ noſtro interpreti familiaris erat. Inter cætera affirmabat etiam hic CASSIQVVS non eſſe fictum aut fabuloſũ, quod diceretur de hominibus capita nulla habentibus, quorum oculi & ora in pectore conſpiciantur, CHARIBES enim eos CHIPAREMAI; GVIANOS vero EVVIAPANOMOS vocare. Non referam hic quod de alio quodam populo cognoui, cum non facile haberi & capi iſti homines poſſint.

Tandem dicebat mihi de alio adhuc flumine CAVVIOONA, non procul ab ARATOORI fluente, addebat etiam montes CVEPYN, in quibus CARAPANA habitat, tranſcendi nõ poſſe, AMAPAGOTOS itẽ ſtatuas ex auro puro fuſas quã plurimas, quæ incredibilis eſſent magnitudinis, habere, & magnam copiam equorum iuba carentium, poſſe autem ad eos peruenire in flumine CAROLI itinere 5. dierum. Cum autem non procul noſtris CANOIS à portu CARAPANÆ abeſſemus, audiuimus 10 Hiſpanos multis mercibus ad fluuium BARIMA profectos eſſe, vbi hi Indiani habitabant, ad permutandos panes quos CASSAVI nominant, audiuimus etiam poſt duos dies, duas adhuc alias CANOAS ad portum CARAPANA per fluuium AMANA venturas.

Itaque Indi iſti cum nobiſcum de rebus omnibus locuti eſſent, petebant vt ſibi liceret domũ reuerti, ne Hiſpani, cum eos domi non offenderent, ſuſpicarentur, quod data opera abeſſent, & propterea direptis bonis omnibus, vxores ſuas ſecum abducerent. Ante diſceſſum decreuerant Hiſpanos eos omnes, ſi poſſent, interficere, quod etiam poſtea ab ipſis factum eſt, cum enim hinc inde in ædibus ſuis vagaretur & CASSAVAM quærerẽt, facile, & nihil eiuſmodi expectãtes ab Indis trucidati ſunt, ita vt ne vnus quidem euaſerit, quod poſtmodum ex CARAPANA, cum in flumine iſto reuerteremur, percepimus. Reliquæ duæ CANOÆ quæ per fluuium AMANAM ex TRINIDATIS inſula venerant, de nobis in itinere audierant, itaque viſa naui noſtra, antequam à nobis cernerentur, ſtatim ad BERREVM nauigarunt, vt de noſtra præſentia eum edocerent, qui ſubito duos in Inſulam TRINIDATIS nuncios ablegauit, quorum vnus cum ſua CANOA exploratorem noſtrum in itinere offendit, quẽ Indi ex BARIMA nobis dederãt, hunc ſuo cibo ſpoliatum rurſus dimiſit, datis ipſi aliquot cultellis.

Octo diebus ſecundo vento in portũ TAPIAVVARIE delati ſumus, ſed toto iſto tempore Indum nullum inuenimus, cum quo nobis familiaritas intercederet, tempus enim quo noſtrum reditum ſperare iuſſi erant, iam pridem præterierat, atq; ipſi abiecta omni ſpe, aliis ſeſe populis adiũxerãt. Hoc in loco Hiſpani 20 vel 30 ædificia extruxerãt, & propugnaculũ habebãt eleua-

leuatam Inſulam in medio fluminis ſitā verſus oſtium CAROLI. In hanc Inſulam confugiebant ſi hoſtes imminere audirent, & in ſua ciuitate non ſatis tutos ſeſe fore metuerent. Iam autem ciuitate Inſulaq; deſerta ad oſtium fluminis CAROLI ſeſe contulerant, vt aditum ad auri fodinas impedirent, ex quibus ſuperiori anno lapides minerales accepimus, quos ad Regiam Maieſtatem transmiſimus.

Male igitur admodū nos habebat, quod ſpe noſtra fruſtratos nos eſſe videremus. Cum autem prope ad ciuitatem ipſorum veniſſemus, venit ad nos Indus quidam facie ſtrigoſa, crine raro, & oculis luſcis, qui nos admoneret de potentia & viribus Hiſpanorum, quod nimirum BERREVS filiū ſuum ſecum haberet, & ſingulis horis duas PINASSAS ex TRINIDATIS Inſula expectare. Sed finem Hiſpani propoſitum alium habuerunt, miſerant enim hunc Indum, vt exploratis nauibus noſtris cognoſceret, an GVALTERVS filius TOPIAVVARI nobiſcum in naui eſſet.

Apparebat autem ex omnibus huius viri verbis & geſtibus, quod fraudulenter nobiſcum ageret, itaq; minis atque promiſſis eum adegimus, vt veritatē fateretur, quo facto, dicebat quod BERREVS tantum 55 viros ſecum haberet, quorum 20 non ita pridem ex Inſula TRINIDAD aduenīſſent, 20 ex NVEVO REYNO, reliquos vero cum ipſo veniſſe ante 6 menſes, poſtquam ex portu CARAPANA fugiſſet, quod neceſſitate coactus in dicta Inſula fluminis CAROLI cum ſuis exiguis copiis ſeſe contineret, quod non auderet ex ſyluis prodire, vel à propugnaculo ſuo ad dimidiū ſaltē LEGVÆ diſcedere: Quod quidam ARVVACAS ipſi adhuc adhæreāt, quod quotidie aduentum filij ſui ex NVEVO REYNO, & Capitanei ex TRINIDATE cū quibuſdā equis expectaret, quod Topiavvari mortuus eſſet: Quod Indi in iſta vicinia omnes aufugiſſent, & ſeſe aliis populis immiſcuiſſent, excepto filio CVRMATOI, & fœmina quadam illuſtris familiæ, quos Hiſpani captiuos detinerēt, propterea quod in mortem 10 Hiſpanorum conſenſerant, inter quos etiam ſacerdos, ſiue monachus fuerat, qui tēpore MOREQVITI interfecti ſunt. Hic CVRMATOI in GVANIPAM fugerat, & magni erat apud Hiſpanos nominis. Quod IVVIAK CONANE, conſanguineus GVALTHERI gubernationem terræ ſeu regionis iſtius accepiſſet, per traditionem patris ſui, dum nos adhuc in fluuio moraremur. Quod multæ naues & Hiſpani in Inſula TRINIDATIS eſſent: Quod Indi amici noſtri metuerent, nos omnes eſſe trucidatos, & naues noſtras in CVMANA eſſe ſubmerſas. Sic enim Hiſpani affirmarant. Quod quidā ex GVALTHERI amicis apud PVTIMAM, & ad montem AIO ſeſe detinerent: Quod BERREVS aliquos miſiſſet, qui 6 tormenta ænea adducerent, eum in locum collocanda, vbi ſe fluuium rectiſſime ſuperaturum ſperaret. Cū autem duos dies hoc in loco fuiſſemus, & videremus nullam ſpem ſupereſſe aliquid proficiendi, imo periculū eſſe plus damni quā cōmodi nos conſecuturos, decreui PVTIMAM in montibus inquirere, atque ita 20 miliaria Britannica 6 horis confeci.

Sequenti die cum 10 ſclopetariis ad ripā appuli, vt viderem, an Indi inferiores eſſent ad reſiſtendum Hiſpanis, & peterem vt mihi aliquot grana auri pro ſecuribus & cultris darent, & albicantes lapides eruerent, quos ipſis monſtraturi eramus. Cum autem ad iſtum locum veniſſemus, vbi plerunq; verſari ſolebant, vidimus quidem eos ibi fuiſſe, ſed offendere tamen neminem potuimus, exiſtimo quod nos Hiſpanos eſſe putantes, metu ſeſe occultarint, PILOTTA meus GHILBERT obtulit mihi ſuam operam, & promiſit ſe nos ducturum ad locum vbi lapides albicantes reperirētur, in vicinia VVANICAPORA, vel ad montem quendā auriferū, ſibi quōdam à PVTYMA monſtratum, nō procul ab iſto loco vbi anchoras noſtras firmaueramus, ſitum. Ego quidē eminus montem iſtum videre poteram, & cum præterito anno paſſus diligenter obſeruaſſem, videbatur non vltra 15 miliaria Britannica à nobis abeſſe. Tenebam adhuc memoria, quod cum anno præterito, hoc in loco cum PVTYMA iter facerem, ipſe nutu & geſtibus indicârit, vt cum eo in montem iſtum aſcenderem. Ac nutus ego quidem facile tum intellexi, & locum diligenter notaui, quid autem ſignificare voluerit, eo quidem tempore intelligere non poteram, erat autem hęc ipſius mens quod mihi cataractas fluminis CVRVVARA monſtrare vellet. Indus meus dicebat mihi, eos nullo negotio aurum ex arena fluminis MACCAVVINI, colligere, cuius ſcaturigo erat in ſaxis iuxta aurifodinam. Addebat etiam ſe apud PVTIMAM fuiſſe, cū MOREQVITVS ab Hiſpanis capite mulctaretur, atq; ibi deliberatū fuiſſe, inter cōſanguineos & amicos MOREQVITI, quomodo eum liberare & viuum conſeruare poſſent, nempe ſi Hiſpanis aurifodinam hanc reuelarent atque aperirent, verū cum ab altera parte demōſtratū eſſet, Hiſpanos tāquā auri cupidiſſimos nō fore contentos hac reuelatione, vt propterea vitæ MOREQVITI parcerent, ſed metuendum potius eſſe, ne

Regem

Regem non tantum, ſed & totum ſuum regnum regionemque per hanc reuelationem amitterent, decreuerunt illud ſupprimere, & Hiſpanos ſtudioſe celare; quemadmodum in hanc ipſam vſq; horam Hiſpani ignorant, tantis hoſce Indos præ aliis opibus abundare.

Seniores & regni proceres, ne res hæc vulgo innoteſceret, atque ita facile ad Hiſpanorum aures perueniret, excogitarunt eiuſmodi fabulam, quod nimirum ingens & terribilis Draco iſta loca inhabitet, qui omnes eo proficiſcentes ſine diſcrimine deglutiat deuoretq;. Sed Indus noſter per iocum adiiciebat, ſe Draconem iſtum donec reuerteremur adeo cicurare velle, vt periculũ nullũ ab eo metuere neceſſe eſſet, modo generoſa vina, quæ ipſi auidiſſime bibere ſolet, nobiſcũ afferremus. Ego ſane libenter iſtũ montẽ perluſtraſſem, cum hoc itinere multum laboris ſuſtinuiſſem & parum tamen profeciſſem. Sed cum viderem ne vnum quidem Indũ ex omnibus noſtris amicis ad me venire; audiremque quod DON IVAN, GVALTHERI cognatus ad Hiſpanos acceſſiſſet, & iam per electionem expectaret ſupremus Gubernator & præſes omnium iſtarum regionum fieri, quam ob cauſam nobis etiam fauere nõ poſſet, cum in eo totus eſſet, vt GVALTHERVM ſuo regno ſpoliaret, ſcirem etiam 10 Hiſpanos in VVANICAPARA eſſe, qui antequam ex monte iſto reuerteremur, facile accerſitis aliquibus ex BERREI copiis, nos interuertere & à nauibus prohibere potuiſſent.

Cogitabam vero etiam nulla ſupereſſe media, quibus propoſitum noſtrum in actum produceretur, quam noſtram ipſorum præſentiam, & nobis in iſto itinere ſublatis, fruſtra tot ab Anglis hucuſque labores inſumptos fore: nec me etiam latebat Hiſpanos ſuos habere ſpeculatores & proditores, qui omnes actiones noſtras diligenter obſeruarent, quod ſcirent nos, ſi in tres vel quatuor partes diuideremur, facile ſuperari & opprimi poſſe. Optimum igitur iudicaui ſepoſitis & abiectis omnibus aliis cogitationibus me præſentiſſimo periculo quamprimum liberare, & ab omnibus periculoſis machinationibus, quibus incolis ſuſpicionem aliquam mouere potuiſſem, abſtinere.

Dum nos in terra Indos inquireremus, comprehenderunt reliqui, qui in naui relicti erant, CANOAM aliquam cum tribus perſonis, quarũ vnus erat famulus BERREI, reliqui duo ad panes CASSAVAS emẽdos proficiſcebantur. Literas ipſi habebant à Gubernatore in Inſulam TRINIDATIS perferendas, quas ego intercepi; vna cum magna ſecuri & 20 cultris, pro quibus Indus ille ſeruus aliquam CANOAM mutare debebat, qua in NVEVO REYNO nauigaret. CANOA hæc vna ex illis quinque erat, quibus BERREI filius cum vniuerſis ſuis copiis adducendus erat, quæ iam ante trienniũ, quod memini, præparatæ fuerunt. Quod ſi autem vniuerſus iſte exercitus cum omni commeatu & rebus aliis neceſſariis, hiſce 5 cymbis ſiue CANOIS adduci poterit; ego quidem non exiſtimo eum alicuius momenti, & ſatis copioſum fore.

Hic ſeruus quemadmodum BERREO in omnibus rebus fidelis, ſic etiam meo quidem iudicio admodum prudens & circumſpectus erat. Dicebat quod Indi qui cultris iſtis eſſent aſciſcendi, tanto itinere deberent adduci, quanto abeſſemus à CASSANARIS qui in exiguis pagis habitant. Et quod BERREVS decreuiſſet, eos vbi aduenirent ibi relinquere, & gubernatores reliquorum Indorum conſtituere, contra vero tot CASSANAROS debere in eorum loca proficiſci, quos BERREVS duces & gubernatores GVIANORVM eſſet facturus. Quod itẽ decreuiſſet maximã partẽ veterum Inſulæ TRINIDATIS colonorũ alio transferre, & CASSANARIOS GVIANIS permiſcere. Quod ARWACÆ totã Inſulã TRINIDATIS inhabitare deberẽt, vna cum fluuio Oreliana. Quod 60 NEGROS iam haberet, ad opus in aurifodinis faciendum. Quodque hac ratione exiſtimaret populos iſtos diuerſos ita implicare, & inuicem exacerbare, vt ſibi ſeruientes nunquam coaleſcerent, vel aduerſus BERREVM ſeditionem excitarent. Porro dicebat etiam quod TOPIAVVARVS poſt noſtrum diſceſſum in montes fugiſſet accepto ſecum HVGONE GOODVVINO, & relicto poſt ſe vicario, vt ſupra dictum, ſed primum nũcium quod de eo acceperamus erat: TOPIAVVARVM mortuum, & puerum Anglicanum à tigride deuoratum eſſe. Verum Hiſpani neutrũ credebãt. Affirmabat præterea quod circa finem IVNII quando in flumine nauigationes fieri non poſſunt, 10 iſtæ naues quæ in Inſula TRINIDATIS erãt, rurſus deberent diſcedere. Et quod BERREVS toto iſto tempore quo poſt reditum ſuum in GVIANA fuiſſet, nihil egiſſet, aliud, quam quod de cibo & commeatu ſibi proſpexiſſet: Indi enim relictis pagis domibusque ſuis toto anno ſementem non fecerant, vt ita Hiſpani cogerentur panem ſuum alibi quærere & paruo contenti eſſe.

Cum fluuium nauigando aſcenderemus, prætergreſſi ſumus portum TOPARIMACCO, qui ab vna parte nullius fere eſt profundita-

ditatis, & canalem habet non procul à terra diſtantem. Quo viſo aliam viam ingreſſi ſumus in auſtrali parte fluminis, vbi alueum inuenimus aptiſſimum & omnis periculi expertem. Cum ad portum CARAPANÆ veniſſemus, miſit ipſe ad nos 5 vel 6 CANOAS promiſitque ſe ipſum eodem adhuc vel ſequenti die ad nos venturum, & coram nobiſcum de quibuſdam rebus locuturum, expectauimus igitur aduentum eius ſex vel ſeptem diebus ſed fruſtra, tandem autem aliquẽ ex ſenioribus & præcipuis ſuis miniſtris miſit qui nobis ſignificaret, ſe aduerſa valetudine vti, & propter itineris etiam incommoditatem non poſſe iam ad nos in propria perſona venire.

Hic legatus cum petiiſſet vt CARAPANAM excuſatum hac quidem vice haberemus, narrabat eum ſpe noſtri reditus, toto eo tempore in montibus ſeſe detinuiſſe, quo abfueramus, & vixiſſe in quodam loco, quo pertingere Hiſpani non facile poſſent, qui tamen interea plurimas vxores ſuis ſubditis eripuiſſent propterea quod omnem ipſis commeatum & cibum ſubditi denegaſſent, dicebat etiã quod DON IVAN (alias EPAROCONO dictus) magiſtratum gereret, & imperium obtineret in omnes ſuos ſubditos, exceptis aliquot veteranis & ſpectatæ fidei militibus, qui in prȩſidio circa habitationem ſuam eſſent.

Addebat præterea quod eum valde iam pœniteret, ſuæ arrogantiæ, quod nimirum cum Hiſpanis ſocietatem iniiſſet & quæſiuiſſet potentiam regnumque ſuum amplificare. Verum enim eſt, eum ante hæc tempora non niſi vulgarem Dominum fuiſſe, doneccum BERREO amicitiam contraxiſſet, eo enim tempore multi Indi, & Dynaſtæ etiam relictis ſuis ſedibus, eius imperio acceſſerunt, eam ſaltem ob cauſam, vt libere cum Hiſpanis contrahere, & ſecures cultroſque permutare ipſis concederetur, quæ pro precioſiſſimis theſauris & clinodiis ipſi habebãt. Poſtremo nihil aliud ſupereſſe dicebat, quam vt Indi nobiſcum amicitiam contraherent, & in extrema ſua neceſſitate noſtrũ auxilium implorarent, vel quãtum poſſent, Hiſpanos acerrimos ſuos hoſtes fugerent atque vitarent, innotuerat enim iam omnibus regionem iſtam auro refertiſſimam eſſe, & impoſſibile erat eam rem diutius impoſterum occultare. Dicebat igitur ab vna quidem parte ipſis certiſſimum periculum iam & exitium imminere, quod euitare nullo modo poſſent, ſi ab Hiſpanis opprimerentur, à quibus ad viliſſima quæque ſeruitia, ad currendum, remigandum, ſarcinas geſtandum, & id genus alia peragenda, adigerentur, & quod vnice dolendum eſſet, ita vrgerentur, vt ipſis vxores ſuas denegare non auderent, ſi vitam retinere vellent. Ex altera autem parte non poſſe Indos meliorem ſtatum & conditionem expectare, quam Regiæ in Anglia Maieſtatis, illuſtriſſimæ virtutes & beatiſſima gubernatio ipſis promitterent atque pollicerentur.

Nam cum ante paucos annos (dicebat) in montes fugiſſemus, vt ibi facta Hiſpanorũ cũ veſtris virtutibus expenderemus, nihil cogitare aliud poteramus, quam quod Dux veſter, qui viribus procul dubio ſatis erat inſtructus, nos extreme perſecuturus eſſet propterea, quod Hiſpanis, hoſtibus veſtris, cibum & res neceſſarias dediſſemus, vel ad minimum ſi nos aſſequi non poſſet, ciuitates ſaltem noſtras occupaturus, & omnibus bonis ſpoliaturus eſſet. Verum contrarium tum deprehendimus, quod nimirum nemo ex caſtiſſimis veſtris militibus vllum nobis damnum dederit. Quin imo ne furari quidem ipſis Dux ille permittebat, cum tamen furta ſua rectiſſime celare & occultare potuiſſent. Itaque iam non dubitabamus amplius de omnibus, quæ Dux ille nobis de Reginæ ſuæ clementia & virtutibus aliis affirmabat, & certiſſimam notam ſummæ potentiæ & maieſtatis eſſe ſtatuimus, quod Regina iſta ſubditos ſuos in tam longe diſſitis regionibus frenare & cohercere poſſet.

Hic CARAPANA, cum beneuolum noſtrum animum, & ſedatos quietoſque mores probe conſideraſſet, ſumma deuotione & animi ſubiectione fauorẽ Regiæ Maieſtatis expetebat, nec aliud quicquam in votis habebat, quã vt patrocinio & protectione Regiæ Maieſtatis frui poſſet, cum ea decreuiſſet Indos à ſeruitutis iugo liberare. Et ſane non expetebat CARAPANA iſte hãc opem, tanquam ab omnibus deſertus, & ab Hiſpanis etiam reiectus, ſed eam potiſſimũ ob cauſam quod iniuſticiam Hiſpanorũ cognitam haberet, & crudelitatem eorum ex animo deteſtaretur, quam ob cauſam etiam odium & inimicitiam tam periculoſo & turpi Hiſpanorum fauori, præferebat. Iucundum auditu erat, quomodo ſenex ille, virtutes & continentiam Regiæ Maieſtatis prædicaret, quã adeo venerari omnes incolas affirmabat, vt cordibus plane ab Hiſpanis retractis, nos vero motu & affectu colerent. Bonum enim & ſedatum imperium, vinculum eſt vniuerſalis concordiæ. Qui vero ſine certa legum norma viuunt, ſibi inuicẽ per diſcordiã aduerſantur, & omnes hoc iure moleſti, quo fortes. Hoc in eos dictũ volo, qui in perpetua ſeditione timore, dubitatione

tione, inconſtantia animi, & ethnica crudelitate viuunt, qui nunquam placide dormire & quieſcere poſſunt, ſed perpetuis motibus agitantur, & vitæ aliorum inſidiantur.

In iſto populo, qui legibus certis adſtricti non ſunt, certa pax eſſe non poteſt, & quamuis pacem inquirant atque ſectentur, inuenire tamen eam & apprehendere nequeunt. Nam Indi paſſim intra & extra GVIANAM ſua nobis offerunt beneuolentiæ officia, promittuntq; ſe de commeatu & rebus neceſſariis nobis abunde proſpecturos, modo quoſdam ſibi milites adiungamus, quorum præſidio ab Hiſpanorum immani crudelitate & tyrannide liberentur & tuti reddantur. Quin etiam decreuerunt ab Hiſpanorum impoſterum commerciis plane abſtinere, & mercaturam cum eis nullam exercere, etiãſi ſecuribus & cultris opus habeant. Præterea demonſtrabat mihi ſenex iſte locum, vbi maximus eſſet auri prouentus, vbi Epatites & alii precioſi lapides magna copia reperirentur, vbi aurum ex arena in ripis fluminum colligeretur, & vbi Hiſpani ſuis mercibus & aliis rationibus tantam auri copiam accepiſſent.

Hæc omnia, vt ego quidem exiſtimo, reuelabat nobis ex mandato & iuſſu ipſius CARAPANÆ, ſperabant enim nos ita flectere & permouere, vt reuerteremur. Alias n. legem habent, qua qui arcana eiuſmodi reuelant tanquam proditores patriæ ad mortem condemnantur, præterea in hoc viro nullum dolum deprehendi, ſed quod ea, quæ ipſi mandata erant, candide & abſque vlla tergiuerſatione proloqueretur atque proferret.

Vt autem etiam ſciremus nullo nos auxilio & commeatu opus habere, ſi ad caput vel ſcaturiginem iſtius fluminis aſcendere vellemus; demonſtrabat nobis, quod Hiſpani nullos Indos à ſuis partibus haberent, quibus tuto fidere poſſent; præter ſolos ARWACAS, quorum tamen pauci admodum eſſent numero, quod CHARIBES ex GVANIPA, CIAWANNAS, TINITIVAS, SCHEBAIOS, AMAIPAGOTOS, PVTPAGOTOS, SAMIPAGOTOS, SEROWOS, ETAIGVINAMI, CASSAMARI, cum aliis populis lõge lateq; diſperſis, contra Hiſpanos pugnaturi eſſent, in quacunque etiam parte ipſi impreſſionem facturi eſſent. Quod PARIAGOTOS, quorũ regionem perrumpere primo cogerentur, ſatis fortes eſſent, vt ipſis reſiſterent; idque propter regionis amplitudinem & incolarũ virtutem. In montibus, quos populus hic inhabitat, reperiuntur albicantes lapides tanta duritie, vt nulla arte frangi poſſint, & cõmunis eſt opinio hos PARIAGOTOS vulnerari non poſſe, propterea quod lapides hoſce in cibum aſſumant. Poſtea dicebat, quod IWARAWAKERI fere ante tres annos gramen in omnibus viis ſeuiſſent, quod in tantam iam altitudinem excreuiſſet, vt vel ſyluam repræſentet, quod igne accendere vellent, quamprimum Hiſpani in regionem ſuam venirent. Poſtremo affirmabat VVARIARIMAGATVM, qui Dux exercitus ab Imperatore conſtitutus erat, in vicinia iſta aliquot millia EPVREMEORVM congregatos habere, in præſidium imperii, qui quidẽ iam in parte montium auſtrali caſtrametati eſſent, & tantum itinere vnius diei ab Hiſpanis abeſſent. Dicebat autem hunc exercitum decreuiſſe, ſe Hiſpanos laceſſere & aggredi nolle, propterea quod tormenta ipſorum admodum perhorreſcerent, velle autem eos noſtrum aduentum expectare, & patriam interea defendere, quamuis non intermitterent omnes obſeruare occaſiones, ſi forte numerum Hiſpanorum minuere poſſent.

Locus vbi firmatis anchoris tum temporis commorati ſumus, vnius tantum diei itinere diſtabat à CARAPANA, itaque petii ab hoc legato, vt cum duobus vel tribus ex ſuis in naui noſtra paululum moraretur, reliquis vero mandaret, vt me ad habitationẽ CARAPANÆ ducerent, ſed ipſe conſultum hoc non eſſe reſpondit, conſtitutos enim eſſe ab Hiſpanis paſſim certos ſpeculatores, & facile fieri poſſe, vt illud Hiſpanis nunciaretur, quo facto in maximum CARAPANA periculum incidere poſſet, cum Hiſpani ſedulo ſtuderent ipſum ſibi reconciliare, & vero CARAPANA id de die in diem differens, neque apertum ſeſe ipſorum hoſtem declararet, nec beneuolentiæ & humanitatis officia ipſis exhiberet. Et ſane hæc veriſſima erat cauſa, cur CARAPANA ad nos ipſemet non venerit.

Diutius ibi ſubſiſtere & commorari, conſultum mihi non videbatur, neque tamen pœnituiſſet me iſtius 7. dierum moræ, quam ibi fecimus, ſi cum ipſo tantum loqui mihi licuiſſet. Itaque fidem ipſi dedimus, nos breui rurſus adfuturos, & ſecures, cultros, corallia & alia, quibus delectarentur, magna copia allaturos; ſi ipſi nobis de panibus & auro proſpicere interea vellent.

Petii etiam ab eo, vt amicos noſtros, qui in TRINIDATE erant, de noſtra præſentia edoceret, & quod ipſis primo quoque tempore ſubuenire vellemus, quod ſeſe fideliter facturum nomine CARAPANÆ mihi promiſit. Quidam ex Capitaneis populorum CYAWANNAS, qui hoc tempore non procul ab Inſula TRINIDATIS apud fluuium ARAWANVM habitat, idem etiam in

in ſe recepit, & promiſit, ſe daturum operã, vt de noſtra præſentia quamprimum edocerentur. Laborandum autem mihi eo magis in hac cauſa putaui, quo plures ibi naues adeſſe audirem, & vererer Hiſpanos prohibituros ne Indi nobiſcum loquerentur, quemadmodum etiam poſtea factum eſt.

Hic Dux populorum CYAWANNAS venerat, vt nobiſcum fœdus faceret, & in hunc finem 15 CANOAS ſecum adduxerat. Habuerant non ita pridem hi populi ſuas ſedes apud fluuium MACVREO, vbi ab Hiſpanis nocturno tempore oppreſſi, 20 interfecti, & ædes ipſorum iniecto igne vaſtatæ ſunt, propterea quod ſtatuas aureas multorum capitum haberent, & à commerciis Hiſpanorum plane abhorrerẽt. His ita geſtis trãſmiſi CARAPANÆ munus aliquod ex ferro, & poſtea diſceſſimus.

Conſumpſimus autem octo dies traiectione fluminis, cuius profunditas multis in locis erat 20. filorum, minima autem profunditas erat filorum duorum cum dimidio, id tamen non niſi duobus vel tribus in locis. Nominauimus hunc fluuium RALEANA, cum primi ex noſtra natione fuerimus, qui eum traiecimus. Et meo quidem iudicio non multo minor eſt fluuio AMAZONES, qui ſub nomine ORELEANA primi inuentoris iam innotuit. Ego ſane hunc fluuium propter latitudinem, profunditatem aliaque commoda aptiſſimum noſtro propoſito fore omnino certus ſum, breui enim tempore ſatis magnum iter ſine remis etiam aduerſo ſiue contrario vento abſoluimus. Cũ oſtium fluminis egreſſi eſſemus, vidimus PINASSAM ſiue celocem noſtram nobis obuiam venire, quam non procul ab Anglia amiſeramus. Appulerat autem ad terram verſus auſtrum à CABO CECILL, & tres ſeptimanas cum aliquot diebus in iſto tractu oberrauerat. Cum igitur ad eam appropinquarem, dicebat mihi eius gubernator GVILELMVS DOWN, quod flumina ea omnia exploraſſent, nec tamen fluuium RALEANA inuenire potuiſſent, donec PILOTTAM aſſumpſiſſent, quem ſtatim remittere volebam data ei mercede, verum is diſcedere à nobis recuſabat.

Noſtri Angli fortaſſis iam ſeſe accingent itineri, vt primitias nuper inuentæ regionis afferant, ſed vt mihi gratias habeãt propter has admonitiones, neceſſum eſt, cum de omnibus rebus eos edocuerim, antequam ipſi in eas terras venirent. In eo mihi fidem haberi velim, quod homines hi nobis nocere nunquam cogitauerint, ſed potius ſumma nos humanitate exceptos liberaliſſime habuerint. Veruntamen iniuriarum admodum memores & impatientes ſunt, & ſi quid ipſis per vim eripiatur, illud nunquam vindicare ceſſant. Cuius rei exemplum in littore GVIANÆ anno 1566 vidimus, quemadmodum etiam in DOMINICA, vbi ſenator quidam Londinenſis nomine WATS, cum ſua naui fere ſubmerſus & oppreſſus fuit, quod nobis admonitioni eſſe poteſt, ne nobis impunitatem & ſecuritatem promittamus, donec pro dato ipſis damno ſatisfactum ſit.

Cum commeatum & omnia alia quæ in PINASSA ſiue celoce adhuc ſuperfuerãt in nauem noſtram recepiſſemus, igne eam cõbuſſimus, quia nobis prodeſſe amplius non poterat. Quando aduerſo fluctu progrediendum erat, ventum probe notantes à littore non receſſimus, donec 16 LEGVAS verſus ortũ abſoluiſſemus. Poſt nauigationem 24 horarum incidimus in PVNTA de la GALLERA, à TRINIDATE verſus ſeptentrionẽ. *Punta de la Gallera.* Sed cum nobis tandem Inſula TOBACCO appareret, recta eam petiimus. Inſula hæc omnibus rebus neceſſariis abundat, ſolum enim fœcundum habet & fertile. Hoc quidem tempore non inhabitatur, propterea quod CHARIBES & DOMINICA mali vicini ſint. Indi qui Inſulam TRINIDATIS inhabitant decreuerũt eo commigrare, ſi ipſis in TRINIDATE permanere diutius non cõcedatur. Gubernator ciuitatis MARGARITA non ita pridem celoce ſiue PINASS, eo profectus fuerat, vt Inſulam iſtam contemplaretur. PILOTTA meus GHILBERT, qui ante hæc tempora ibi habitauerat, dicebat mihi, Inſulam iſtam optimam fertiliſſimamque eſſe, & abundare omnibus, quæ lõge lateque inueniri poſſent, fructibus. Inde rurſus in PVNTA de la GALLERA profecti ſumus, & anchoras noſtras firmauimus ad 10 fila in parte Inſulæ ſeptentrionali circiter 5 vel 6 miliaria Britannica à dicta PVNTA. Et poſtquam tormentum emiſimus, ad terram cymba noſtra appulimus, ſed ex Indis nemo nos accedebat. Decreueram igitur IOHANNEM de TRINIDATE ad eos mittere, qui eos ad nos inuitaret, ſed ipſe recuſabat hoc itineris ſuſcipere, quod populus iſte procul à littore in montibus habitaret, ipſe vero iter iſtud cognitum & exploratum ſatis non haberet.

Soluimus igitur inde, S. LVCAM petituri, ſed delati ſumus ad GRANADAS, quas inuenimus hominibus vacuas, & ægre potuimus S. VINCENT. aſſequi, propter vortices ad iſtam Inſulam crebriores. TOBACCO hoc in loco optimum eſt. Et Indi eius loci, qui CANIBALES erant, promittebãt, quod vel-

vellent magnam eius copiam, nobis afferre, ſed tamen de die in diem id differebāt, quærētes interim occaſionem nos comprehendendi & deuorandi, eodem modo, quo non ita pridem comprehenſa naui Gallica, populum omnem abſumpſerant. Cum autem hæ ipſorum molitiones & machinationes nefariæ per quendam ipſorum ſeruum manifeſtatæ fuiſſent; conſpectum poſtmodo noſtrum ſummo ſtudio vitârunt.

Moris apud ipſos eſt, vt peregrinos & aduentantes hoſpites, ſellis quibuſdam imponant, quaſi ſummo honore eos affecturi, ſed væ ipſis, qui fidem huic honori habent. In MATALMO, incolas nullos inuenimus. Tandem ad DOMINICAN Inſulam peruenimus, ſed cum ibi TABACCVM bonum accipere non poſſemus, & vero audiſſemus, nauē quandam Hiſpanicam in plaga Inſulæ ſeptētrionali, ſibi de recenti & dulci aqua proſpicere, conſtituimus eam inquirere, verum Hiſpani noſtrum aduentum metuentes, noctu diſceſſerant. Indi huius loci decreuerunt mutatis ſedibus, cum iis ex GVANIPPA aduerſus Hiſpanos ſeſe coniungere, quemadmodum etiam nuperrime, ex alia quadam Inſula populum alio traduxerant. Cum ibi adhuc eſſemus, venit CANOA quædam ex GVANIPA, quæ narrabat, naues quæ in Inſula TRINIDATIS erant, breui omnes diſceſſuras, & partim CONQVERABIAM, partim minores Inſulas, petituras eſſe. Nos vero naui verſus ſeptentrionem directa, proximo curſu Angliam repetiimus.

Sic igitur ſuppeditatam à veſtra gratia pecuniam conſumpſi, & nullis laboribus peperci, vt mandato veſtro ſatisfieret, & vera atq; exacta haberetur cognitio fluuiorum & riparum omnium. Quod ad ipſum iter attinet, non quidem iudico illud pro itinere habendum, cum nihil in eo conſecutus ſim, quo poſſem veſtræ gratiæ & Maieſtati regiæ gratificari. Sed me quod attinet, Deum ego teſtor, quod, niſi conſideratio publicæ vtilitatis me prohibuiſſet, potius ſummo cum periculo rem ipſam aggredi voluiſſem, quā re infecta ex terra iſta diſcedere.

Cur Raleus inanis redierit.

Quamuis autem meum teſtimonium in re per ſe manifeſta, & veriſſima, ſuperuacaneum ſit, præſtantia tamen præſentis cauſæ, & expectatio aliarum rerum, neceſſario efflagitare videtur, vt de generalibus quibuſdam dicam, quæ à regia etiam Maieſtate approbata & publicari permiſſa ſunt. Quod autem ad particularia quædā attinet, ea Regiæ Maieſtati reſeruata ſunto, quæ ea ad vtilitatem publicam dirigere rectiſſime poterit. His autem quæ dicta partim ſunt & partim iam dicentur, cum omnes in genere homines concernant, ita quidem mihi perſuadeo, fore vt deſiderium aliquod in eorum maxime animis, qui huius noſtri cōſilij participes ſunt, excitent; non ceſſandi donec, quæ maximis curis & ſumptibus explorata & cœpta ſunt, abſoluantur atq; perficiantur. Neq; mihi dubium eſt multos aliquando, vbi viderint diuitias harum regionum, quæ reſpectu aliarum omnium, pro Gazophylacio quodam haberi merito poſſunt, dicturos, GVALTHERVS RALEGH ſuo equidem tēpore prudētiſſimus omnium mortaliū fuit, qui cōmunē vtilitatem promouere ſtudens, tantis Rempublicam noſtram opibus beauit.

In ſecundo hoc itinere non tantum apertiſſimus & manifeſtiſſimus inuentus eſt ingreſſus in fluuium RALEANA, quem Indiani ORENOQVE vocant, ſed electio etiam propoſita eſt, inter 40 diuerſa & non exiguā flumina, quæ omnia mediocribus nauigari nauibus poſſunt, & mercatoribus cognitu perquam neceſſaria ſunt, qui mercaturam hiſce in locis exercere ſtudebūt. Et poſſum ego his qui inquirēdo auro operā dare volēt, certiſſimam ſpem facere de aurifodinis, & lapidibus precioſis quam plurimis ibi inueniendis. Quamuis autem non omnia in omnibus locis & regionibus Indorum inueniantur, non tamen poterit conatus iſte irritus plane eſſe & inutilis. Quod enim hiſce meis oculis aliquoties vidi, affirmare ſalua conſcientia poſſum, paſſim in littore horum fluuiorum, ligni Breſiliani, mellis, Goſſipij & Balſami maximam copiam reperiri. Quæ quidem ſumptus, ſi qui in hoc itinere inſumantur, compenſare abunde poterunt. Cum autem ſine certa relatione, in peregrinis locis parum proficere aliquis poſſit, ego ſane lubenti animo cum omnibus communicare volui, quicquid mihi ab Indis hac in parte relatum fuit.

Ego breui tempore fluuiū RALEANAM aperui, & omnes meas cogitationes ad promouendam hanc rem direxi, cum iuſtam eam eſſe, vtilem & neceſſariam viderem. Iuſta eſt enim, cum ad defenſionem miſerrimorum hominum faciat; qui multis iniuriis crudeliſſimè oppreſſi, patrocinium & defenſionem Regiæ Maieſtatis vltro appetunt efflagitantque. Vtilitas vero maxima, manifeſte ex plurimis Hiſpanorum litteris, quæ in mari interceptę ſunt, quemadmodum etiam ex conatu noſtro, cuius in deſcriptione primi itineris mentio facta eſt, patet. vt taceam confeſſiones Indorum, & ſumptus Hiſpanorum, quos quotidie faciunt vt nos ab iſto regno excludant. Neceſſarium vero eſſe, nemo negauerit, quicquid ſuſcipitur ad in-

infringendam potentiam Hiſpanorum, & frenum ipſorum ferociæ petulantiæque iniiciendum. Vnica enim hęc via eſt ad opes Hiſpanorum, quas ex PERV & NVEVO REYNO habent, peruertendas. Vnica etiam ratio eſt, afflictos Indos erigendi; & aduerſus Hiſpanos armandi, vt acceptam iniuriam vlciſcantur, & omnes ciuitates, quas ſanguine & ſudore ſuorum anteceſſorum Hiſpani in India paſſim condiderunt, diripiant rurſus, & ſolo adæquent.

Præſidium Hiſpanorum, quod in TRINIDATE, à rege, ad defendendam iſtam Inſulam, & tranſitum in flumine iſto prohibendum, collocatũ eſt, argumento vtiq; eſt certiſſimo, Regem incertum eſſe, & metuere ne quid poſt noſtram harum regionum explorationem accidat. Quomodo igitur parui facere hoc regnum videbitur? Quis quæſo tam abſurdus eſt, qui cogitet, Hiſpanum non poſſe nauibus ſuis melius vti, quam ſi multis ſumptibus, 28. naues in inſulam TRINIDATIS mittat, quæ à collectione TOBACCI nos tantum excludant? Nam in ea quidem inſula nihil fere aliud reperitur. Quin potius manifeſtum eſt, omnes iſtos ſumptus iam pridem à BERREO compenſatos eſſe, plurimo auro quod ex GVIANA Regi tranſmiſſum eſt. manifeſtum eſt & hoc, quod Hiſpani hoc tempore magis laborent, & ſolliciti ſint de hac regione obtinenda; quam de aliis quas poſſident retinendis & conſeruandis. Ad hæc facile etiã exiſtimari poterit, Capitaneos ex MARGARITA & CARACAS tam amentes non fuiſſe, vt ſummum vitæ diſcrimen ſubire, & contra expreſſum Regis mandatum GVIANAM expugnare, BERREVMQVE cum ſuis trucidare conati fuerint, niſi ſciuiſſent precioſas margaritas in MARGARITA Inſula, & aurifodinas apud CARRACAS, cum ditiſſima GVIANA ſatis fore ſufficientes, ad expianda omnia apud Regem quamuis maxima ſua delicta.

Varij & multiplices Hiſpanorum qui in magna fuerunt autoritate, conatus, hiſce 63. annis, ſatis teſtantur, de ipſorũ ingenti cupiditate & deſiderio, potentiam & maieſtatẽ imperij ſui, hoc regno augendi & amplificandi. Sed cum nos in ea verſemur opinione, quaſi facilime & ſine omni labore aut periculo hoc imperio potiri poſſimus, frigent noſtra conſilia & conatus. Certum eſt autem, Hiſpanos, ſi ſucceſſus habuerint feliciores, poſtmodum ſumma crudelitate & tyrannide conſeruaturos, quod gladio & armata manu ſemel obtinuerunt atque expugnarunt, quod ipſum quidem Indis ignotum non eſt, qui propterea maximo cum deſiderio noſtrum reditum expectant.

Multi hic reperti ſunt Naſutuli, qui vt conatum noſtrum impedirent & retardarent, partim hæc omnia pro fabulis & figmentis habuerunt, quaſi eiuſmodi regiones in rerum natura non eſſent; partim fidem nobis in eo derogarunt, quod maximis haſce regiones opibus & diuitiis abundare diximus. Non enim hoc ipſis veriſimile videri potuit quod exiſtimarent, ab Hiſpano iam pridem has Regiones ſuperatas & expugnatas fuiſſe, ſi tanta vis auri & argenti in eis reperiretur. Verum ſi conſiderabimus quomodo Hiſpanus MEXICO, PERV & alias prouincias ſubegerit, facile reſpondere poterimus, eum ratione temporis & potentiæ, non parum hic quoq; effeciſſe, ſiquidem non pauci Hiſpanorum diuerſis temporibus huic regno ſubinde inſidias ſtruxerunt, quorum nomina ad calcem huius libelli conſignata videre poteris.

Non immerito igitur vel totus mundus eorum conſtantiam & alacritatem mirabitur, noſtram vero ſupinam negligentiam deteſtabitur, qui videmus & patimur, homines nauci & famelicos maximam orbis terrarum partem poſſidere, diſputantes interea & contendentes, vires noſtras non eſſe ſatis ſufficientes ad obtinendam vnicam ſaltem regionem, quæ aperta iam & manifeſtata eſt, cum tamen de incolarum iſtius regionis erga nos amore & fauore certiſſime nobis conſtet, cum omnes duces & gubernatores debitam Regiæ Maieſtati ſubiectionem deferant, & iter etiam breuiſſimum ſine omni periculo morborum confici poſſit. Taceo quod expectatio auri & ſpes tanti cõmodi in cordibus noſtris extinguere atq; ſupprimere periculi metum facile deberet. Sed quilibet prudens facile animaduertere poterit, has obiectiones & impedimenta, quæ nobis ab hominibus obiiciuntur, non vergere in noſtram ignominiam, titulum enim prudentiæ, non rem ipſam ſectamur. Indus quidam CALANVS nomine, aliquando corium aliquod ad pedes ALEXANDRI MAGNI abieciſſe ſcribitur, & poſtea pede partem vnam depreſſiſſe ita vt altera pars nonnihil eleuaretur.

Hoc facto indicare qualitatem & conditionem regni Alexandri voluit, quod nimirũ cum longe lateq; ſeſe extenderet, non poſſet à tumultu & ſeditione diu liberum eſſe, excepto iſto loco vbi Rex ipſe regiam ſuam ſedem haberet. Atque hoc ipſum euẽtus etiam ſatis confirmauit, cum potentiſſimum iſtud & ampliſſimum imperium, quod plurimas & diuerſas nationes continebat, non poſſet amplius ſine diuiſione contineri. Quotus quæſo quiſque hiſce noſtris temporibus

ribus

ribus Rex eſt, qui tam fidos habeat conſiliarios, quales ſuperiorum ſeculorum hiſtoriæ nobis deſcribunt, & antè oculos ad imitandum proponunt? Quid quæſo de Ducibus & gubernatoribus Hiſpanis nobis pollicebimur aliud, quam quod incerto & infirmo fundamento innitantur, cum Rex ab omni parte vicinos habeat populos, æquè potentes ac ipſe eſt; quorum vires non ita diſtractæ ſunt, & qui mercenariū non agnoſcunt. Rex Hiſpanus facile intelligit, regna & imperia omnia, quæ ita diſtracta & diuiſa ſunt, formam fœdiſſimi monſtri repræſentare, cuius membra funibus & catenis conſtricta atque ligata cohæreant. Si enim commercia Hiſpanorum ridicula tollantur, & merces, quas Hiſpani in ea loca vehere ſolent, ab aliis ad eos perferantur, dubium mihi nullum eſt, quin Indi, qui nec legibus nec religione vlla tenentur, & ſine exteris nationibus viuere rectiſſime poſſunt, id potius operam daturi ſint, vt Hiſpanos ſibi ſubiiciant, quam vt iugum Hiſpanorum vltro ſubeant. Præterea non latet etiam Regem Hiſpanum, Hiſpaniam potentiſſimis & fortiſſimis vndique populis cinctam eſſe, qui videant, regnum iſtud opibus & diuitiis repletum, populo vacuum eſſe, ſciant etiam Hiſpanos per arrogantiam, ſuperbiam & petulantiam omnia conari, etiamſi rebus neceſſariis deſtituantur, vt ita facile aliquando à vicinis principibus in perniciem regni ſui, fœdus & pactum fieri poſſit, quo ipſe petulantiæ & arrogantiæ ſuæ iuſtiſſimas pœnas det, qui pacem ſubinde turbans, alios ſuis regnis eiicere principes laborat, dummodo ſuam augeat potentiam & regnum ſubinde amplificet. Et hoc quidem eo facilius fieri poſſet, cum non vlterius quam in vicinam Hiſpaniam ſuſcipere expeditionem neceſſe ſit, ad humiliandum faſtum & dirimenda vincula iſtius regni, quibus tot Reges in ſeruitutem attrahere, & omnes in Europa Chriſtianos ſibi ſubiectos reddere conatur. Et reuocent ei in memoriam conſiliarii, iſta populi emiſſione vires ſuas ſubinde debilitari & imminui, & GVIANAM tamen tam facile ſuperari non poſſe, quæ regio firmiſſima & potentiſſima, nuper à naturalibus & veris poſſeſſoribus, Anglis oblata eſt. Sciat etiam dubia admodum & infirma eſſe media, ad defendendam autoritatem & tegendam nuditatem ſui regni, dum conatur ſuis veteribus minis nos terrere, quaſi Angliam aggredi & expugnare velit, ſperans iſtis vocibus nos domi detinere, ſatius profecto eſſet & magis ex re ſua, ſi regiones iſtas, quas iam occupauit, præſidio firmaret, quam ſi vires ſuas fruſtra in expugnationem GVIANÆ conferat, quæ regio procul ab aliis ſuis in India prouinciis abeſt, maximum ipſi hactenus damni dedit, & incolas habet hoſtes ſuos acerrimos fortiſſimusque. Quod ſi autē Hiſpani maximo cum damno hactenus huic regno eam ſolummodo ob cauſam imminent, quod norunt illud omnia alia regna & imperia multitudine & abundantia auri ſuperare: an non dolendum eſt & deplorandum, quod nos tempora noſtra tam inutiliter trāſigamus, cum multæ fertiliſſimæ regiones ſint, quæ noſtro ſeſe imperio ſubiicere admodum deſiderant. Qui vnicū BERREVM conſiderabit, quomodo nimirum omnes eius conatus irriti facti ſint, negare meo quidem iudicio nunquā poterit. Deum potenti dextra ſua contra Hiſpanos pugnaſſe, qui opus ſuum quod in iſto populo incepit, clementer perficere, eum à pontificio fermento cuſtodire, & luce Euangelii ſui ad ſuum regnum colligere atque inuitare conſtituit. Conſummatio certe huius propoſiti, corona futura eſt & gemma precioſiſſima omnis laudis, quam Regina noſtra apud exteros, egregiis ſuis factis conſecuta eſt, vbi audierint Deum tanta Regiam eius Maieſtatem gratia beaſſe, & ad priora hoc etiam non exiguum addidiſſe.

Caſtiliani initio religionem ſemper prætenderunt, quaſi tanto zelo ducerentur, Chriſtianam iſtis in locis religionem propagandi, ſed reipſa nihil docuerunt & profeſſi ſunt aliud, quam auaritiam, furta, rapacitatem, cædes, & id genus alia, itemq; quomodo imaginem Dei deſtruere, & homines pecudum inſtar trucidare, econtra autem idolatricas imagines, & trophæa ſua de ſanguine multorū milliū ſine cauſa interfectorum, erigere & ſtatuere deberent. Putamusne clamorē ſimplicis huius & innoxii ſanguinis nubes non perrumpere? An vero oblitus forſitan Deus eſt creaturarum ſuarum, vt miſereri non poſſit eorum quos ipſemet ad ſuam imaginem creauit? Quin potius ſtatuendum eſt, pœnam ipſis iam iam imminere, & hæc crudelia ipſorum facinora per Reginam noſtram, diuinitus huic rei deſtinatum organum punitum iri. Aliquando enim manifeſta, aliquando occulta, ſemper autem iuſta ſunt Dei iudicia.

Fluuius RALEANA liberū habet & apertum aditum, quo populum, equos, cōmeatū, & res alias neceſſarias cōmode in iſtas perferre terras poſſumus, ita vt nec Hiſpani hoc impedire poſſint, nec fluuius ipſe, qui per eluuionem quotannis effunditur.

Ego poſſum hoc fere & ſancte affirmare, me in hoc ſecundo itinere, beneficio temporis, & aliarum commoditatum, omnia probe

probe perluſtraſſe & vidiſſe, nec quicquam meminiſſe, quod prohibere poſſit, quo minus auriferum hoc & ditiſſimum imperium à Regia Maieſtate ſuperatum, huic noſtro regno contra Iudæos & gentes adiiciatur. Poſſet quidem etiam hæc regio per ſubitaneum & inſperatum tumultum ſuo auro & copioſiſſimo theſauro ſpoliari, ſed id communi vtilitati minime conſultum fore arbitror.

Quod ſi neceſſitas nos non vrget ad hanc rem perficiendam, ipſa quæſo vtilitas & cōmodum maximum nos aliquo modo excitet moueatque, præſertim cum tot nobiles ſint adoleſcentes, qui cum promoueri ad officia alia non poſſint, ſæpe ad media vel non ſatis digna ſuo genere, vel inhoneſta & plane prohibita deflectunt, & tandem in perniciem certiſſimam prolabuntur. Tot etiam operarii & opifices valido corpore, in extrema inopia & paupertate viuant. Vnde accidit quod multi filios ſuos Beliali offerant, quorum ſanguine terra poſtmodum miſere fœdatur & coinquinatur, idque non immerito, cum lex Dei hoc ipſum iubeat, & iuſtitia iudiciumq; in mundo vigere ſemper debeat. Quanto igitur vtilius rectiuſque filiis ſuis proſpexerit, qui eos in regionem eiuſmodi transferet, in qua abūde omnia habere, & in virtute indies magis magisque proficere poterunt. Erit profecto nomen & memoria eius ter benedicta qui rem hanc probe conſiderauerit, & vt in actum producatur, nihil in ſeſe deſiderari paſſus fuerit.

Tandem vt ad veſtram gratiam mea iam vertatur oratio, ea ſuis ſumptibus haſce regiones aperuit & perluſtrauit, principio quidem in propria perſona, poſtmodo, & mea opera, vt nihil amplius reſtet, quam vt eas vindicemus, & ad plenariam poſſeſſionem progrediamur, modo inuidia & incogitantia nobis hanc fortunam ex manibus non eripiat, hoc enim ſi fiat, damnum haud exiguum, & calamitates quæ huic Regno iam iam, niſi advigilemus, imminent, breui experiamur, & contra felicem videbimus hoſtium noſtrorum in rebus omnibus ſucceſſum. Non equidem populo, non nauibus, non aliis mediis & rebus neceſſariis deſtituimur. Ecquid igitur ceſſamus? Rex quidem Hiſpanus tam gratum ex iſta regione ſemel percepit odorem, vt etiamſi plurimis regnis & prouinciis dominetur, plurima bella in Gallia & inferiori Germania gerat, & hoc ipſo anno damnum proprio ſuo regno non leue acceperit, nihilominus tamen 28. ingentes naues in Inſulam Trinidatis ablegare potuerit, ex quibus Gvianam petierunt, vt nihil de claſſe dicam Caleti præparata, vbi plurimas naues congregauerat, quæ tamen igne ſunt conſumptæ?

Tempus hoc eſt (vt vno verbo dicam) opes & diuitias acquirendi. Tempus potentia hoc regnum ſtabiliendi & amplificandi. Tempus hoſtibus noſtris præualendi, tempus optatiſſimum æterna nos pace beandi, & nomen noſtrum toti mundo cum ſempiterna poſteritatis gloria commendandi. Excutiamus igitur torporem & ſomnolentiam noſtram, advigilemus rebus noſtris, & non præbeamus aures calumniatoribus, qui tantam nobis laudem, potentiam, dignitatem & maieſtatem inuident, victoriam vero omnem nobis ereptam hoſtibus noſtris Hiſpanis deferunt atque pollicentur.

CATA-

CATALOGVS FLVVIORVM, ET VRBIVM QVAE IN SE-cundo hoc itinere manifeſtatæ ſunt & apertæ, vna cum populis, CASSIQVIS & gubernatoribus ſiue Ducibus quibus habitantur.

	Fluuii.	*Populi.*	*Vrbes.*	*Duces.*
1	Arrovvari, *mag.*	Arvvacs. Pararvveas. Charibes.		
2	Ivvaripoco, *Maximus.*	Mapurvvanas. Ioas.		
3	Maipari, *magnus.*	Arricarri.		
4	Caipuroogh, *mag.*	Aricuri.		
5	Arcoa, *mag.*	Marovvanas Char.		
6	VViapoco *mag.*	Coonorachi. Wacavv.		
7	VVanari.	Wāſeavv.		
8	Capurvvaca, *mag.*	Charib. Charibes.		
9	Cavvo. *mag.*	Iaos.	Icomana *magna.*	VVareo.
10	VVia, *mag.*	Mavvoria Charib.	Paramonna, *mag.*	Mashvvipo.
11	Caiane, *mag.*	VViara. C.	Canavvi.	
	Govvateria, *mag. Inſula.*	Shiebaios.	Orinikero.	Paravvarreo.
12	Macuria.	Piraos Cha.		
13	Cavvroora.			
14	Mamnanuri.	Ipaios. Char.		
15	Curocy.	Shebaios.		
16	Curaſſavvini.	Shebaios.	Muſivvara, *mag.*	Ocapanio.
17	Cunanama.	Iaos.	VVaritappi.	Carmanari.

1. His inimicitiæ intercedunt cum IAOS populis. Pecuniam habent lapides albos & virides. Loquuntur lingua eadem cum TINITIVIS populis, quemadmodum & ARRICARRI, qui eadem etiam pecunia vtuntur.

2. Hoc in loco vt apparet, VINCENT PINSON Hiſpanus, precioſum ſuum lapidem ESMARALDES dictum, inuenit.

3. 4. 5. Hi fluuii cum præcedentibus videntur eſſe riui, ingentis fluminis AMAZONVM. Nam vbi primo ad terram appulimus, tantum vnius diei itinere à magno iſto flumine, vt Indi referebant, aberamus.

6. Primi montes, qui in iſta regione videntur, ſiti ſunt circa hunc fluuium verſus ortum. Ab oſtio huius fluminis Indiani 20. diebus ad ſtagnum ſalſum perueniunt, vbi fluuius MANOA præterlabitur. Fluuius ipſe multas habet catarractas ſiue præcipitia, quemadmodum etiam fluuius CAROLI, niſi quod longius ab inuicem diſtent. Vbi ſeſe in mare exoneret, altiſſimis montibus cinctus eſt.

10. Fluuius hic dulcis aquæ magno impetu in mare ruit, vnde fluctus ſæpe adeo eleuantur, vt ſcopulos altiſſimos repræſentent, in ripa circa montes ligna Breſiliana creſcunt, magna copia, quæ coloris ſunt aliquanto obſcurioris quam alia, creſcunt præterea in hoc loco etiam alia præſtantiſſima ligna.

14. Vtuntur lingua Indorum in DOMINICA, pauci ſunt numero ſed fortes admodum & cordati. Hoſtes ſuos ligatis manibus pedibuſque viuos deuorant, qui cruciatus maior eſt quam ſagittarum, quæ herba venenata MAPOTOTO infectæ ſunt. Hi Indiani cum eos, quos interficiunt deuorent, veneno nõ vtuntur. Littus maris nullibi habitatur, nam aſſiduis bellis quæ inuicem gerunt, populus admodum debilitatus eſt & imminutus. Sed ad fluuium ORENOQVE hodie frequentes habitant in pace & concordia.

	Fluuii.	*Populi.*	*Vrbes.*	*Duces.*
		Arvvacas.		Curipotoore.
18	Vracco.	Arvvacas.		Marvvabo.
19	Moraga.	Arvvacas.		Eraimaoa
20	Mavvarpari.	Arvvacas.	Avvaricana.	Mahahonero.
21	Amonnagar, *mag.*	Charibes.	Iaremappo, *max.*	
	Caleppo, *magn.*			
22	Maravvini, *mag.*	Paracuttos.		
23	Ovvcovvi			
24	VViavviami.			
25	Aramatappo.			
26	VViapo.			
27	Macuruma.			
28	Carapi.			
29	Vracco.			
30	Charimavvini, *mag.*	Curepini Ch.		
31	Eurovvto.	Vpotommas.		
32	Pavvro.	Arvvacas.	Maripomma.	Caponaiarie.
33	Shurinama, *mag.*	Carapini Char.		
34	Schurama *mag.*	Carapini Char.		
35	Northumbria, *ſiue* Cupana, *max.*	Arvvacas.		
36	VVioma.			
37	Cuſtvvini.	Neckeari.	Taurooromene.	Nepervvari.
38	Inana.		Ovvaripoore.	
39	Curitimi, *mag.*	Carapini. Arvvacas. Paravvianni.	Mavvroonoma. Maiapoore. Carivvacca.	
40	VVinitvvari, *mag.*		Aneta. Manacobrecce. Eppora.	
41	Berbice, *mag.*	Arvvacas.	Parvviaannos. Lupulee.	VVaravvaroco.
42	VVapari.	Sebaios.	Madavvini.	Benmurvvagh.
		Arvvacas.		

21. Circa oſtium huius fluuii, CAPELEPPO cum CVRITIMI ex vallibus in mare ſeſe exonerant. Et habitant ad hunc fluuium aliqui GVIANORVM.

29. In hoc fluuio, quemadmodum etiam fere in reliquis omnibus propter ſcopulorum multitudinem, vltra ſex dies nauigare non poſſumus. Itinere 10. dierum peruenitur ad originem, vbi GVIANI habitant. Hic reperitur multa copia mellis, goſſypii, ſerici, balſami, HAMACCARVM ſiue lignorum Breſilienſium, quemadmodum etiam in toto littore orientali. In vicinia & tractu hoc habentur etiam ſtatuæ aureæ, epatites, & alia id genus; ſed hæc pluris ibi æſtimantur quam alibi. Aurum ſuum permutando acquirunt. Nam pro CANOA mediocris magnitudinis, ſtatuam trium capitum accipiunt, CANOAS vero minores, minoribus etiam ſtatuis permutant; vulgo autem precium vnius CANOÆ ſecuris eſt. Abundat iſta regio metallis, gummi, & radicibus variis, quæ etiam ad medicamenta ſalutariter adhiberi poſſunt.

Herbæ venenatæ.

Ourari.
Aparaepo.
Coraſſi.
Parapara.

Herbæ venenum arcentes.

Turara.
VVape.
Cutarapama.
Macatto.

43. Maica-

Fluuii.	Populi.	Vrbes.	Duces.
43 Maicavvini.	Panapi. Arvvacas.	Itevvee. Mabureſa, *mag.*	Caporaco, *magnus Dux.*
44 Mahavvaica.	Aravvaccas.		
45 Lemerare, *mag.*	Wacavvaijos.	Mabureſa, *mag.*	
46 Deuoritia, *ſiue*	Iaos.		
Piſlekebe, *max.*	Schebaios. Arvvacas.		
Matoòromi.	Charibes.		
Coovvini.			
Chipavvamæ.	Maripai.		
Aravvannæ.	VVocovvayos	Chiaremappo	
Itorobece.	Ivvarevvakeri.	VVaroopana.	Nacapovva.
47 Pauoroama. *mag.*	Iaos. Panipi.	Maripa. Chipariparo.	Schuracoima.
Arıpacoro.	Tocorvviſarinbugh.		
Ecavvini.			
Manueri VVini.	VVarivvag.		
48 Moruga, *mag.*	Iaos.	Cooparoore, *mag.*	Manarecovva.
Piara.	Arvvacas.	Avvlapari	Iarvvarema.
Chaimeragoro.		Topoo.	
49 VVaini, *mag.*	Charibes.	Tocoopoima, *mag.*	Parana.
50 Barima, *mag.*	Charibes.	Pecuua, *mag.*	Anavvra Aparvva.
Caitoama.	Aruacas.	Arvvaki.	Aracurri.
Arooca.			
51 Amacur. *mag.*			
Aratoori, *mag.*			
Cavvrooma, *mag.*			
52 Raleana, *ſiue* Orenoque.			

Maipar.
Iracoponen.
Ovvarecapater.
VVarucanaſſo.

} Inſulæ hæ ſunt in oſtio Raleana fluminis ſitæ.

Die 29. Iunii peruenimus in portum PORTLANDIÆ. *Atque totum iter abſoluimus ſpacio 5. menſium.*

NOMINA CLARISSIMORVM QVORVNDAM HISPANORVM, QVI SVBINDE TENTARVNT GVIANAM OCCVPARE, EX RELATIONE IVAN DE CASTELLANOS CLERICI DESVMPTA, QVI eos peculiari libro comprehendit, cuius titulus eſt PRIMA PARTE de las ELEGIAS de VARONES ILLVSTRES de las INDIAS.

1. *Propoſitum hoc* GVIANAM *expugnandi, primus in actum producere voluit* DIEGO *de* ORDAS *ex regno Legionis oriundus, Anno* 1531. *Hic erat vnus ex capitaneis, qui cum* CORTESIO *in expugnatione* MEXICO *fuerunt. Ingreſſus eſt primo fluuium* AMANA *&* 15. *ſeptimanas conſumpſit, priuſquam ad fluuium* ORENOQVE *peruenerit. Quo nos* 15. *diebus peruenimus. Dedit huic fluuio nomen* VIAPARI, *quod in Hiſpanicis relationibus & deſcriptionibus adhuc retinetur. Abeſt ab Inſula* TRINIDAD, 5. LEGVAS *verſus auſtrum. Acceperat ſecum ex Hiſpania* 1000. *milites, & mortuus eſt cum in Hiſpaniam reuerteretur.*

2. IVAN CORTESO, *venit cum* 30. *viris in fluuium* AMAZONVM, *& vlterius in regionem progreſſus, nunquam reuerſus eſt.*

3. CASPAR *de* SYLVA, *& duo eius fratres cum* 200. *viris ex* TENERIFFE *profecti ſunt, vt* DIEGO *auxilium ferrent. Quærebant in flumine* AMAZONES, EL DORADO, *verum non diu ibi commorati, ſed ſtatim ad Inſulam* TRINIDATIS *reuerſi ſunt, vbi etiam omnes ſepulti ſunt.*

4. IVAN GONSALES, *ex* TRINIDATE *profectus eſt, vt* GVIANAM *aperiret. Hic cum plus ſuis comitibus, quam exiguis copiis fideret, cognouit & inuenit terram, quo longius progrederetur eo maiori populo, diuitiis, opibus & auro abundare. Itaq; cum ipſe copioſo auro quod ſecum attulerat nomen ſuum admodum illuſtre reddiderit, conati ſunt poſtmodo plures eius veſtigiis inſiſtere.*

5. 6. FELIPPE *de* VREA, *& poſt eum,* PEDRO *de* LIMPIAS, *Duces nimirum & Gubernatores Germanici exercitus, ſimul hoc propoſito & fine in* GVIANAM *venerunt, ſed* LIMPIAS *ab Indo quodam* CASSIQVO, *cuius nomen erat* PVTIMA, *interfectus eſt.*

7. IERONYMO *de* ORTALO, *itinere apud Mare* CVPANA *periculum fecit, eumq; poſt multas profectiones & varia itinera, ſumptus & patrimonium omne conſumpſiſſet, ſubitanea morte in* SANCTO DOMINICO *periit.*

8. SALA *Monachus aſſumpto tantum vnico ſocio, cum aliquot Indis qui iter ſibi monſtrarent, peruenit in* GVIANAM, *& explorata regione reuerſus eſt, afferens ſecum aquilas & multas alias ex auro fuſas ſtatuas. Poſtea conatus eſt & alterum fluuium explorare, ſed in itinere occiſus eſt.*

9. 10. XIMENES, *frater* XIMENES *de* QVESIDA *de* ADELANTADO, *&* PEDRO *de* OSVA, *ſeorſim periculum fecerunt.*

11. HERNANDEZ *de Serpa, hoc iter etiam ingreſſus eſt, ſed ſtatim cæſus eſt populo ſuo in fugam verſo.*

12. *Poſt hunc ſecutus eſt* DIEGO *de* VARGES, *& filius eius* IVAN, *ſed vterq; in itinere periit.*

13. CACERES *ex* NVEVO REYNO *de* GRANADA *ad* MATACHINES *profectus eſt vbi præſidium ſuum poſuit.*

14. *Idem ab* ALONZO *de* BERREO, *duabus vicibus tentatum eſt, qui magnam expertus*

pertus eſt miſeriam, peruenit autem ad LEGVAM vnam, in iſtam regionem, & potiſsimum VIAPARI ſiue AMANA fluuium perluſtrauit, ſed tandem interfectus eſt à populo quodam, quem Indi LAGVAS nominant.

15. Aggreſſus hoc ipſum eſt etiam ANTONIVS SEDENVS, cui ſeſe coniunxerunt HERERA & AVGVSTINVS DELGADO, in expugnatione Inſulæ TRINIDAT, aduerſus BABOVVNAR, potentiſſimum eius loci Regem. Iterfecit non procul à MARECVPANA, anno 1536. vna cum 500. fortiſſimis militibus, quærens ingreſſum in GVIANAM & ELDORADO. In hoc itinere plurimum auri lucratus eſt, & multos Indianos in vincula coniecit. Hi tamen omnes in itinere mortui ſunt, quorum poſtea cadaueribus tigrides ex ſyluis allectæ & prouocatæ ſunt, tanta copia, vt Hiſpani ſeſe vix ſuſtinere & defendere ab earum ſæuitia & iniuria potuerint. Tandem SEDENVS iſte in finibus iſtius imperij mortuus & ſepultus eſt, circa initium fluminis TINADOS, vbi maxima etiam pars populi ſui periit.

16. AVGVSTINVS DELGADO inquirebat regionem iſtam, verſus auſtrum profectus cum 53. militibus & tribus equis, ex CVMANAVVGOTO. Eo tempore bellum ortum eſt inter Indos, qui in plano, & eos, qui in montibus habitabant. Hoc bellum propoſito ipſius admodum erat conueniens & accommodatum, ea enim occaſione feliciter progreſſus eſt, donec ad quendam CASSIQVVM Indianum GARAMENTALL nominatum veniret, qui eum humaniſsime ſuſcepit, & multa precioſiſsima clinodia aurea, ſex pueros, & decem ſeruos donauit. Addidit ei etiam tres pulcherrimas virgines, quæ à tribus regionibus nomina ſua habebant, ex quibus huic GARAMENTALLO dono miſſæ fuerant, qui ſupremus iſtius regionis Dominus erat. Nomina erant GVAREBA, GOTOGVANE & MAIARARE. Hæ regiones hoc præ cæteris habent, quod ſalutari aere diuinitus donatæ ſunt, & fœminas nutriant formæ admodum elegantis. Hiſpani autem vt gratitudinem ſuam declararent, & beneficia iſta recompenſarent, omne aurum quod inuenire poterant, ipſis eripuerunt, & inſuper quotquot comprehendere Indos poterant, in vincula coniectos ſecum in CVBAGVAM abduxerunt, vbi pro mancipiis eos poſtea vendiderunt. Tandem autem hic DELGADO ab Indo quodam ſagitta in oculo vulneratus, miſere periit.

17. DIEGO de LOSADA, fratri ſuo ſucceſsit, ſed longe maioribus inſtructus copiis, quæ tamen poſtea per ſeditionem ſeſe ipſos trucidarunt, paucisſimis exceptis, qui ad CVBAGVAM reuerſi ſunt.

18. REYNESVS hoc iter quoque ſuſcepit, ſed cum infinitos deuoraſſet labores, & pericula non minima ſuſtinuiſſet, tandem cum indignatione abſtinuit, & in ESPANNOLA ſepultus eſt.

19. PIEDRO de OSVA, inquirebat hoc regnum anno 1560. cum 400. Hiſpanis, iuxta fluuium ORELIANAM. Populus eius in regione MOTTLONES cum fluuium deſcenderent, inuenerunt arbores cinnamomi. Hic propriam ſuam vxorem MADAMME ANES, quæ virum ſuum in omnibus itineribus nunquam deſeruerat, capitis ſupplicio affecit, ſed tandem à proprio populo interfectus eſt.

20. Monachus FRANCISCVS MONTEFINES erat in prouincia MARECAPENA cum 100. militibus, qui ad inquirendam & occupandam GVIANAM ſacramento adſtricti erant. Tum temporis tyrannus quidam LOPEZ AGVIERRETZ ſeditionem in India excitauit, ſed de iſtius monachi itinere, & eius exitu, in hiſtoriis nihil conſignatum eſt.

In noſtra hac regni huius perluſtratione inueniet lector hiſtoriam ORELIANI, qui fluuium AMAZONES aperuit anno 1510. deinde etiam hiſtoriam DON ANTONII de BERREO, & aliorum, qui ſuperiorum veſtigiis inſiſtentes, dum terram hanc inuenire laborarunt, ſeipſos perdiderunt.

ADMONITIO AD LECTOREM.

In hoc catalogo, nomina tantum conſignaui eorum, qui ſeducti ſama & rumore de præſtantia GVIANÆ *ſummo ſtudio terram iſtam inquirere & occupare ſtatuerunt, hiſtoriæ enim prolixiores ſunt, quam vt tam breui tempore ex elegiis Hiſpanicis in hanc linguam transferantur.*

Sed videbitur fortaſſis alicui incredibile, tot CAVALLEROS *à ſcopo propoſiti aberraſſe, cum tamen breui tempore, exiguis copiis, in aliis Indiæ locis res maximas effecerint, & multa regna atque imperia ſibi ſubiiecerint. Itaque operæ precium me facturum putaui, ſi cauſas aliquas, ex ipſis hiſtoriarum circumſtantiis obſeruatas atque deſumptas hic annotarem, quæ Hiſpanorum in hac regione conatus irritos ſemper fecerunt.*

Prima cauſa poteſt eſſe diſtantia regni Hiſpanici à ciuitate MANOA *ſiue* ELDORADO. *Nam etiam proxima loca quæ Hiſpani inhabitant, longè à* MANOA *remota ſunt, proxima autem loca ſunt quatuor,* NVEVO REYNO, *oſtium fluminis* AMAZONES *ſiue* ORELIANO, CVBAGVA, *ſiue littus populorum* CARACCAS, *& Inſula* TRINIDATIS.

A MOIOBANDA *vbi fluuius* ORELIANA *ſiue* AMAZONES *originem ſuam habet, vſque ad oſtium eius, numerant Hiſpani* 2000. LEGVAS. RALEANA *etiam oritur ex montibus* MOIOBANDA, *& in mare ſeſe exonerat non procul à priori flumine.* GVIANA *autem circumdata eſt & comprehenſa quaſi hiſce duobus fluminibus, cum Hiſpani interim longiſſime ab eorum ſcaturigine abſint, præterea etiam ab inuiis montibus quaſi muro ab omni parte cincta eſt, excepta ſolum ea parte quæ regionem* TOPIAVVARI, *reſpicit. Mirum igitur non eſt, tot Hiſpanos, & vires & vitam ibi amiſiſſe, qui ex* NVEVO REYNO *tam longam, inuiam & deſertam viam ſunt ingreßi.*

Regionem GVBAGVA *in mari magnis nauibus ſaburra oneratis inquirere infiniti eſt laboris. Recta vero eam ex Hiſpania petere, & terra eo proficiſci, perículoſiſſimum eſt, cum Indorum in littore* CARACCAS *&* GVIANÆ *habitantium patientia creberrimis Hiſpanorum irruptionibus læſa, in furorem non raro vertatur. Quin imò ipſi nullis amplius Hiſpanis tranſitum per terram ſuam concedere decreuerunt, idque propter Hiſpanorum crudelitatem, tyrannidem & petulantiam, qua, aurum pro voto ſuo non inuenientes, eos variis iniuriis affecerunt, nulli ætati vel ſexui parcentes. Quo ipſo tandem hoc conſecuti ſunt, vt populi irritati, eorum conuerſationi ſeſe ſubtraxerint, & eorum commercia iam quantum poſſunt fugiant vitentque.*

Ab oſtio fluminis ORELIANAE, *cum multo populo aditum & ingreſſum in iſtam regionem quærere, perinde eſt, ac ſi quis montem perrumpere velit. Nunquam etiam audiui eum, qui hoc iter ingreſſus eſt, de felici ſucceſſu commodisve & vtilitatibus in eo perceptis, aliquid gloriari potuiſſe.*

Solum iter quod ex inſula TRINIDATIS *ſuſcipitur, vt breuißimum ita commodißimum & aptißimum videri poterit, ſed impoßibile tamen eſt ab ea etiam Inſula oneratas naues in fluuium* RALEANAM *perducere.*

Secunda cauſa eſt diſcordia & contentio Hiſpanorum, hi enim nunquam eo fuerunt animo, quod vellent coniunctis viribus hanc terram inquirere & occupare, quin imo à primo vſque tempore, alter alteri iſtam gloriam inuidit, & ſocium in inquirendo admittere noluit. Nec vnquam cognoſcere aliud potui, quam quod odiis, dißidiis, rixis, contentionibus, ſeditionibus, & cædibus nefariis alter alterum impedierit & iam iam GVIANAE *imminentes, imperio ſeipſos excluſerint.*

Tertio

Tertio Hiſpanis etiam omnes commoditates defuerunt, quas habuerunt in aliis Regnorum Indiæ expugnationibus. Nam Indi antea internis ſemper bellis diſtracti fuerunt, vt apparet ex exemplo ACAVVCANI A *in* PERV, *iam autem vltra 30 annos cum Hiſpanis bella gerunt, & terram ſuam ab ipſis defendunt. Et quamuis Hiſpani multum ſubinde de heroicis ſuis factis, & rebus in India fortiſſime geſtis glorientur, teſtantur tamen propria ipſorum ſcripta & confeſſiones,* MEXICON *& alias regiones Indiæ nunquam in poteſtatem Hiſpanorum deueniſſe, niſi Indi ipſimet bellis inteſtinis laboraſſent.*

Poſtremo nullam inquirere cauſam aliam poſſum, quam diuinam & paternam Dei Omnipotentis prouidentiam, per eum enim Reges regnant, & principes imperia ſua obtinent. Ac meo quidem iudicio, niſi peculiare aliquod è cœlis ſignum expectare amplius velimus, ſatis ex hac noſtra relatione certi eſſe poſſumus, Deo Opt. Max. viſum fuiſſe & clementer placuiſſe, ex mera ſua gratia, ineffabili bonitate & miſericordia, hoc imperium nobis reſeruare.

FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ ANTIPODVM SIVE NOVI ORBIS PARTIS NONÆ

LIBER TERTIVS,

QVO CONTINETVR VERA ET PERSPICVA NARRATIO, EXPEDITIONIS ET CVRSVS MARINI, RERVMQVE GESTARVM VALIDISSImæ claſſis,quæ prouidentia & ſumptibus Illuſtrium Belgii fœderati Ordinum Oceanum ingreſſa, Occidentalem Indiam petiit,expugnatisque velut in tranſitu Inſulis, Canaria Magna & Gomera,ingentique parta præda, diuerſa littora adiuit,magnisque rebus feliciter geſtis,ex parte domum rediit.

NARRANTVR AVTEM HIC CVM PRIMIS EA, VELVT *in diario,quæ à vigeſimo quinto die Maij, ad decimum vſque Decembris diem anni 1599. acciderunt.*

ANNVS 1599. INEVNTE à partu virgineo anno milleſimo quingenteſimo, nonageſimo nono, viſum eſt,certis de cauſis, Illuſtribus & Præpotentib. fœderatarum prouinciarum Inferioris Germaniæ Ordinibus, miti exactione omnes,qui imperium ipſorum agnoſcerent, quotquot erant cum re lautiori, ſplendidiorisque fortunæ cenſere, ita vt omnium facultatum poſſeſſionumque ſuarum quarum iam erat inita ratio, ducenteſimum numum in fiſcum conferrent: nec fere quicquam fuit, quin hilari mente, calcata moroſitate, daret quod petebatur, adeoque erant in perſoluendo hoc cenſu alacres plerique ciuium,vt breui tempore non exigua argenti vis coacta fuerit.

Collata hunc in modum ingenti pecunia, deliberatum eſt,vt cum in alios vſus, tum in CLASSEM præualidam ea impenderetur, vt ea claſſe Occidentalis Indiæ portus, & Emporia, quorum Hiſpanus ſibi vendicat dominium,tentarent, quod ante paucos annos Anglis feliciter ſucceſſerat.

Appetente igitur vere illius anni ſerio operi manus admota eſt,comportataque materia, in omnibus prope ciuitatibus maritimis ac portubus celebrioribus, præcipue autem apud Batauos & Zelandos magna vis nauigiorum omnis generis fabricari cæpta eſt,quorum pleraque ad vim & arma inſtructa, ab officio Naues militares ſiue bellicæ vulgo vocantur,neve hæc epibatis & milite deſtituerentur,præter nautarum vulgus copiæ militares conſcriptæ ſunt non contemnendo numero, ſuntque iuramento adacti in fidem ac ſeruitutem Ordinum vniuerſi.

Porro nauium harum non erat eadem omnium ratio, quædam enim duplicato robore combinatæ,longiori ſe itineri deſtinari fatebantur: aliæ autem vſitato more fabricatæ erant, quædam etiam vilioris ſtructuræ, ad vicina littora legenda, & vſitatum mare ſulcandum deſtinatæ.

Qui duplicatas naues conſcenderant, decreta Ordinum in remotioribus Americæ regionibus in effectum mittere iuſſi erant, cæteri vero longius non progredi, quam ad

Canarias Inſulas, quibus inſuper iniunctum, vt omiſſis illis, alia conſilia perſequerentur. In vniuerſum tamen naues iſtæ omnes mira elegantia & firmitate exædificatæ, ſpectatorem in ſtuporem rapiebant, adeo erant malis, velis, antennis omnique inſtrumento nautico, tormentis inſuper maioribus & minoribus, aliiſque rebus neceſſariis liberaliter inſtructæ: quarum quæ erat maxima & velut Prætoria, ob magnitudinem ſuam, loci quoque vbi extructa fuerat, nomen ſortita eſt, vt Magna Amſterodamenſis vocaretur, erat enim capax Laſtarum quaſi quingentarum, miræ elegantiæ, nec minoris ad vim hoſtilem perferendam roboris.

Huius autem vniuerſæ claſſis ſummum imperium conſenſu ordinum delatum eſt, PETRO DOVSÆ, Viro nobilitate generis non magis quam prudentia, fortitudine, ſcientia rei militaris conſpicuo: qui & ſuperiori tempore, cum laberetur annus octuageſimus octauus, interfuerat famoſo illi prælio nauali, quo Hiſpanorum claſſis victa, diſturbata, pars etiam ſubmerſa periit, vbi præcipua eius virtus eluxit.

Qui cum minori erant imperio, ductores ordinum, tribuni militares, vt & naucleri, gubernatores, miniſteria nautica, æque ſcientia & prudentia, ac fortitudine & robore animi commendabantur, ſuo quiſque modo locoque. *Maius menſis.*

Dies 24. Vniuerſa igitur claſſe ita inſtructa & adornata, vt quod vlla ex parte deſideraretur, non eſſet, impoſito milite & armis, partim vigeſimo quarto Maii, partim ſequenti die ſolutis anchoris vela facere cœperunt, deſertoque portu altum petere, inprimis illæ, quæ hactenus ante Brielam in anchoris ſte-
25. terant, vigeſimo quinto die Maii ſummo diluculo ſoluerunt, veto vſi Euroaquilone, pauloque poſt Sole diem inclinante, prope Zelandiæ oppidum Vliſſingam appulere; erant autem naues omnino viginti, quibus ſubductis, prope Cleyburgum anchoras iecere, præſtolantes ibi ſummi Præfecti Douſæ, aduentum. is enim certior factus fuerat, quicquid nauigiorum in Hollandia Septentrionali ac Zelandia fabricatum fuerat, eo loci coactum iri. ſtetitque famæ ſua fides: nam profunda iam veſpera omnes illæ
Naues 72. naues eo appulere, fuitque claſſis iſta omnino nauium Septuaginta-duarum, quarum omnium is erat ſplendor ac pulchritudo, id robur, ea inſtrumentorum omne genus militarium copia ac bonitas, vt ſatis dici ſcribique non poſſit.

Harum nauium omnium caput, & quaſi caſtrum prætorium erat ea, quæ ab Aurangiis ſiue aureis malis, quorum colorem in labaro præferebat, nomen acquiſiuerat. Proxima ab hac, quæ & vice-prætoria vel proprætoria audiebat, erat Magna Amſterodamẽſis, quæ ſecundũ, non vt ante primũ locum obtinere erat iuſſa. Cæterum hæc erat mala fortuna huius molis: necdũ enim elaborata fuerat, aut ad colophonem perducta, cum cæteræ ſoluerent rudentes, ſubſtitit igitur in portu, vſque ad trigeſimum Maii diem, quo profecta, celeritate moram compenſauit, paucis enim interiectis diebus claſſem ad Coronam, Gallæcorum in Hiſpania oppidum hærentem, eſt aſſecuta, vt poſt dicetur.

Maii die vigeſimo ſexto, & ſeptimo, claſ- 26.
ſis quieta in anchoris ante Vliſſingam ſte- 27.
tit, vbi diribitione facta naues vniuerſæ in tres ordines & velut acies diſtinctæ ſunt. Primi ordinis ductor peculiariter erat Petrus Douſa, his omnibus color, qualis eſt Aurati pomi, ſigna ac vexilla pingebat.

Erantque in hac acie nonnullæ naues Zelandicæ vt & Hollandiæ auſtralis ſiue citerioris, nauigia pleraque omnia. Alteram aciem ductabat cum imperio Iohannes Heerbrandus, color vexillorum eius albus, huius aciei potiſſima pars conſtabat ex cæteris nauibus Zelandicis, quibus iunctæ erant, quæ in oſtio Moſæ fluuii erant extructæ. Tertium agmen parebat Cornelio Gelenio Vliſſingenſi, qui in ſuo cæteriſque ſigeis cæruleum colorem, qualis cœli eſſe ſolet olim cum ſudum eſt, præferebat: conſtabatque vniuerſa prope hæc acies ex nauibus quas Northollandi miſerant.

Sicque trifariam diſpertita claſſe, naues ſeparatæ ſunt, iuſſique præfecti, in ſuo quiſque curare ordine, ſuæque rite præeſſe aciei. Cauſa autem huius ſeparationis tunc quidem alto premebatur ſilentio.

Die Veneris, qui vigeſimus octauus erat 28.
Maii menſis, Venti, ab ſeptemtrionibus ſpirantes, nos ad progrediendum inuitabant, quod beneficium non aſpernati, ab Vielinga omnes in vniuerſum ſoluimus, proras in Auſtrum oblique vertentes, eratque mira cœli ſerenitas.

Sequenti die promontorium cum por- 29.
tu Icio, quem hodie Caletum vocant, ſe nobis aperuit, vbi quæ præcurrerant naues, iactis anchoris, ſequentes præſtolabantur,

bantur, quæ vbi adfuere, Imperator claſſis dato ſigno ex tormento maiori, propoſuit vexillum principale, quo innuebat, vocari centuriones ordinumque ductores ac tribunos ad nauim prætoriam, ſenatus habendi gratia. Hi igitur ſine mora lembos aut ſcaphas ingreſſi, duci præſto fuere.

Vbi cum aliquantum temporis triuiſſent, celoces duæ exploratorie emiſſæ, incertos nos reddiderunt, quid rerum gereretur. Poſt paullum temporis cum tribuni ductoresque quiſque ſuum repetiiſſet nauigium, multi ſcalmi lembique ad naues onerarias, quæ commeatum & arma ferebant, dimiſſæ ſunt, vt quæ ad maiora minoraque tormenta requirebantur inde aſportarent.

Interiectis aliquot horis Dux denuo è maiori tormento tonuit: propoſitoque vexillo principali, præfectos militum ad ſe vocauit: vt eos ſcilicet edoceret, quæ hactenus de induſtria cœlauerat, quænam futura eſſet totius huius nauigationis ſeries ac ratio. Paruerunt illi cum dicto, ducemque ſuum conuenere, ac mandata accepere. & meus quidem centurio, cum reuerteretur in nauem noſtram, manibus tenere viſus eſt paruam ſchedulam, ſed obſignatam, quam ab Imperatore claſſis acceperat, interpretem haud dubie voluntatis illius, quo pacto milites curari haberique vellet.

His actis denuo omnes ſoluimus, iunctimque progreſſi vſque ad Caput Svartenenſe, mirati ſumus, quod ſubſiſtere claſſis in anchoris iuberetur, ſed cauſam poſtmodum intelleximus. Erat enim expectanda Magna Amſterodamenſis quæ hactenus à nobis abfuerat, & ratio moræ erat, quod milites qui eius præſidio nuncupati fuerant, in noſtris veherentur nauibus.

30 Qui ſequebatur dies Dominicus, erat, Maii autem menſis trigeſimus, cum ad ſuperius commemoratum promontorium totam noctem expectaſſemus, nec vero Amſterodamenſis vllibi ſe offerret conſpectui, ſummo mane vela fecimus, vento vſi propitio, proriſque in Cæciam verſis, ſereno cœlo proſpere nauigauimus. ibi centurio noſter leges militares, quæ iam antea nobis propoſitæ ac commendatæ fuerant, repetiit, ipſeque prælegit, in cuius præeuntis verba iurati ſacramentum militare diximus.

Circa meridiem cum ad locum qui Beauverſier dicitur, hæreremus, eteſiæ veluti quædam ab Euroaquilone nobis clementer adſpirabant. complicatis igitur nonnullis velis, anteriores naues, quæ præiuerant, curſus celeritatem ex parte inhibuerunt, vt eas quæ in vltima acie ſubſequebantur, expectarent.

Expirabat iam menſis Maius, vltimum- 31
que diem velut animam agebat, cum nobis circa auroram Vectis Inſula Britanniæ ſe oſtendit: ibi nos vſi ſecundo Euro, in Zephyros naues direximus. Porro ſole iam ad auſtrum nobis verſante (quod fit circa meridiem) repente tempeſtas turbida nebulis mixta viſum prope nobis ademit, vt ad terram propius accedere tutum non eſſet. mutato igitur conſilio apertum mare repetiimus.

Iunii menſis die primo illius anni, qui erat *Iunius menſis. Dies 1.*
à nato bono publico ſupra ſeſquimilleſimum nonageſimus nonus, illuceſcente iam die aperuit ſe quidam Angliæ portus, quem ipſi Goutſtert appellant, quo faſtidito, curſum Pleymuthum verſus intendimus. ad quem cum appuliſſemus anchoras iecimus, eo fine, vt quid noui ferrent Celoces duæ illæ emiſſitiæ, ibi diſceremus, quas Dux noſter ſpeculatum ire iuſſerat.

Quibus opportune aduenientibus, & ad nauem prætoriam iam delatis, emiſſo tonitruo, vt moris eſt, Dux conuocauit centuriones. Conuenere omnes, inque commune conſuluerunt, ſuper rebus bellicis, vt patuit poſtea.

Cæterum nemo mortalis ex vniuerſa claſſe ad eam diem nauim exſcenderat, aut terram pede calcauerat. Sole autem iam meridiano Dux noſter communis, noſque omnes vna cum eo iterum vela in occidentem vertimus. circa veſperam denſa nebula nos obtegebat, noctem vero placidam & quietam, ſi vnquam alias, egimus.

Altero die Iunii menſis, ventus flabat 2.
partim ab Euro partim ab aquilone, progreſſi autem aliquantum, non niſi ſeptem aut octo naues, cernere poteramus, quarum in numero erat Iohannes Heerbrandus, cum ſua naui ſub prætoria.

Sed circiter meridiem octo & viginti naues comparuerunt, nebulis adhuc obtinentibus, Veſpere omnia erant tranquilla, cœlumq; ſudum, ibi demum omnes naues claſſis noſtræ ſe conſpectui noſtro obtulerunt, nobis autē ſemper hactenus adfuerat ſummus Dux claſſis.

Tertio Iunii die, flante Euro duæ per- 3.
egrinæ naues à nobis conſpectæ ſunt: Gallicana vna, Germanica altera. Nos Gallicanam

nam ſine mora perſecuti; aſſecuti tandem ſumus: quam ad Imperatorem claſſis adduximus, quem curſu conſectata nauis illa Gallicana fere per ſpacium horæ vnius, tandem habito colloquio dimiſſa eſt incolumis. quid autem reſponſi illius nauis præfectus retulerit, in ſecreto adhuc eſt. Germanica autem nauis, & ipſa à noſtris comprehenſa, pro amica habita abiuit.

4 Quarta Iunii, quæ dies veneris erat, iterum dux noſter ſenatum militari more habuit, in naui Prætoria: dimiſſis autem ordinum ductoribus & tribunis protinus ratio inita eſt omnis rei tormentariæ, factaque conſignatio, vbi & numerus & pondus illarum machinarum in rationum libros retulere, pariter, quis eſſet modus pulueris pyrii, & quantæ copiæ militares.

5 Die Sabbathi ante meridiem Auſter nobis adſpirabat, nos proras in Fauonium obuertimus, ſed à meridie vt & per totam noctem mira erat tranquillitas & ventorum ſilentium.

6.7. Dies Solis aderat, menſiſque Iunii ſextus, Euronoto flante nauigauimus, cum autem continuæ pluuiæ totum diem obtinerent, curſum omittere coacti vela contraximus. Appetente veſpera alia nauis Gallicana à noſtris intercepta ad claſſem adducta eſt, cuius Nauarchus, poſtquam duci noſtro locutus fuiſſet, dimiſſus curſum ſuum eſt perſecutus.

8 Octauo die Iunii menſis ſex naues militariter inſtructæ & ex omni claſſe lectæ, emiſſæ ſunt, quæ curſum in Fauonium tenuerunt, adſpirante leni & iucundo ventulo. quæ ſequebatur nox continuis imbribus maduit. Obſeruauimus tunc nos acriter quadraginta quinque gradibus à Polo noſtro abeſſe.

9 Sequenti die, poſtquam totam noctem præcedentem nauigaſſemus, orto ſole, vniuerſa claſſis noſtra portum quendam Gallœcorum tenuit, qui haud procul à Viuero aberat, venti à meridie potiſſimum & occaſu flabant, nos deſerto portu in aquilonem curſum intendimus. Circa veſperam autem deprehendimus, nos Caput Ortegallenſe iam præteruectos, quod quidem vndecim milliaribus Germanicis à Corona vrbe diſtat. Cum autem venti ſecundi ſpirarent, in Boream obuerſis proris, celeriter progreſſi ſumus, adeo vt gradibus quadraginta quatuor ab Æquatore nos abeſſe animaduerteremus. Nocte ingruente dictum promontorium non niſi quinque milliaribus verſus occidentem à nobis diſtabat.

Altero die, qui Iouis erat, ventus Caurus 10
ſpirabat, nos roſtra nauium in littus obuertimus, vt regionem noſceremus: deprehenſo igitur errore, nam terra Ortegalēſis erat, curſum in euro notum deflexinus, legentesque quantum fieri poterat, vicinum littus, recta ciuitatem Coronam petiimus, vbi expeditis armis ac inſtrumentis militaribus quiſque ſe parauit ad hoſtem excipiendum, nō aliter ac ſi è veſtigio committendum foret prælium.

Paucis horis interuenientibus aperuit ſe nobis territorium Coronenſe, & Turris, ſiue Pharos, in littore illo conſtituta.

Corona autem eſt Emporium, & ciuitas maritima Galliciæ, (ſic hodie vocant eam veteris Luſitaniæ partem, cuius incolæ Galłœci dicti) gradibus quadraginta tribus duodecimque ſextulis ab Æquatore verſus Arctum diſtans, Angliæ partem & Iberniæ aduerſam habens, centum & quindecim milliaribus Germanicis à Pleymutho Angliæ portu remota, eſtque ea ciuitas extructa forma prope trigonali, mari vicino admodum profundo, & quantumuis magnis nauibus aditum indulgente, adeò vt cum pulcherrimis ac capaciſſimis totius orbis Chriſtiani, portus iſte comparari queat. Qua commoditate animaduerſa, Rex Hiſpanus nuper iuſſit, vt portus ille manu & opere redderetur quam munitiſſimus extructis in circuitu fortaliciis & propugnaculis. Eo loco, vt & Ferolæ pleræque claſſes, quas Hiſpani hactenus ad Angliam, Iberniam & fœderatam Belgicam infeſtandas emiſere, extructæ fuerunt, adeoque ſuperioris anni potiſſimam partem in fabricandis nauibus conſumſerant. Noſter igitur Dux, vt conatus illos noxios impediret & naues exitio Chriſtianæ reipublicæ factas diſturbaret, ac, ſi pote, perderet, ſtatuit oppidum hoſtiliter aggredi.

Vndecima dies Iunii erat, cùm mane Bo- 11
reas Euro iunctus flaret, ibi nos ſex nauibus aſſumtis, prægreſſi ſumus claſſem, vt celerius ad oppidum perueniremus, ſimulque diſceremus, quid Hiſpani contra nos molirentur. Ibi ſe in conſpectum dedit Promontorium Prioris, quod vocant, in orientem vergens.

Progreſſi aliquantum verſus Auſtrum, duas Celoces obuias habuimus, quas Ferolenſes conſpicati noſtras naues emiſerant, vt quid nauium quid virorum adeſſet, ſpecularentur. Auerſis igitur à vento velis, ſubſti-

ſubſtitimus, expectaturi celoces illas. Cæterum altera ex his duabus, cum laſſis nautis & remigibus accedere ad nos propius non poſſet, altera autem dubitaret, adeundumne foret an ſecus, nos Hiſpanos inclamauimus vltro, dicentes, nos Saxones eſſe, venire Hamburgo, inſtructos copia panni præſtantioris notæ, aliiſque mercimoniis, petere igitur, vt nobis ducem darent, qui ſub fide publica nos Coronam deduceret. Ibi aſſumta fiducia altera è nauigiis iſtis acceſſit propius, nos autem magna celeritate apprehenſum Hiſpanum, in nauem noſtram ſubtraximus. quam rem conſpicati reliqui, qui in celoce erant, ſumma ope adnixi ſunt, vt quam primum euaderent, quod & fecerunt. Raptus ad hunc modum Hiſpanus protinus ad Imperatorem Claſſis deductus eſt: qui narrauit, quatuor militum centurias nuper oppido præſidio miſſas, aliquemque inſuper equitum numerum. Præterea eo aduenisse currus triginta ſex, ſignato argento oneratos, & trecenta vini dolia, quæ omnia in vſus claſſis Hiſpanicæ conuertenda forent, vt ea celerius expediretur. Cuius rei vt fidem faceret pleniorem, affirmabat ſe ſuperiorem noctem Coronæ egiſſe, eſſeque in ſeruitio regis ſui.

A meridie, cum ſol iam inclinaret curſum, vniuerſa claſſis noſtra coronam oppidum adiuit, quo nos aduentu ſuo iam præuerterat. Magna illa nauis Amſterodamenſis, quam ibi in ſtatione offendimus.

Porro ipſum oppidum Coronenſe cum omnibus propugnaculis & fortaliciis, propugnatoribus abundabat, non ſolum ex veteri præſidio, ſed etiam copiis aduenticiis. aderat tormentorum ac pulueris nitrati ingens copia, erantque plane parati ad excipiendum hoſtem: nec potuerat noſtrum propoſitum clam haberi, cum Hiſpanorum clientes, qui paſſim per Galliam & Belgium degunt, multo ante ſuos certiores fecerint.

Viſo igitur Imperator noſter, muros ciuitatis ſcatere propugnatoribus, vbi primum ad vrbem acceſſit, naues, quam proxime fieri poterat, ſubter ipſa mœnia ſubduxit, iactiſque Anchoris ibi ſubſtitit.

Milites Hiſpani, qui caſtella & propugnacula in præſidio habebant, vt nec minus illi, qui in mœnibus oppidi erant diſpoſiti, ſine fine in nos fulminabant, præcipuè è machinis grandioribus, adeò vt paucarum horarum ſpacio ducentos globos ferreos in noſtros emiſerint. Quanquam autem ictus illi non fuerint nugatorii, ſed plerique naues noſtras attingerent, nemo tamen ex omni militari aut nautica manu deſideratus fuit, nec quicquam ferè damni à nobis acceptum eſt.

Aliud inſuper propugnaculum ad Caſtelli ſpeciem extra vrbem adortum extructum erat, à quo non minus appetebamur ferreis globis, ita vt ab omni parte nihil nobis tutum appareret. Ex omni nauium numero, nulla grauius vulnerata eſt ea, quam Bellum Lambertum appellabant, quæ res admiratione non carebat, cum tam denſis ordinibus conſtitiſſent, & in tanta arcis Vrbanæ vicinia, ſub cuius crepidine duodecim prælongæ triremes cum nonnullis nauibus Gallicanis latebant, vnde non pauci globi igniti in noſtram claſſem coniiciebantur.



Dux noſter, cum oppidum tam valide defendi intelligeret, ne quid temere aut præcipitanter faceret, conuocato ſenatu bellico, in medium conſulere iuſſit, qua potiſſimum ratione oppidum tentandum, & hoſtis coercendus foret. Nemini ex omni ductorum numero placuit, vt ibi in terram exponeretur miles, cum hoſtilium copiarum non exiguum eſſet robur, & in omnibus prope locis opportunis eximia vigilantia, cum ante menſem & vltra de noſtro aduentu per emiſſarios ſuos facti fuiſſent certiores, non igitur vlteriores ibi terendas moras, ſed receptui canendum.

Quapropter, cum nihil ibi affulgeret ſpei, & perpetuus globorum imber in nos quaſi deplueret ac detonaret, ſummo ſilentio inde diſceſſimus, deſerentes inimicum oppidum.

Circa tempus Veſpertinum curſu in Cæciam ventum conuerſo Caput S. Vincentii petere inſtitimus, vti S. Lucæ oppidum, ſi fata adſpirarent, ex improuiſo adorti opprimeremus. Eſt autem id oppidum in Andaluſia, quæ eſt pars Bæticæ, ſitum, ad ripam Bætis fluuii (qui hodie Mauro-hiſpanorum lingua Guadalquevir dicitur, id eſt fluuius magnus) infra Hiſpalim, portum habens valde commodum, triginta ſex gradibus & quadraginta minutalibus ab Æquatore diſtans.

Saturni die, qui duodecimus Iunii erat, 12
Ventum frigidiuſculum nacti, littus Gallœcorum præteruecti, circa meridiem Cæſaream Inſulam attigimus, qua omiſſa Extremum Hiſpaniæ promontorium, quod ipſi Caput finis terræ appellant, petere inſtitimus.

Sequenti die propoſito edicto, Dux no- 13
ſter graui conſtituta pœna, omnem alea, aut chartis luſoriis, aut quacunque tandem ratione id fieret, ludēdi abrogauit licentiam, eratque ea edicti ſeueritas, vt ne illis quidē, qui animi gratia aut fallendi temporis ergo id facerent, indulgeret quidquam, nedum illis qui de pecuniis lucrandis certarent.

Die lunæ ſequenti Sæuior Boreas velis 14
noſtris illapſus fecit, vt in Auſtrum nauigaremus, Sole igitur meridiano, Portum de Portu, (ita appellatur locus) conſpicabamur gradibus vno & quadraginta ab æquatore.

Decimo

15 Decimoquinto huius menſis die, circa ſolis exortum vidimus promontorium Roxentinum, complicatiſque pleriſque velis lento admodum gradu progreſſi ſumus, idque eo, vt quæ moratæ fuerant naues, aſſequi nos poſſent, atq; ita claſſis adunata vno agmine ingrederetur, toto autem hoc poſtremo itinere venti miris modis nobis ſecundi erant, exiſtentibus tunc ſub trigeſimo ſexto gradu æquatoris.

16 Die Mercurii qui ſequebatur duo peregrina nauigia vidimus, quæ in orientem à noſtra claſſe nauigabant. Miſſæ igitur è veſtigio è noſtris naues aliquot expeditiores, aſſecutæ ſunt nauigia illa, & apprehenderunt. Spectabant autem ad Piratam quendam Anglum, qui pone ſuam trahebat Hiſpanicam nauem captiuam, tribus velis inſtructam.

Narrabat hic Pirata, bis ſe iam prædas in Angliam miſiſſe, iamque in patriam cogitare, vtiq; cum deſtitueretur neceſſario commeatu, collocutus ergo aliquantiſper cum Duce noſtro, cum nihil impacati præ ſe ferret, cum vtroque nauigio dimiſſus eſt.

17 Decimoſeptimo Iunii die perpetua malacia mare tenuit.

18 Sequentem diem perpetui Euroaquilonis flatus obtinuere, qui nos in fauonium ventum egerunt, vbi animaduerſo Imperator claſſis noſtræ, Oppidum S. Lucæ ſe iam præteruectum, quod longe nobis à tergo relictum fuerat, Venti autem qui ad Inſulas Canarias ferunt, mirifice adſpirarent, cum inſuper tempus ſenſim laberetur, conſtituit Inſulas illas ſumma vi aggredi, cui rei ſe omni modo accinxit.

Numerantur autem Inſulæ illæ Canariæ omnino ſeptem. Grandis Canaria, Palma, Teneriffa, Forteventura, Ferro, Gomera, Lancerota. Non magnis hæ inter ſe differūt ſpaciis, vnoque nomine omnes dicuntur Canariæ, ab illa quæ eſt præcipui nominis & fertilitatis. ea olim ſimpliciter Canaria, hodie Canaria grandis dicitur.

Sunt autem hæ ipſæ inſulæ illæ quæ à veteribus Fortunatæ indigetantur, ſine dubio ob felicem prouentum omnium rerum, abundantiamque cum admirabilis ſit ſoli fœcunditas, quod ſua prope ſponte & indole profert omnia, quæ vſibus humanis neceſſaria ſunt.

Et profecto tres illæ, Grandis Canaria, Palma, & Teneriffa optimo Iure Fortunatæ dici poſſunt, cum omnibus vitæ deliciis affluant exundanter, gignentes præter res neceſſarias Vinum, Oleum & ſaccharum ingenti copia, tantaque præſtantia, vt in pleraſque Europæ regiones, magno negotiatorum emolumento, deferantur.

Parent autē omnes hæ Inſulæ iam à multis retro annis Hiſpanorum Regi, nec alium nouerunt dominum, cum aborigines & primi earum incolæ ab Hiſpanis radicitus fuerint extirpati, aut eiecti.

Quis autem primus incolarum libertatem infregerit, eoſque Hiſpanico iugo ſubiecerit, inter res incertas habetur. Non æque incertum de hoc, quod Inſulæ, Forteventura, Ferro, & Lancerota primo occupatæ fuerint, tres autē, quæ ſupererant, Gran Canaria, Palma, Teneriffa longo tempore poſt ab errore Ethnico auelli, ſed nec expugnari potuerint, cum incolæ ius ac libertatem ſuam armis ſtrenue defenderent, accedēte inſuper littore plane importuoſo, procurrentibus in mare ſcopulis, & celſis montibus interiora protegentibus. Quibus de cauſis omnibus factum eſt, vt Hiſpanorum dominium auerſati, ſæpe eos ingenti cum clade à terris ſuis profligauerint.

Has igitur Inſulas Canarias petere iuſſit Dux noſter, omiſſis aliis cogitationibus, interque eas præcipue grandem Canariam & Gomeram aggredi.

Eo itaque directo curſu, Dux noſter non ſolum centuriones & tribunos, ſed & peritiores nautas, & qui ad clauum ſedebant, in conſilium adhibuit, vt ſententiam quiſque ſuam dicerent, qua ratione quam commodiſſime inuadi poſſent, quove loco milites in terram forent exponendi. igitur circa meridiem eiuſdem diei Capitanei noui creati fuerunt, qui copiis iam terreſtri itinere ingredientibus præeſſent. Signa quoque ſiue vexilla noua diſtributa ad nouem vel decem, vt vnaquæque nauis proprio ſuo vteretur vexillo. Præter illos honoris ergo noui centuriones creati ſunt, & ſigniferi, & locumtenentes, cæterique qui cum poteſtate aliqua eſſent, conſtabatque ſignum centenis tricenis viris, partim militibus partim nautis: quibus omnibus imperatum erat, quid facto opus eſſet, donec terreſtris duraret cum hoſte militia.

Vndevigeſimo Iunii die, cum conſideraret Dux noſter, nos magis magiſque ad Æquinoctialem circulū appropinquare, quæ pars à veteribus ob feruorem Solis Zona torrida dicta fuit, quo in loco cibis ventrem ſaburrare quauis lue nocentius eſt, vnde varii morbi ac peregrini generis nauigantium corpora affligere ſolent, morte fere ſequente: huic igitur malo vt obuiaretur, legē tulit, vt cibis potuique is modus poneretur, vt ſenis hominibus, quini canthari cere- 19 20. 21. 22.

uiſiæ, Roderodamenſis menſuræ, in ſingulos dies, & quinæ libræ panis nautici; caſeus inſuper ſelibris, & Butyri libræ ſingulæ hebdomadatim porrigerentur. Leguminum quoque certa menſura in ſingulos dies erat conſtituta.

Sed cura belli potior fuit culinaria. Igitur ex omni numero delecti ſunt Capitanei duo, Hartmannus & Picquius, qui velut duces Legionum cum imperio præeſſent exercitui, tam è milite quam nauticis miniſteriis conſcripto. quibus ita ordinatis, vigeſimo tertio die Iunii, cùm venti è ſeptemtrionibus ſpirarent, propoſito vexillo cum conuenire ad prætoriam iuſſi eſſent omnes, qui cum authoritate erant, collectis ſuffragiis quæſitum eſt, qua potiſſimũ ratione, egreſſo in terram milite, acies ſtruenda foret. Ibi ſubductis rationibus Geometricis deprehendimus nos adhuc triginta ſex milliaribus à Grande Canaria abeſſe.

24 Vigeſimo quarto ſuperioris menſis die, curſum noſtrum pertinaciter tenuimus, vbi ſole iam inclinato vidimus terram, quæ ab oriente in auſtrum vergebat, eratque vna ex Inſulis Canariis, Lancerota dicta. Apparebat etiam parua quædam Inſula inter reliquas maiores, Allagamea dicta, conuerſis igitur proris in Caurum ventum iuxta inſulam Forteventuram nauigauimus, quæ præaltis montibus conſpicua eſt. Sole iam in occaſum vergente, Forteventuram à tergo habuimus, nec poſt ſe obtulit viſui noſtro. Hora vero tertia veſpertina Grandis Canaria ſe conſpiciendam dedit, quam diſſimulanter præteriuimus, vt à longe melius ſpecularemur & inſulæ naturam ac ſitum, & littoris opportunitates. Comperto igitur nos non erraſſe, ſed vere littus Gran-Canariæ legere, Dux noſter imperauit, vt complicatis velis expectaremus poſtremum agmen nauium. quod cum ſe nobis coniunxiſſet, iterum vela ventis dedimus, & recta Inſulam petiimus.

Igitur Grandis Canaria gradibus viginti octo à linea æquinoctiali abeſt, centum & quinquaginta milliaribus à promontorio famoſo S. Vincentii in Luſitania, habetque in circumferentia ſua ducenties ſexagies mille paſſus, qui geometrica ſupputatione viginti ſex milliaria Germanica conſtituunt.

Huius Inſulæ Metropolis eſt Allagona, magni nominis oppidum in illis locis, plures quadringentis domus priuatas continens. Eſtque hoc oppidum non ſolum huius, ſed in vniuerſum omnium Canariarum inſularum caput, vbi Tribunal & Dicaſterium ex Eccleſiaſticis & Politicis conſtans iudicibus, vbi inſuper Hiſpanus Inquiſitor, & Prorex harum Inſularum ius dicit. Hoc oppidum, Allagona, ab ea parte, qua mari alluitur, partim propugnaculo manu extructo, partim vero, inprimis verſus aquilonem, muro munitum eſt, qua ad portum itur. Tertio lateri montes præalti & inacceſſi, vt & vadoſum mare ſecuritatem præſtant.

Ipſum oppidum riuo dulcis aquæ, quæ è vicinis montibus proſilit, interluitur, in cuius riui oſtium nullæ tamen maiores naues ingredi poſſunt.

Ipſe Portus Inſulæ quadringentis fere paſſibus ab oppido abeſt, ſi in aquilonem abeas, ad cuius cuſtodiam Iuſſu Regis Hiſpani extructum eſt caſtellum validum ſatis, quod caſtellum (vt & reliqua omnia per totam Inſulam,) omni tormentorum genere, milite, puluere pyrio cæteriſque inſtrumentis bellicis erat inſtructiſſimum.

Vigeſimo



26. Vigeſimo ſexto Iunii, qui dies erat Saturni, diluculo vniuerſa claſſis flante Euroaquilone portum Magnæ Canariæ ingreſſa eſt: quo facto ad ipſa Caſtelli Gratioſæ (id erat ei nomen) fundamenta Anchoras proiecimus.

Eo intellecto Vicerex Hiſpanus ſeptem ſigna peditum Hiſpanorum trahens, ad littus acceſſit, portumque vicinum vndique præſidio muniuit, tria inſuper tormenta ibi conſtituit, in noſtros obuerſa, vt eos aditu arceret.

Igitur ex Caſtello Gratioſa continuo in noſtros fulmina emiſſa ſunt; quo illectus Dux noſter, qui quam proxime cum nauibus, in quibus vaſtiores machinæ erant, ipſum Caſtellum ſubiuerat, pari violentia Caſtellum petiuit, ita vt multum temporis vtrinque fulminando inſumptum fuerit.

Haud procul inde in crepidine maris ſtabant duæ naues Hiſpanicæ, & Actuaria vna. ex iis altera nauis frequentibus noſtrorum globis perforata ſubſedit in profundo, altera vero cum actuaria ad noſtrum ducem perducta eſt.

Fulminante ad hunc modum è nauibus Duce noſtro, Caſtellum Gratioſa valide concuſſum rimas agere cœpit, quæ res præſidiariis multum de audacia ademit, adeo vt rariores ferri globos in noſtros emitterent; etſi eos non latebat, non omnino fruſtraneos fuiſſe ictus ſuos. Nam aliquot naues è noſtratibus damnum perpeſſæ fuerant; quin & ipſa nauis prætoria, in qua tum verſabatur Dux noſter Generalis, mali ruptura grauiter affecta erat, itemque ſubprætoria, quæ erat Magna Amſterodamenſis, quæ adeo male accepta fuerat, vt carina eius ſex aut ſeptem globis ferreis traiecta, aliquot ex militum & nautarum numero interierint. Cæterum qui Gratioſam præſidio obtinebant, nihilo magis ex his damnis noſtrorum alacriores effecti, tandem remiſſius omnia agere cœperunt.

Qua animorum inclinatione cognita, milites ingenti alacritate ſcalmis lembisque illapſi celeriter ad littus ſe egerunt, quibus vt præſidio eſſent, naues, quæ propter auerſum ſitum, caſtellum petere non poterant, machinas ſuas in littus direxere, vt incommodarent hoſti, qui magna manu ibi in acie ſtabat, vbi noſtris in terram erat exſcendendum.

Imperator claſſis noſtræ, cum cæteris minoribus nauigiis, terram petere firmiter inſtitit, pugnatum eſt contra hoſtes in littore è longinquo aliquandiu acriter. Videns autem hoſtem ab ſtatione amoueri non poſſe, & aquam magis magisque minui,

nui , audax facinus commiſit. proſiliens enim in mare , vmbilico tenus, ex ipſis vndis contra hoſtem pugnauit , quem ſecuti plerique milites qui in ſcalmis erant, acrem iniuere cum hoſte pugnam , qui ſtationem ſuam egregie defendens latum vnguem non cedebat , ſed noſtris iniquo loco pugnantibus facile par erat , vt quidam noſtrorum militum caderent, traiecti glandibus, quanquam ex hoſtium numero plures oppetierint , ad inſtar virorum triginta ſex. maxime autem hæc clades in Proregem incubuit, cui ex equo pugnam cienti globi grandioris ictu dextrum crus auulſum fuit.

Petrus igitur DOVSA, Imperator claſſis noſtræ primus fuit, qui è nauicula in mare deſiliit, primusque qui hoſtilem terram tenuit, quamuis magno ſteterit ipſi hæc laus.

Præter enim vulnera, quatuor quæ in diuerſis corporis partibus acceperat , lancea femur traiectus, parum abfuit, quin occumberet, niſi miles quidam Hiſpanum occupaſſet ac trucidaſſet , qui iam feralem gladium duci prolapſo intentabat.

Nec tamen vulnera illa, quæ Douſa acceperat, periculum mortis afferebant , cito enim conualuit. At vero ſignifer eius fortiter prælians occubuit : vt & Legatus eius, & capitaneus Crucquius, alter collum, alter caput traiectus.

Oppetiere inſuper quatuor milites è promtioribus. Vulnerati fuerunt in nauigiis, antequam in terram egrederentur omnino quindecim , partim nautæ partim milites.

Noſtris igitur iam pleno & æquo Marte prælantibus , hoſtes deſertis ſtationibus ſenſim ceſſere primo, poſt effuſa fuga Allagonam oppidum petiuere , tanta præcipitantia, vt machinas tres metallo fuſas nobis in littore relinquerent. Traxere tamen ſecum Proregem ſuum, cui crus in feruore prælii auulſum fuerat, cæterum triginta ſex cadauera ſuorum nobis ſepelienda reliqua fecere, quæ quidem velites noſtri veſtibus ſpoliata, nuda abiecere. Qui autem è noſtris ceciderant, honeſta dignaque viris fortibus ſepultura ſunt affecti.



Occupa-

Occupato ad hunc modum littore, hoſtibusque profligatis, Dux noſter milites conuocatos in acie conſtituit, miſitque naues Actuarias denuo ad claſſem. At vero præſidiarii in Caſtello Gratioſa, animaduerſo, nos littus tenere, animum plane abiecerunt, abſtinueruntque ab emittendis in noſtros tormentis. Qui igitur adhuc in nauibus erant milites, hoc metu liberati, in actuarias, ſcaphasque ingreſſi & ipſi in terram euaſerunt.

Iam prima acies Inſulæ compos facta ingrediebatur, in ſeptem cohortes diuiſa, quæ conſtabant ſignis viginti quatuor, inde aliquantum progreſſi ſumus, viceni, ſeruantes ordines & aciei ſtructuram.

Cum adhunc modum inſtructi mandata expectaremus, tres nautæ concitato curſu ad Ducem aduolauere, nunciantes, Hiſpanos velle & ſeſe & Caſtellum dedere, ea ſolum conditione, vti corpora & bona ſua ſibi ſeruarentur incolumia. quo intellecto Dux noſter cum quibuſdam ordinum ductoribus propius ad Gratioſam acceſſit. Viſo eo milites præſidiarii è veſtigio deditionem fecere, nihil vlterius pacti, ſed ipſius clementiæ ac manſuetudini omnia deferentes. Ita munitiſſimum illud Caſtellum, cui Gratioſæ nomen fuiſſe, ſupra diximus, noſtris ceſſit.

Inuentæ ſunt in hoc caſtello machinæ igniuomæ maiores quindecim. nouem metallo mixto erant fuſæ, ſex ſerro. Præſidiarii iuſſi ſunt arma ponere, erant autem viri octoginta, ſclopetarii omnes, partim è milite conſcripto partim ex indigenis lecti, vt defenderent caſtellum.

Pulueris inſuper nitrati, plumbeorum ferratorumque globorum, cæteræque materiæ is numerus qui facile ſufficeret. reperimus inſuper triginta ſclopetos minores & manibus habiles. Octoginta quinque inſuper captiuos ibi offendimus, reliqui inter crebra à noſtris emiſſa fulmina perierant, aut effracto ergaſtulo fugerant. Omnia hæc corpora viua ſimul iure belli captiua facta ſunt, inque nauim Hiſpanicam, quam ſub Caſtello noſtri ceperant, compacta ac cuſtodita ſunt. Dux autem præfectos eorum tres, qui cum authoritate eſſe videbantur, penes ſe detinuit, vt quæ ſcitu opus erant, ex iis diſceret.

Gratioſa igitur, potiſſimum Canariarum Inſularum robur & refugium, quod inexpugnabile credebatur, Hollandorum iuris hoc pacto factum eſt, ſine ſingulari oppugnantium periculo aut labore, cuius cuſtodiæ protinus octoginta è noſtris militibus deſtinati ſub vexillo ingreſſi ſunt, qui ſublato ſigno Hiſpanienſi, aliud ſubſtituerunt triumphabundi, quod pomorum auratorũ colorem referebat.

Duo inſuper Æthiopes à noſtris nautis deprehenſi, adque Ducem deducti fuerunt, ſed cum peierarent, ſe in montibus id temporis dormiuiſſe, nec quidquam noſſe rerum præteritarum, nihil ex ipſis cognoſci potuit.

Igitur ſub crepuſculum vniuerſæ copiæ, quæ, vti dictum, vigintiquatuor ſignis conſtabant, aliquantum progreſſæ verſus Allagonam oppidum, in quatuor cohortes diſtributæ ſunt. Prima cohors pone ipſam vrbem conſedit, altera in inſidiis collocata eſt. Tertia, quæ ex accolis Moſæ conſcripta fuerat, adiunctis ſibi Amſtrodamenſibus, longius paulo ab oppido montes inſedit, quarta eſt cohors ex Zelandis & Northollandis conſtans littus tenuit. ita omnes milites ſeruatis ordinibus in acie ſtetere, intenti in omnes occaſiones per integram noctem.

Die dominico, qui vigeſimus ſeptimus erat Iunii menſis, ſummo mane, vniuerſæ copiæ, in ſeptem cohortes diſtributæ ipſam vrbem Allagonam intrepide acceſſimus, vbi conſeruatis ordinibus hoſtem ſumus præſtolati.

Hiſpanis autem ſine intermiſſione in nos 27.
ferro plumboque detonantibus, noſtrisque militibus ex eo caſtello, quod aquilonem verſus prominebat, non parum damni inferentibus, viſum eſt duci, duas illas cohortes, quæ propius ad propugnaculum illud acceſſerat, reuocare, vt montis vicini præſidio tuti, ſeipſos melioribus ſeruarent occaſionibus. nec enim ferendum erat, cum noſtri denſius conſtitiſſent, vt Hiſpani ab alto loco ita in eos debaccharentur, cum nonnunquam quaterni quinique vno ictu ab iis impune proſternerentur.

Animaduertentes autem hoſtes, noſtros iam aliquo modo muniuiſſe ſe, alia via adorſi, in ſummitate vicini collis ſex aut ſeptem minoris generis machinas collocauerunt, quas Falconettas vocant, mittuntque globum ferreum vnius libræ, quin & globos ligneos in nos emiſere, fuitque initio multum damni inter noſtros datum, cum & machinæ artificioſe ab iis eſſent directæ, & caſtra noſtra ab ea parte nuda vallo, nec munita.

Cepit

Cepit ibi temeritas quoſdam è noſtris, vt ad decem aut duodecim numero aduerſum montem ſuccederent, profligaturi ſcilicet armis noxios illos homines. Sed repulſi ſunt, vnus etiam inter eos tarditatis ſuæ atroces pœnas dedit, correptus ab Hiſpanis, & in quatuor fruſtra diſſectus.

Capto hoc crudelitatis Ibericæ experimento, noſtri milites, cum circa veſperam Hiſpanum exploratorem intercepiſſent, eodem loco habuerunt, quo illi Batauum. ita miſer & ipſe diuulſo quadrifariam corpore alienæ ſæuitiæ pœnas luit.

Tandem Dux noſter cum non paucos noſtrorum militum interire ſubinde cognoſceret; quinque machinas fuſiles è caſtro Gratioſa afferri iuſſit, quod ſuperioribus diebus deditione noſtrum factum fuerat; quo facto circa veſperam vallum agere, locumque collocandis machinis moliri cœperunt, plantatisque, vt loquuntur, tribus tormentis fulminari cœptum eſt, tam in arcem quam in montem, noſtris adeo noxium, adeoque celeriter in opere hoc perrectum eſt, vt ante noctem ſexies exonerarentur machinæ.

Interea dum noſtri in munitione peragẽda ſatagunt, inque collocandis tormentis occupantur, hoſtes quoque & ipſi ſuas machinas in eos conuertere, vt non pauci è noſtris partim vulnerati fuerint, partim trucidati, inter quos tribuno cuidam, Petro Eindio crus violentia globi auulſum, ipſum intra triduum mori coegit. Nocte autem iam denſius ingruente, pari modo ac antea, copiæ ad ſigna vocatæ, inque acie collocatæ ſunt, quindenis in vnaquaque ſerie conſtitutis: eamque totam noctem viginti quatuor ſigna in acie conſtitere ſeruatis ordinibus.

28 Altero die, iam manefacto, ſoluti ordines vnumquenque vel ad tectum ſuum vel ad ſtationem dimiſere, pauloque poſt adhuc duæ machinæ maiores in munitionem noſtram perductæ, ibique collocatæ ſunt. Cœptum inde quatuor tormentis caſtellum concuti, quinto mons vicinus ab hoſte inſeſſus: quod cum vidiſſent hoſtes ingentes ſaccos lana repletos, & dolia lapidibus plena in ſummitate propugnaculi collocauerunt: ſed hic aſtus non ſolum illis nihil profuit ſed magnopere obfuit. Quoties enim globi noſtri ferrei in eorum dolia lapidibus oppleta violenter impingerent, facile cogitatu eſt, quam fortiter lapides illi non ſolum integri, ſed & comminuti ob ictus vehementiam, non ſolum in corpora propinquorum, ſed & longius diſſitorum ferrentur. non parum cladis & impedimenti hæc ingenioſa inuentio ipſis attulit, multis, qui in anguſto loco cedere non poterant, trucidatis, pluribus fœde vulneratis.

Cum igitur frequentibus fulminibus noſtrorum, ſuperius arcis defenſaculum prope deterſum, & ad conſiſtendum inutile redditum eſſet, vt inde parum admodum periculi eſſet pertimeſcendum, cohors noſtrorum militum, è ſignis quatuor conſtans, montem vicinum vno agmine petiit, vt hoſtem, qui inde in noſtros continue debacchabatur, depelleret. Qui videns ab omni parte ſe hoſtiliter angi, quaſſato tam valide Caſtello, noſtris montem ſerio aggredientibus, porta ciuitatis incendio flagrante, deſperatio illos cepit defendendi oppidi. Igitur circa meridiem & Caſtellum & montem illum infamem deſeruerunt, omneſque in vniuerſum ciues, Magiſtratus, clerici, inquilini cum præſidiariis, coniuges liberoſque poſt ſe trahentes vrbe exceſſere, cum ſecũ aſportaſſent, quantum quiſque ferre poſſet, & quantum præceps fuga permittebat.

Quod cum animaduertiſſemus, repente aciem ſtruximus, denique in ordinibus conſtitimus. At Dux noſter, intellecta hoſtium fuga, duas ſcalas è vicino delubro ſiue ſacello afferri iuſſit; quarum illa quidem breuior quam vt ad rem faceret, conatum noſtrum eluſit, alteram autem applicantes murum eius beneficio conſcendimus, fuitque Dux noſter primus, qui ſuperatis mœnibus oppidum ingreſſus eſt. Ita ſub meridianum fere tempus oppido potiti ſumus, noſtris quibuſdam incitato curſu arcem petentibus, cum nullum ibi propugnatorem animaduerterent.

Doloſe quoque hoſtis occultum ignem portæ ciuitatis ſubiecerat, vt noſtris ingredientibus magna vi emicans eos in ſublime ferret ambuſtos, vti ſolet, ſed ſingulari Dei gratia factum eſt, vt ignis ille artificialis conflagraret, nimis celeriter, cum noſtri milites adhuc circa mœnia oppidi ſatagerent, fuitque hæc fraus nobis innoxia. Præterea in plateis ac compitis magnam vim pyrii pulueris diſperſerant, qui concepto igne noſtros ambuſtos inutiles bello redderet, ſed hoc ludibrium Batavi milites contemſere, nam ipſi data opera incenderunt ſine læſione cuiuſquam.

Occupato caſtello, Regium vexillum direptum, locum dedit Naſſouico ſiue Auraugienſi, & quinque machinæ igniuomæ, meliori metallo fuſæ, ibi repertæ noſtri iuris factæ ſunt.

Toto iam exercitu oppidum ingreſſo acies denuo ſtructa fuit, quindenis viris ſeriem conſtituentibus, ſufficiente ad explicandas

candás copias loco in oppido ſatis ſpacioſo. Qui autem in montanis partibus ſubſtiterant milites, oppidum ingreſſi, captiuum quendam virum, natione Zelandum, patria Vliſſingenſem ad Ducem deduxerunt, quē è carcere Caſtelli exemerant. quem ſecutus Dux noſter ad carcerem perrexit, comitatus quibuſdam Capitaneis & tribunis. Ibi offenderunt triginta ſex captiuos, quos omnes pætore & illuvie carceris ſqualidos, libertati reſtituerunt, à quibus accepimus, Hiſpanos duos ex omni captiuorum numero ſecum in montes abſtraxiſſe, quibus ſupplicium ignis iam iudicum conſenſu, decretum eſſet. Alter erat Anglus, alter vero Germanus, qui ambo captiui detenti fuiſſent in quodam ſanctorum Larario, vel potius fœdo ergaſtulo.

Ita factum eſt, diuina cum primis opitulante clementia, vt tota Inſula Grancanaria, cum primaria ciuitate Allagona, in qua Religionis, Iuſtitiæ, rei bellicæ ſedes fuerat, noſtri iuris facta ſit, ſuis ipſius oppugnata tormentis, ſuisq; ſibi occupata ſcalis. Nec multum moræ intervenit, celerius prope omnia peracta ſunt quam deliberata.

Circa veſpertinum tempus aſſignata fuerunt militi diuerſoria in ciuitate, multæ tamen domus ſigno Ducis generalis notatæ, à direptione immunitatē loquebantur. Poſtea quicquid nauticarum operarum aut ſeruitiorum hactenus adhuc in nauibus hæſerat, in vrbem hi quoque introducti direptioni initium fecerunt, ſuntque omnes domus ſine diſcrimine diſpoliatæ ac compilatæ, paucis exceptis, quæ Imperatoris claſſici nomen profitebantur. Nec fuit pro ſperata magnitudine opulenta, præda. Hiſpani enim præſtantiſſimum ac precioſiſſimum quidque ſecum, fugientes in montes ac ſyluas abſtulerant.

Poſtea ſingulis Capitaneis eorumque militibus peculiares vici adſignati ſunt, excubiæque quanta maxima fieri potuit diligentia diſpoſitæ, nec id ſolum intra oppidū, ſed etiam in vicino monte, cum hoſtes ſe conſpectui noſtro è montibus ſæpius offerrent. non ergo erant ſuperuacaneæ vigiliæ.

29 Die vigeſimo nono Iunii, quidam è nauticis noſtris miniſteriis petulantia quadam inſtigati, in montana ab hoſtibus inſeſſa vſque excurrerunt, hi ab hoſtibus inuaſi, cum viarum eſſent ignari, viginti è ſuis cæſos deſiderarunt.

Appetente veſpera cohors trecentorum noſtrorum militum vicinum quoddam Caſtellum petiit, quod via in auſtrum ducente non longe ab oppido aberat, itinere non omnino vnius horæ. porro qui illi caſtello defendendo aderant hoſtes, conſpicati aduentum noſtrorum hominum; deſerto caſtello montes & ipſi fuga petierunt. Nos igitur caſtello occupato tres machinas æneas ibi inuenimus, impoſitoque modico præſidio, vt excubias ibi ageret, cæteri milites in oppidum reducti ſunt. Ea ipſa nocte digreſſi à latibulis ſuis Hiſpani, extremos noſtros excubitores, quos militari vocabulo Vigiliam perditam vocant, inuaſerunt, & iugulatis quibuſdam receſſerunt.

Moriente Iunio & iam fere ſepulto, cœ- 30
pimus parte illa prædæ, quæ Duci noſtro generali & centurionibus peculiariter obtigerat, naues implere, erat autem fere vinū & alia maiora mercimonia. Noſtris autem in hoc opere occupatis, tres quidam Hiſpani cum vexillo albo in manibus ad noſtros acceſſerunt, pacem præferentes. Deducti ad Ducem noſtrum ſupremum, pauloque poſt quidam alii duo, cum diutiuſcule cum Duce collocuti eſſent, ad ſuos redierunt. Circa veſperam duo alii & à prioribus diuerſi aderant, ſignum pacis & amicitiæ oſtentantes, ſed ne ad colloquium quidem admiſſi, celeriter ad ſuos ſe recipere iuſſi ſunt.

Iulius menſis auſpicium ſuum capiebat, *Iulius*
cuius primo die Duo ſacerdotes cum quinq; *menſis.*
alii Hiſpanis aderant. Petebant hic cum Ge- 1
nerali Duce noſtro colloqui. deducti igitur in prætorium ſunt. Sed Dux parum fidens Ibericæ fide, ad colloquium eos admittere recuſauit, iuſſitque vt celeriter extra oppidum deducti in montes ablegarentur.

Oneratis igitur nauibus, concione per præconem diuini verbi habita in primario templo Allagonenſi, Gratiæ ingentes Deo actæ ſunt pro tam luculenta victoria, feliciq; rerum ſucceſſu, quo hactenus fueramus vſi: precesque additæ, vt gratiam ſuam DEVS porro ipſis, ad vlteriores expeditiones largiri dignaretur, ad honorē nominis ſui glorioſi, & recreationem eccleſiæ vbique ſatis afflictæ. Huic & concioni & precationi intererat ipſe Dux noſter cum pleriſque Capitaneis & tribunis, è militum vero vulgo vltra quingenti.

Secundo Iulii die voce præconis & tym- 2
panorum ſonitu edixit Dux: ne quis militū, neue nautarū adire montes ab hoſte inſeſſos vellet, præter eos qui vigiliæ perditæ cenſebantur. neu quis Hiſpanus quamlibet pacis ſignum præferens, ad oppidum admitteretur, ſed continuo ad montes remitteretur, cum nihil niſi fraudes doloſque agitarent, vt hac ratione res noſtras rationesq; ſpeculati ad ſuos referrent, quod ſi quis armatus accedere auſus fuiſſet, ſine mora interficeretur.

Superioribus diebus ſupremus Dux no-

ſter quatuor naues è claſſe noſtra ſelectas emiſerat ſpeculatum, ſi quas Hiſpanorum naues Mercatorias in illo Oceano deprehendere poſſent. Ex his nauibus neſcio quæ lembum piſcatorium nacta, ſub ipſa Inſula Forteuentura, ſeptem Hiſpanos viros ſimul cepit, quos omnes ad Ducem noſtrum Douſam, poſtquam ſtitiſſet illius nauis gubernator, continuo mancipati ſunt carceri.

Die Iulii tertio campanas è turribus demtas, & æreas machinas, quas hoſtis nobis in oppido reliquerat, nauibus impoſuimus. Inde noſtri milites magna manu, ad duo millia circiter Montana petere inſtiterunt, vt hoſtem, qui ſe iis in locis cum precioſioribus rebus, nec non liberis & vxoribus abdiderat inueſtigarent. quo poſtquam venerunt, acris concertatio facta eſt, & vtrinque valide pugnatum, donec hoſtes victi terga verterent, & interiora montium peterent, quo aditus erat difficilior. Fuit hæc expeditio parum felix noſtris hominibus, quamuis enim viciſſent, hoſtem tamen perſecuti non ſunt, ignari ſcilicet viarum, & metuentes, ne in inſidias præcipitati peius etiam acciperentur, cum ſic ad ſeptuaginta viros perdidiſſent, inter quos Capitaneus Iacobus Theodorici & Hyponauarchus eius fortiter oppetiere. Cæteri omnes in oppidum reuerſi, diuerſoria quiſque ſua repetiere.



4 Quarto Iulii die oppidum incendimus, caſtellum vrbanum puluere pyrio, ac igne ſubiecto magna vi diſiectum eſt. Sed & militaris petulantia cœnobiis, clauſtris ſacelliſque vulcanum immiſit, qui ea pro pabulo habuit. Oppido autem iam flagrante igne, denuo in aciē collocati ciuitate exceſſimus, caſtellum Gratioſam petituri, quod primum omnium obtinueramus, non enim longe ab oppido diſtabat, vti ſuperius quoque commemoratū eſt: eo appulere actuariæ noſtræ, quæ nos impoſitos ad claſſem deportarent. Vix oppido exceſſeramus, cum hoſtes montibus delapſi curriculo in vrbē peruaſerunt, vt, ſi fieri poſſent, Vulcanum furentē aliquo modo cohiberent. Sed & quini, ſeniq; propius accedebant, vt viderent noſtros naues repetentes, nec tamen adeo prope, vt, non extra teli iactum conſiſterent. Cum igitur omnes iam nauibus impoſiti eſſent, ad extremum Caſtellum Gratioſa ſubiecta vi magna nitrati pulueris igneque admoto diſiectum inque aerem diſſipatum eſt.

Cum autem nauis illa, cui Capitaneus Ruidius hactenus præfuerat, frequentibus globorum ictibus adeo lacerata eſſet, vt parum

rum ſpei ad reditum in ea collocaret, mutauit eam cum alia, quam in littore iſto noſtri interceperant: prior enim illa iam omni ex parte Neptunum admittebat.

5 Poſtero die, quinto nimirum Iulii menſis, mane cum omnes & ſinguli naues fuiſſemus ingreſſi, Imperator noſtræ claſſis, è machina grandiore bis ſignum dedit, propoſitis duobus vexillis principalibus, quibus innuebatur, vt omnes, tam qui terra quam qui mari erant cum Imperio, ſimulque nauarchi, ad Prætoriam nauem accederent. Quod cum ſine mora feciſſent, deliberatum eſt quęnam ex cæteris Inſulis porro foret inuadenda, quoue loco populus militaris in terram eſſet exponendus. Circa veſperam rimoſa nauis illa, quam Capitaneus Ruidius deſeruerat, vacuata omni inſtrumento, cremata eſt.

6 Sexto Iulii die, cum adhuc in anchoris ſubſiſteremus cum propter alias cauſas, tum ob ventos contrarios, cum inſuper ſex illæ naues, quas Dux noſter emiſerat incommodiore vento impeditæ, ad claſſem nondum rediiſſent, circa meridiem Hiſpani quatuor oppido egreſſi, vexilla pacis manibus præferentes ad littus acceſſere, ad vſque claſſem noſtrã, vbi duo ex iis ſcaphæ impoſiti ad ducem noſtrum deducti ſunt, reliqui duo interim ad littus quieti conſtiterunt. Qui ad Ducem perducti fuerant, cum fere vſque ad veſperam ibi fuiſſent, eidem ſcaphæ impoſiti, terræque redditi, cum cæteris oppidum repetiere.

7 Septimo Iulii die, noſtris adhuc in anchoris ſtantibus, alii quatuor Hiſpani, & ipſi album pacis Vexillum præferentes ex oppido ad littus acceſſere. Continuo igitur ſcaphis traiecti ad nauem prætoriam deducti ſunt. Afferebant hi lytron pro redimendis captiuis Hiſpanis, qui in caſtello Gratioſa arbitrio victoris ſeſe dediderat. Cõſtituta igitur ſingulis ſunt precia, vnicuique pro ſtatu & conditione ſua, quibus perſolutis, tam quatuor illi caduceatores, quam qui redempti fuerant Hiſpani, in terram expoſiti, vna oppidum petiere.

8 Octauo Iulii Die, duabus poſt ſolis ortum horis, vela ventis tota claſſis dedit, omneſq; captiui Hiſpani, qui numerato precio redempti non fuerant ſimul abducti ſunt. Legentibus igitur nobis littus Magnæ Cauariæ, obiit Iohannes Cornelius, cui crus in expugnatione Allagonæ oppidi, pila è machina emiſſa fuerat auulſum. Cumque vicinum promontorium, quod in Septentrionem excurrebat, circumuecti eſſemus, conſpicati ſumus ibi nauem Capitanei Hartmãni cum aliis tribus & hæ erant illæ naues quas Dux noſter ante aliquot dies emiſerat, in anchoris ſtantes; quæ omnes, viſa claſſe ſine mora leuatis anchoris nos comitatæ ſunt. Sic tota claſſis iunctim nauigauit, cumque ventus, qui ſuapte ſponte parum ſecundus erat, magis magiſque inualeſceret, vt obluctari ei iam non poſſemus, coacti ſumus ad alteram littoris proiecturam, quæ in auſtrũ vergebat, curſum dirigere, ibique anchoris naues firmare: Vbi ſe quædam alia Canariarum Inſularum conſpectui noſtro aperuit, Teneriffa dicta: in cuius inſulæ medio præaltus mons eminet, Pica dictus, qui quamuis quatuordecim milliaribus à nobis diſtaret, ob altitudinem tamen ſuam vix octo millibus paſſuum à nobis abeſſe videbatur, Sole tamen medium cœlum obtinente, vix à nobis conſpici poterat.

Nono Iulii die, hærente adhuc claſſe in 9
anchoris, cum ſol illuxiſſet: actuariis ſcaphiſque ad littus fere omnes egreſſi ſumus aquatum, cum dulcis aquæ copia ibi eſſet, detulimus ſimul eo Capitanei defuncti, Iani Cornelii cadauer, cui iuſta more militari honeſtiſſime perſoluimus. Fuerat autem filius Conneſtabilis admiralitatis quæ eſt Roterodami: inuentaq; ibi lignorum ſtrue, ſuccendimus ea, nullos tamen Hiſpanos animaduertimus.

Sequenti die, cum naues repetiiſſemus o- 10
mnes, leuauimus Anchoras, ſummoq; mane vela ventis dedimus vſi Euroaquilone valido: qui tamen nobis aliquouſque prouectis repente conquierit, vt ſecuta malacia, naues in ſalo fluctuarent, omni vento, ſecundo pariter & aduerſo deſtitutæ.

Vndecimus oriebatur Iulii dies, cum v- 11
na cum oriente ſole ventus ſpirabat, Thraſciozephyrus dictus, nauigationi noſtræ percommodus, progreſſi autem aliquantum viæ, cum Teneriffa Inſula nobis iam eſſet propior, magnam Ventorum varietatem & inconſtantiam deprchendimus, adeoque illæ ſex naues cum primis, quæ vicinum littus radebant. Nam ventum modo flantem repentina ſequebatur tranquillitas, vt naues velut ſaltabundæ iactarent in quieto mari, & vnde, cum ventus adſpirare nobis vellet nullus, coacti ſumus curſum plus duodecies aut intermittere, aut mutare.

Hanc ventorum tarditatem & penuriam 12
compenſauit duodecimus Iulii dies, exorto Circio valido & violento, qui nos Teneriffæ Inſulæ tantum non impegit: Sole autem orto, remiſit aliquid de ferocia, vbi claſſem noſtram hinc inde diſperſam cõſpicati fuimus: quodq; magis mirere, quædam naues negabant

bant ſe ſenſiſſe illam ventorum violentiam, aliæ, ſenſiſſe quidem, ſed perexiguum motum, maxima claſſis pars in Subſolanum verterat proras, quo & nos, qui in cæteris nauibus eramus, curſum direximus.

Coniuncta igitur iam denuo claſſe, ſumma ope nixi ſumus omnes, vt primo quoque die GOMERAM Inſulam adoriremur. Eſt autem GOMERA hæc minima omnium Canariarum, mediocri oppido ornata, ad cuius defenſionem caſtellum firmum ac probe munitum iam olim extructum fuit.

Appetente veſpera, quædam naues propius ad Inſulam acceſſere, potiſſima tamen claſſis pars adhuc longe à vadoſo mari aberat, atque ob profunditatem ſali ab anchoris iaciendis prohibebatur: vnde cæteris tutum non erat, ad oppidum propius accedere. Circa crepuſculum autem Iacobus Heerbrandus, Admiralius earum nauium, quæ vexilla alba præferebant, oppido ſe in cõſpectum dedit, quem ſecutus Legatus eius cum celoce, eundem locũ tenuit. Porro ciues oppidi, cũ viderent Admiralium tã prope iuxta ſeſe cõſediſſe, cæperunt in naues eius globis ferreis detonare, quo factũ eſt, vt Admiralius paulo longius ab oppido recederet, cumque ſe extra teli iactum animaduerteret, complicatis Velis in Anchoris quieſceret: præſtolaturus ſcilicet cæteras naues, quæ adhuc inter Teneriffam & Gomeram, Inſulas ferebantur, nec omni cura aut diligentia efficere poterant, vt ea nocte ad claſſem accederent.

13 Decimo tertio Iulii menſis die, cum, vti dictum eſt, Admiralius vexilli albi ad oppidum Gomeram in anchoris ſubſiſteret, potiſſima pars claſſis adhuc intra Teneriffam & Gomeram hærebat, vt quædam naues ſupra oppidum, quædam infra ferrentur, non igitur ſine magno labore factum eſt, vt omnes naues iungerentur ex diſciplina nautica, quod tamen tãdem effectum fuit. Superata iam extrema proiectura huius Inſulæ, Dux noſter Generalis ad ſe vocauit omnes capitaneos ductoreſque militũ, qui iunctim curſum ſuum tenuere recta verſus Gomerã oppidum, quorum ductum cæteræ naues prudenter ſecutæ, anchoris iactis ad conuallem quandam in Boream ſe extendentem ibi quieuere. Digreſſi inde Capitanei ab naue prætoria, ſuam quiſque repetiit, ſcaphis ac lintribus deportati. Expoſito itaq; in terram milite, quatuor ſigna accepere mandatum, vt præterito oppido ab altera parte conſiderent, fugamque ex oppido verſus montes intercluderent. quibus profectis omnes naues leuatis anchoris ad muros vſque vicini oppidi Gomeræ appulere, ibique in anchoris ſubſtitere.

Facto inde oppugnationis initio, aliquoties in oppidum maioribus tormentis iaculati, neminem qui reſponderet, animaduertimus. Erat iuxta littus caſtellum, quatuor machinis ære Cyprio fuſis inſtructum: ſed cũ præſidium in fuga collocaſſent Hiſpani, ad noſtrum aduentum machinas illas defoderant: quorum intellecta fuga Dux noſter adhuc ſex ſigna militum in terram expoſuit, qui ſine vllo impedimento littus tenuerunt, Hiſpani enim cum vxoribus ac liberis, perinde ac Allagonenſes, fuga iam in vicinos montes ſe receperant, aſſumptis ſecum reb. precioſioribus, quantum præceps feſtinatio permittebat, campanas autem, machinas igniuomas, dolia generoſiori vino plena, & quicquid erat maioris ponderis quam vt auferri poſſet, terra obruerant. Porro quatuor illa ſigna militum, quæ omnium prima in littus expoſita fuerant, progrediebantur ad radices montium, vrbem petituri. Sed inter proficiſcendum animaduertunt, hoſtem iã cum omni precioſiori ſupellectile in fuga eſſe, quem vt auerterent, aut ereptis faſcibus leuiorem ad fugam redderent, omni ope annixi ſunt, nec tamen omnes id conſilii ceperunt, ſed aliqui ex eorum numero. qui vt commodius hoſtem inuadere poſſent, à ſuperiore loco paulatim deſcenderunt in conuallem, vbi magna pars Hiſpanorum conſederat: qui conſpectis noſtris in proximas notaſque ſpeluncas ſe abdidere, ibique expectauere, donec Hollandi in vallem ſe demiſiſſent.



Ibi repente proſilientes ex antris, ab omni parte noſtros velut indagine cinxerunt, perſuaſi, neminem ex Hollandorum numero euaſurum.

Hi autem prudenter ſeruatis ordinibus animoſe pugnantes, tam valide reſtitere, vt non pauci ex Hiſpanis caderent. Nec tamen diſſimulanda clades eſt, à noſtris accepta, cum ad octoginta viros fortes è ſuis deſiderarent, pugna ſcilicet loco noſtris iniquo commiſſa. Ex interfectorum numero ab noſtra parte erant duo locumtenentes, viri fortes, qui immaniter ab hoſte trucidati fuerant, vt in alterius corpore quinquaginta vulnera numerata fuerint. Qui ſupererant milites è quatuor illis ſignis circa veſperam, deſertis montibus, in oppidum Gomeram venerunt.

His ita geſtis, opportuna loca ciuitatis militibus cuſtodiēda tradita ſunt, qui excubias ibi ſumma cura egere. Nonnulli alii tellurem ſubruere, inque abditis defoſſos theſauros ſcilicet, rimari cœperunt, ſed labor prope fuit irritus, ea quidē vice, nec enim quicquam præter dolia quædam vino plena reperere.

Sole autem iam occidente, noſtri milites comprehenſum Hiſpanum ad ducem noſtrum perduxerunt, qui eius iuſſu ex templo præfecto rerum capitalium traditus, ferroq; coercitus eſt: nec enim veriſimile erat, eum ignorare, quo loco Hiſpani bona ſua defodiſſent. Cum autem denſa tenebris nox opprimeret terras, nihil tum quidem cum illo actum eſt, traditus igitur eſt quibuſdam excubitoribus, qui cuſtodirent hominem, vſq; in diem craſtinum, vt ſi opus foret quæſtionibus veritas ab ipſo eliceretur. Nocte autē concubia, cum vigiles ſupini ſterterent, aut aliud agerent, effractis Vafer Iberus vinculis erupit, & ad ſuos in montes aufugit.

Iulii die decimoquarto actuariis, minoribusque nauigiis ad littus acceſſimus, vt relicta ab Hiſpanis ſpolia recepta ad naues deferremus, quorum potiſſima pars in vino cōſiſtebat, cætera fere omnia quæ alicuius momenti erant, ſecum in montium latebras aſportauerant. A meridie diligentia foſſorum noſtrorum tres campanas, quas in arua defoderant fugitiui, terra extraxit, cum neſcio quibus rebus aliis. 14

Decima quinta Iulii dies cum ortu ſolis 15

N 3 oppido

oppido direptionē attulit, vbi miles omnia agendo ferendoque antiquum obtinuit. eodem die decem aut duodecim è noſtris in montes vſque excurrerunt, ſed crudeles temeritatis ſuæ pœnas dedere; comprehenſi enim ab hoſte; cum octo è ſuis amiſiſſent, cæteri trepida fuga ſe recepere. Circa meridiem huius diei miles habito diribitorio, denuo recenſitus eſt, vt ratio iniri poſſet, quantum ſupereſſet copiarum; quantum deperditum his expeditionibus.

Nauium quoque luſtratio facta eſt, è quibus iis, quæ duplicato robore erant ſtructæ, eoque firmiores, de inſtrumentis bellicis ac commeatu largiore proſpectum eſt, qui cæteris nauibus continuo in patriam reuerſuris ademtus, duplicatis illis impoſitus eſt ad longioris itineris tolerantiam. Contra, quicquid ægrorum aut ſauciorum, tam militum, quam nautarum in illis nauibus; quarum duplex robur, repertum fuit, facta verſura infirmioribus nauibus impoſitum, eorum loco ſubſtitutis integris. & hæ quidem id vnice laborabant, vt prædam bello partam cum nuncio rerum feliciter geſtarum in patriam deferrent.

Idem dies foſſoribus noſtris adhuc duo ænea tormenta detexit, quorum alterum ſedecim, alterum quindecim pedes longum erat.

16 Sequenti die ſummus Dux noſter ſenatū bellicum in prætoriam conuocauit, cauſa fuit, quod querela ad ipſum delata fuerat, reos quoſdam Capitaneos malæ tractationis, quippe qui militibus parce & maligne præberent commeatum, vnde primo fames inter eos, deinde querelæ publicæ.

His autem ita conſultantibus, hoſtium cuneus montibus retro oppidum conſcenſis noſtros inclamauerūt; venirent, ſi viri eſſent, & arma ſua, quæ in prælio perdiderant, recuperarent. Hac ſanna permoti noſtri multos è nautarum familia armatos in terram expoſuere, omniaque ad non dubium futuri diei conflictum expediebantur: nec enim ferre poterant, arma ſuorū in poteſtate hoſtium eſſe, qui inſuper inſultarent velut victis.

Paratis autem iam ad congrediendum militibus ingens procella cum turbine ea nocte orta eſt, quæ ſubinde maiores acquiſiuit vires, vt tandem in fœdam tempeſtatem degenerauerit; quæ conſilium noſtrorum de repetundis armis interuertit & conturbauit. Quin & illud quoque conſecutum eſt, quamuis pleræque naues noſtræ ſub Inſulæ protectione ad ipſum oppidum Gomeram in anchoris ſecure ſtare viderentur, multæ tamen coactæ ſunt, leuatis anchoris altum petere, ne propter nimiam vicinitatem vi tempeſtatis colliſæ, ſe mutuo perderent, & ita nox illa varie acta eſt.

Cæterum compertum paulo poſt fuit, hanc tempeſtatem magno vſui noſtris fuiſſe, DEVMQVE hac ratione magnam ſtragem anteuertere voluiſſe. Hiſpani enim certi, noſtros ignominiæ impatientes, vltum iniurias omnino adfuturos, ſumma diligentia ſe præparauerant, ingentiq; numero in cæcas cauernas abdiderant; haud dubie ferociſſime excepturi noſtros, & iam eius rei ſpecimina aliquot ediderant. quotquot enim è noſtris intercipere poterant crudeliſſime mactabant, ſæuientes inſtar canum, qui rabie correpti miris modis furunt, vnde non abs ratione his inſulis Canariis à canibus nomen inditum, vt Plinius ait.

Decimo ſeptimo Iulii die, cum horridam 17
illam noctem & tempeſtates eluctati eſſemus, Milites adhuc Martem ſpirabant, & erant in ore omniū arma perdita, quæ quouis modo recuperata volebant: & tunc quidem mos ipſis geſtus non fuit, cæterum paulo poſt treceti armati miſſi ſunt in vallem illam; vbi ante triduum noſtri ex inſidiis ab Hiſpanis cæſi fuerant. Et hi quidem vallem illam inſidioſam ingreſſi, hoſtem non inuenerunt, ſed minoris generis machinā æneā, pedes circiter ſeptem longam, cum duobus vaſis puluere pyrio plenis. Igitur noſtri, cum viderent, nihil inſuper ſpei ibi affulgere, abducto tormento & aſſumto puluere diſceſſerunt; nec enim in mandatis habebant, remotiora loca cum euidenti periculo tentare, ita vacui in oppidum reuerſi ſunt.

Iam veſper appetebat, & Dux noſter iuſſit, vt quicquid bonorum in oppido acquiſitum, eque terra effoſſum fuerat, in naues imponeretur, cui imperio celeriter mos geſtus eſt. in his ſpoliis præcipui nominis erant tres campanæ, cum aliquot tormentis æneis, & vini Canarienſis præſtantiſſimi non exigua copia, cuius magna pars duplicatis nauibus, vlteriores regiones petentibus, ab Duce permiſſa fuit, vt longi itineris tædium huius liquoris beneficio ferrent & ſolarentur.

Diem Dominicū, qui erat decimus octa- 18
uus Iulii, adhuc in anchoris ſtantes ſub ipſo oppido Gomera quieti tranſegimus.

Decimus nonus illius menſis oppido in- 19
cendium & fœdam ruinam attulit. Cum enim pars copiarum noſtrarum, quæ adhuc in Inſula morabatur, videret pertinaciam Hiſpanorum, qui identidem in ſpeluncis & receſſibus montium perſeuerabant, de redemtione oppidi ab incendio parum ſollicitis iracundia eos cepit, vt ignem tectis ſubiicerent, vulcanum quantum poterant, adiuuantes,

uantes, vt vniuerſum prope oppidum conflagrauerit, nec parſum in illo furore Templis, cœnobiis, aut aliis magnificis ædibus, quin omnia feralis flamma abſumeret: nos vero in vicino littore vſq; ad meridiem conſtitimus.

Cumque nihil ſupereſſet, in quod victor exercitus iram ſuam vltra euomeret, deſeruimus flagrantis oppidi fœdã faciem, ſummusque Dux noſter nauem prætoriam conſcendit, quem ſecuti ad vnum omnes, & milites & nautæ, nauigium quiſque ſuum petiere.

Hiſpani autem, qui hactenus in ſpeluncis latuerant, animaduerſo noſtrorum diſceſſu, pleno agmine de montibus dilapſi oppidum petebant, vt ignem aliquo modo cohiberet; haud ſecus ac vicini eorum Allagonenſes ante paucos dies fecerant.

20 Vigeſimo Iulii, qui Martis dies erat, duo milites firma valetudine in nauem Capitanei Cloieri ex noſtra impoſiti ſunt, quorum loco nos duos ſaucios, duosque captiuos Hiſpanos recepimus, nobiſcum in patriam deferendos.

Occupata ad hunc modum vtraque Inſula, Gran Canaria & Gomera, captisque duobus oppidis, Allagona & Gomera, illo oppugnatione, hoc deſertione hoſtium; deſeruimus tamen vtrumque, grauiſſimis de cauſis, & vacuam vtramque Inſulam Hiſpanis reliquimus.

Poſt hæc Imperator claſſis noſtræ Magnũ Senatum habuit, conuocatis in Prætoriam non tantum præfectis tribunisque militum, ſed etiam inferioribus magiſtratus, & quos aliqua dignitas commendabat, quibus congregatis DOVSA pro authoritate locutus, ingentes gratias egit pro fideli præſtita opera, quod fortiter feciſſent pugnando, labores tolerando, ciuitates expugnando, quæ res & ipſis honori, & patriæ emolumento, & Illuſtriſſimo Principi Mauritio Naſſouio gratiſſima futura ſit.

Inde ab ipſis, conuerſo ad DEVM ſermone cum lacrymis precatus eſt, vt ſe porro cũ ſuis ab omnibus periculis tutum præſtaret & incolumem, dirigeret greſſus ſuos, comitaretur ſeſe in itineribus ſuis, ceu vnicus, ſummus ac verus Dux, viæ ac gubernator perpetuus, ad gloriam nominis ſui, & incrementum federatorum inferioris Germaniæ populorum.

Poſtea commonefecit eos verbis vſus elegantiſſimis, & oratione ad manſuetudinem compoſita, vt porro parem principi, communi patriæ, adeoque ſibi præſtarent operam, egregiumque initium pulchriori fine condecorarent, vt poſſent rationem reddere cumprimis DEO OPT. MAX. à quo vocatio eorum proficiſceretur; deinde Illuſtribus ac Præpotentibus Ordinibus, à quibus ſtipendia perciperent: denique Illuſtriſſimo Mauritio Naſſouio, principi ſuo, cuius auſpiciis militarent, quem ſibi quiſque velut præſentem ac virtutis ſuæ ſpectatorem proponere deberet. His & aliis verbis PETRVS DOVSA, vir notæ fortitudinis & eloquentiæ eos ad virtutem cohortatus eſt, vſus ad eam rem multis exemplis cum à vetuſtate, tum à recenti memoria arceſſitis, vt bene affectos omnes à ſe dimitteret. Interque hæc dies illa expirauit.

Die vigeſimo primo Iulii, iterum conuo- 21
cauit ad ſe in Prætoriam Dux noſter omnes centuriones, ſigniferos, ac ductores ordinũ, ſupremum vale illis dicturus.

Cumque denuo inprimis Deo, deinde ipſis quoq; prolixe gratias egiſſet, Valedixit ſigillatim omnibus ac ſingulis, ſumma cum comitate & frontis alacritate. Neue naues illæ quæ Batauiam repeturæ erant, capite ac Duce carerent, conſtituit illis pro imperio, Admiraliumq; dixit virum fortem, ſpectatæ fidei, prudẽtiæ, vigilantiæ, Iohannem Heerbrandum, Capitaneum, ſeuero propoſito edicto, vti omnes ipſum debito honore proſequerentur & obſeruarent, dictoq; eius audiẽtes eſſent, haud aliter, quam hactenus ſibi ipſi præſtitiſſent fidem & obedientiam: addito mandato, vt hæc eadem abſentibus per præſentes nunciarentur, ne quem excuſaret ignorantia, cumque hæc ſingulari ſeueritate perſecutus fuiſſet, conticuit.

His peractis, & vtrimque vale dicto, non ſine intimis affectibus, nouus Admiralius Iohannes Heerbrandus vexillum principale ab puppe nauis ſuæ propoſuit. Idem fecit ab altera parte Douſa, vbi è veſtigio leuatæ anchoræ, profectionis maturæ ſpem fecerunt. Paulo poſt etiam vela ventis data, & ſummo gaudio, triumphantiũ inſtar, vtrinq; diſceſſum eſt: Douſa quidem cum nauibus melioribus triginta ſex curſum ſuum in auſtrum dirigente; Heerbrando vero cum reſiduis ac infirmioribus proras in Eurum obuertente, quarum numerus erat triginta quinque, quibus cum patriam repetere iuſſus erat.

Hic cogimur mutare hiſtoriæ noſtræ curſum. cum enim vna claſſis in duas fuerit diuiſa, quarum vtraque diuerſiſſimum ab altera iter inſtitit, fieri non potuit, vt vtrique adeſſemus; cum igitur fors ſeu DEVS ita tulerit, vt cum repetentibus patriam mihi fuerit nauigandum, hoc qualecunque iter à Canariis Inſulis in patriam vſque porro proſequar, ſinens Dominum Douſam cum

ſuis feliciter nauigare, cuius acta geſtaque vel alius me comptius & elegantius proſequetur.

22 Igitur, quod felix fauſtumque ſit ductu noui Admiralii nauigantes, vigeſimo ſecundo Iulii ventus nihilo melior effectus, errare nos inter Inſulas Teneriffam & Gomeram coegit.

23. 24. Sequenti die perreximus aliquantulum, vt & vigeſimo quarto, continuo inter ſeptẽ illas Inſulas errantes. Nocte autem quæ ſequebatur, ingens procella exorta claſſem noſtram hinc inde diſiecit, fuitq; adeo ſæua tempeſtas vt Prætoriam noſtram cum quatuordecim aliis nauibus conſpectui noſtro eripuerit.

25 Vigeſimo quinto Iulii ductum ventorum ſecuti quatuor è Canariis Inſulas ſimul conſpicati ſumus, erantque eæ, Teneriffa, palma, Ferro & Gomera. Ferebantur tunc vna tantum viginti duæ naues.

26 Die lunæ, qui erat vigeſimus ſextus dicti menſis, cum ſol iam ad occaſum inclinaret, vidimus ſex naues, nobis ignotas, quas celeriter aſſecuti ſumus. Sed erant & ipſi Hollandi, nomina Capitaneorum hæc fere erant, Iohannes Remus, Eimermakerus, Boullartius, Kerkhovius & neſcio qui præterea. Hi nobis referebant, ſe illo quidem itinere nihil hoſtile animaduertiſſe, nos quidem adhuc hærebamus ſub Teneriffa inſula, quærentes Admiralium noſtrum Iohannem Heerbrandum, qui, vti dictum ſuperius, vi tempeſtatis à nobis auulſus fuerat, ſed irritus fuit noſter conatus, irrita perueſtigantium ſedulitas.

27 Vigeſimo ſeptimo Iulii, adhuc vagabamur velut errones ſtellæ inter dictas quatuor Inſulas è Canariis, nec plures viginti duabus naues cernere poteramus, nec proinde deſtitimus ab inueſtigando noſtro Admirallio, quem cum Capitaneo Cornelio Nicolai amiſeramus.

28 Duo de trigeſimo die omnes Capitanei & Nauarchi conuenere in naui Capitanei Blocquii Vliſſingenſis, ibi Capitaneus Cnoperus concordibus ſuffragiis Admiralius viginti duarum nauium, ſummusque rei præfectus creatus eſt, Fridericum autem Arentzium, Legatum eius dixerunt, qua ratione proſpectum eſt de capite viginti duabus nauibus, quæ ſolæ adhuc coniunctæ erant è triginta ſex.

29. 30. Vigeſimus nonus vt & trigeſimus Iulii dies nos adhuc in eodem loco immotos continebat, nec ſequenti die quicquam, niſi parum admodum promouimus, donec inſulam Palmam in conſpectu habebamus. ante quod oppidum tres naues vidimus, è ſocietate Iohannis Remi.

Idem infortunium nos vrſit ſequenti die Dominico, qui nouum menſem Auguſtum videlicet auſpicabatur. *Menſis Auguſtus. Dies. I.*

Altero die huius menſis ventus Euroaquilo flabat, qui nos vlterius detinuit inter has Inſulas errabundos. Palma enim, Ferro & Gomera adhuc noſtris obuerſabantur oculis, vel nobis inuitis. 2

Cuius moræ tam ignauæ pertæſæ naues noſtræ ſub ipſam Inſulam Palmam ſubiere, expectaturæ illic donec proſperi aliquid adſpiraret, ſed & hanc ſtationem tædio deſeruimus. 3

Quarto die Auguſti, cum omnia fruſtra moliti eſſemus, vt inde diſcederemus, nouum infortunium accidit; ea enim nocte nouum Admiralium Cnoperum, pari infelicitate cum ſuperiore Heerbrando à nobis auulſum, ex oculis & conſpectu amiſimus. 4

Sequens biduum malacia perpetua obtinuit, nec quicquam notabile geſtum. 5. 6.

Septimo Auguſti die, cum naues noſtræ adhuc iuxtum ingrederentur; deprehendimus nos octodecim circiter; milliaribus à Palma inſula abeſſe. eo die Fridericus Arentius, Admiralii Heerbrandi Legatus, edicto iuſſit, vt omnes, qui cum aliquo Imperio eſſent, ad nauem ſuam conuenirent. 7

Cauſa erat, vt ſublatis iam neſcio quomodo duobus tertius crearetur Admiralius. Collatis igitur ſuffragiis hunc honorem vnanimes detulerunt ipſi Arentio; qui Legatum ſuum dixit Capitaneum Blocquium, Prætorem vero Antoniũ Leevartum. Acta ſunt hæc de nocte, cum adhuc vna & viginti naues vnum corpus conſtituerent.

Octauo Auguſti, qui dies erat Dominicus, iterum numerus nauium diminutus, & ad viginti redactus eſt, ſed ſequens dies Maius nocumentum intulit, quatuor enim naues auulſæ à nobis ſunt, vt tota claſſis noſtra non niſi ſedecim conſtaret nauibus in vniuerſum. nos propoſitum curſum tenuimus, cum abeſſemus triginta duobus circiter gradibus ab Æquatore. 8. 9.

Sequentibus duobus diebus, Martis & Mercurii mira tranquillitas omnia tenuit, nauium numerus ſub Admiralio Arenſio erat ſexdecim. 10. 11. 12

Die Veneris, qui erat decimus tertius Auguſti, oriente Sole Euroaquilo flare cœpit, nos eo vtcunque vſi aliquantum promouimus, quod tum patuit cum nos quaſi triginta tribus gradibus ab Æquatore abeſſe ſentiremus. 13

Duobus diebus ſequentibus antiquum 14
obtinuimus. 15

Decimo ſeptimo Auguſti die tandem ad- 16
ſpirauit nobis ventus iucundæ frigiditatis 17
abocci-

ab occidente, quo percupide vſi in Euro aquilonem nobis tot modis inimicum proras obuertimus habebamuſque tum adhuc naues ſexdecim, inter quas nouem erant bellicæ ſiue militariter inſtructæ, ſeptem vero onerariæ ad ſupportandum commeatum. Porro non omnes ab eodem loco profectæ fuerant, ſed quatuor quidem ex Aquilonari Hollandia; quatuor ex Zelandia, nouem vero ex oſtio Moſæ fluuii aliiſque portubus ſoluerant.

18 Duo de vigeſimo Auguſti die tandem nos clementior fortuna reſpexit. cum enim ſexdecim noſtris nauibus ſub trigeſimo ſexto gradu æquinoctialis nauigaremus; vſi auſtro ſic ſatis ſecundo; obtulerunt ſe obtutui noſtro ab Thraſciozephyro vela facientes naues duæ, quas conſpicati celeriterque perſecuti, circa meridiem intercepimus; erant autem duo nauigia Hiſpanica è genere minorum. Narrabant epibatæ ſe venire ab Capo Blanco, id eſt Albo Promontorio, quod vno & viginti gradibus ab æquatore abeſt. Voluiſſe autem in prouinciam Condatenſem proficiſci, ſi licuiſſet; vbi in oppido Molui domicilia ſe habere aſſeuerabant. Sed mutare propoſitum iuſſi ſunt. Dominus harum erat mercator Hiſpanus; cum comitatu quadraginta ſeptem hominum ipſe præſens: quiſque erat inſtructus Bombarda, quas muſquetas vocant, quatuor inſuper machinis mediocris magnitudinis nauibus proſpexerat. Sed videntes ſe tot modis impares, pugnando ſe defendere velle ſuperuacaneum crediderunt. Præda quã in nauigiis iſtis reperimus; hæc fere erat. Lucii piſces torrefacti & ſaliti ad ſexagies mille, quorum precium; vt ipſi referebant hiſpani, ad ſex ducatorum millia accedebat. Præterea duo ſacci, argento ſignato factoque pleni, cuius pecuniæ tum fuit collecta ſumma, & in rationes relata. Duo inſuper dolia adipe balænarum plena; & duo dolia, gummi Arabico referta.

19 Die Iouis, Qui decimus nonus erat Auguſti, creuerat numerus nauium noſtrarum. erant enim omnino octodecim, connumeratis iis duabus, quas Hiſpano mercatori ademeramus. In his militariter exornatæ nouem, quatuor (vti dictum) ex Northollandis, quatuor è Zelandis, una à Moſæ oſtio profecta.

Eo die cõuenere Capitanei & ductores in naui prætoria, vt quid de Captiuis Hiſpanis ſtatuendum foret, in medium conſulerent.

20 Die Veneris idem perflabat ventus qui hactenus; noſtræ naues octodecim numero cũ duab. Hiſpanicis adhuc iũctim ferebãtur, aderatque nobis ſumma diligentia nouus Admiralius, Fridericus Arentſius. Conſpeximus ibi duos Piratas Anglos cum ſuis Myoparonibus, quos celeriter aſſecutus Dux noſter, cum aliquandiu ſermonem cum Anglis illis miſcuiſſet, circa veſperam ab ſe dimiſit, nos iter noſtrum proſecuti ſumus.

Die Sabbathi ac Dominico, indiuulſo nauium agmine ingrediebamur; captoque Aſtrolabio altitudinem Poli explorauimus, vbi animaduertimus, nos triginta nouem gradibus verſus Arctum ab æquatore abeſſe. eadem veſpera vidimus Vlyſſiponem, Luſitaniæ caput, vel (vt hodie appellant) Lyſabonam in Portugallia, eratque ea vrbs nobis plane orientalis. 21. 22

Vigeſimo tertio, & vigeſimo quarto nihil memorabile accidit, niſi quod venti admodum inconſtantes flarent, & variarent 23. 24
mirifice. Idem quoque ſequenti die, vigeſimo quinto Auguſti accidit. Erat autem 25
tunc numerus noſtrarum octodecim nauium ſaluus & integer.

Eo qui ſequebatur die Euri ſpirabant, qua 26
captata occaſione Admiralius noſter, conuocatis in Prætoriam ſuam conſueto ſigno ordinum ductoribus, valedixit, cauſatus aquæ potabilis penuriam. Adiunctis igitur ſibi tribus nauibus, quæ, vt & ipſe, ex Northollandia profectæ fuerant, præceſſit claſſem, vt quam primum terra potiretur. Quo digreſſo quindecim omnino naues habebamus, quæ vna ibant, nempe ſex militares, ſeptem onerarias, & duas captiuas Hiſpanicas. Denuo igitur ad Electionem res rediit, creatuſque eſt Admiralius Capitaneus Botto Verdrerius, qui Legatum ſuum dixit Iohannem SchalRium.

Veneris dies erat, Auguſti autem menſis 27
vigeſimus ſeptimus. Noſtri in Caurum ventum verſis proris cum quindecim nauibus curſum tenuere, cum quadraginta & vno gradibus ab æquinoctiali abeſſent.

Die Saturnii inſequente plenus auſter ve- 28
la noſtra impleuit, cuius beneficio nos vſi proras in Euroaquilonem obuertimus, idéque ventus totum diem dominicum, mare perflauit, nos curſum noſtrum proſequentes 29
quadrageſimum ſecundum æquatoris gradũm ſuperauimus.

Trigeſimo Auguſti menſis die, venti au- 30
ſtraliores præualebant, nos, vt cœperamus in Euroaquilonem pertendimus, inſtructi quindecim, vt ſupra nauibus; cæterum à meridie, tranquilla erant omnia, nos tamen, vt potueramus, quadrageſimum tertium gradum attigimus.

Vltimi diei menſis Auguſti eſt eadem quę 31
ſuperioris hiſtoria.

Primo

34306

Menſis September. Dies. 1 Primo Septembris die, cum nouo menſe nouus ventus exortus eſt, Fauonius parum fauens. hic enim cum frigidior inſuper iuſto eſſet, valide illapſus carbaſis omnes prope naues diſiecit, vt nullæ nobis adeſſent niſi quatuor ab oſtio Moſæ. Accidit hoc incommodum ſub quadrageſimo quinto Æquatoris gradu.

2 Secundus ſeptembris dies. Huius eadem quæ ſuperius narratio, niſi quod ad quadrageſimum ſeptimum vſque gradum peruenimus.

3 Tertius afferebat nobis Thraſciozephyrum prægelidum, vbi dimiſſo perpendiculari plumbo fundum explorare volebant nautæ, ſed latebat profundius.

4 Die ſabbati, qui erat quartus Septembris dies; Euronotus flabat; nos in Euro aquilonem pertendimus. Circa meridiem altitudinem maris percontati, ſexaginta octo Orgyias deprehendimus, voluebat autem ille Oceanus ſabulum rubrum. Eleuatio poli erat graduum quadraginta nouem & vltra. Inclinante iam ſole diem, vidimus & agnouimus nauim Angelicanam, quam nos cum noſtra naui perſecuti, aſſequi tamen non potuimus, nec cum nauclero illius colloqui. Circa veſperam tres naues, quæ hactenus nobiſcum nauigauerant nos deſeruerunt, diuerſum à nobis curſum ſibi proponentes.

5 Quinto die ſeptembris circa diluculum, dimiſimus plumbum exploratoriũ, & ſcrutati profunditatem maris deprehendimus quinquaginta orgyias. Eleuabaturque nobis Polus noſter gradibus quadraginta nouem, & vltra. cæterum nulla etiam dum ſe nobis aperiebat tellus.

6 Sequenti die, flantibus auſtris, nos in ortum pertendimus, Sole autem meridionali locus quidam, Heiſſant dictus, ſe nobis aperuit.

Die Martis 7. ſeptembris Angliam læti 7 conſpeximus, ventus nobis erat valde propitius ab occidentis partibus prodiens, nos in Euro aquilonem Vetus iter pertinaciter tenuimus, cumq; Sol iam occaſum meditaretur, ab loco quodam Angliæ Goutſtert, non longe aberamus. Sed cum parun placeret, vertimus proras in Euro auſtrum. Veſpere iam adulto, ventus tam valide ingruit, vt colligere nos maiora vela cogeret, eamque totam noctem duobus exiguis velis contenti nauigauimus.

Eadem ventorum violentia ſequenti die 8 perſeuerauit, ſole autem prope meridiano oculis noſtris detecta eſt Inſula Vectis, verſus Euronotum à curſu noſtro. Circa veſperam conſpicati ſumus Beuerſerium, eadem illa nocte ad portum vſque celeberrimum, Douerenſem acceſſimus.

Nono decembris die, oriente ſole tran- 9 quillitas ſumma erat, & aer nebuloſus, venti ab Subſolano & Thraſciozephyro, quorum ope adiuti totam noctem nauigauimus.

Qua diligentia effectum eſt, vt ſequenti 10 die, qui erat decimus decemb: cum iam vix illuceſceret, in oſtio Moſæ fluuii conſiſteremus, circa autem meridiem altius aſcendentes ad Brielam vſque peruenimus, quæ erat patria & portus deſideratiſſimus. Et hac ratione triginta quinque illæ naues, quæ ab initio ſub vnum caput & corpus redactæ fuerant bidui ſpacio, felicitate rara, in patria quæque ſua, appulere, quanquam non in eodem ſed diuerſis federatę Inferioris Germaniæ portubus. Vbi lætitia publica exceptæ omnes, gratiæque DEO OPT. MAX. perſolutæ ſunt ingentes, ſolennibus indictis ſupplicationibus.

FINIS HVIVS NAVIGATIONIS.

J 5592
B9i5√

J
De Bry
GV
pt. 8
1625
Lat

GAUDEO